



Joannes Loelman

ECCLESIÆ ROMANÆ GRÆCÆQUE VERA EFFIGIES

EX VARIIS

TUM RECENTIBUS, TUM ANTIQUIS

MONUMENTIS

SINGULARI FIDE EXPRESSA,

ROMANIS GRÆCISQUE EXHIBITA:

Quo intelligant admirabilem utriuſque conſenſionem, & in tanta matrum concordia nefas eſſe pugnare & odiſſe inter ſeſe ingenti damno liberos.

ACCESSIT

Religio Chriſtiana contra Alcoranum per Alcoranum pacifice defenſa ac probata.

Autore P. MICHAELE NAU, *e Societate* JESU *Preſbytero.*



LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud GABRIELEM MARTINUM, via Jacobæa, ſub aureo ſole.

M. DC. LXXX.
CUM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.



SANCTO

PATRIS ET FILII

SPIRITUI,

DEO MEO SUMMO,

INFINITO DILECTIONIS INCREATÆ TERMINO,

ÆTERNO CREATÆ PRINCIPIO,

QUO DOMINUS JESUS CLARIFICATUR:

PLENUM DILECTIONIS OPUS

EJUS NUTU SUSCEPTUM, ET MUNERE CONFECTUM

AD CHRISTI JESU GLORIAM

D. D. C.

Servus inutilis & vilissima
creatura M. N. S. J.





ILLUSTRISSIMO DOMINO D.

JACOBO NICOLAO
COLBERT
ARCHIEPISCOPO
CARTHAGINIENSI,
ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI
COADJUTORI,
Abbati Beccensi, &c.



I cujus ambire nomen ac patrocinium debuit hic liber, debuit certe tuum, PRÆSUL ILLUSTRISSIME. *Ecclesiam exhibet tum Latinam Occidentis no-*

ſtram, tum Græcam Orientis; utramque non mentitis, ut fere fit, pro ſtudio partium, & adſcititiis vel odii vel amoris coloribus fucatam, ſed veritatis quaſi luce ac penicillo depictam: patronum ejuſmodi poſtulabat, qui utriuſque hujus eccleſiæ cognitionem ingenio ac diligentia complexus eſſet: quis in eruditæ vetuſtatis, & annalium eccleſiæ cognoſcenda penitus fide, quam tu, felicius elaboravit? Inire cum Græcis pacem conamur, qui hoſtium in morem, tametſi fratres, a nobis diſſident, eccleſiamque communem omnium parentem non tantum deformant miſere, ſed immanem etiam in modum diſcerpunt: nemo pacis amantior, nemo te commodior atque humanior quiſquam extitit. Agitur eccleſiæ res totius & utilitas, quæ ut una eſt ubique, tametſi ritus varios, tanquam veſtes quaſdam, induat; ſic unitatem ſectatur in primis ac fovet:

quis ecclesiæ rem utilitatemque illo amplectatur libentius, qui ad principem in ecclesia locum obtinendum ob eximiam virtutem designatus est? Hanc enim dignitatem non tam nomini tuo generique donatam omnes intelligunt, quam tuæ virtuti & meritis oblatam: ut quam Regi Christianissimo, totique regno navat operam parens tuus illustrissimus, eam tu navares ecclesiæ; & ejus gloriæ amplitudinique perinde servires, atque ille Gallici per tot annos imperii commodis, rationibusque servit. Hoc de te judicium LUDOVICI MAGNI *fuit, regum omnium facile sapientissimi: cujus expectationem non sustinebis modo, sed etiam superabis. Age igitur,* PRÆSUL ILLUSTRISSIME, *& quam in hoc libro tibi deferimus tuendam, ecclesiæ causam ultro suscipe: tum eos etiam e Societate nostra sacerdotes qui propagandæ per Orientem fidei*

catholicæ dant operam, patrocinio fovere tuo perge. Horum ego omnium nomine me profiteor

Tibi addictissimum ac
devotissimum
MICH. NAU. e Societate
JESU.

LECTORI

LECTORI.

Qua ratione cum hæreticis ac schismaticis agendum.



MORE sic pugnatur, ut odio, Christiane lector: at exitu non eodem. Amor enim si percellit suaviter, nunquam non vincit: odium cum feriat semper acerbe, nihil expugnat. Imo quo vehementius infigit in hostem telum, hoc hostem corroborat magis in prælio animorum, & minus jam in illum valet. Provocatus enim injuria vel convitio animus sese obfirmat pervicacius, & odium odio vehementiore impetit. Inde est quod in profligando schismate, hæresique debellanda tam infeliciter versamur. Odio certamus, non amore; ulciscendi studio, non parcendi; vincendi cupiditate, non juvandi: quæ nostra sunt, quærimus, non quæ Jesu-Christi; & quoniam in verbo ejus non laxatur rete, per totam noctem laborantes nihil capimus. Scio equidem catholicarum partium viros divini impulsu amoris plerosque ad certamen accedere; at plerosque non nescio arma quibus bellum ineant, ab amore non accipere, sed ab odio mutuari. Videre est apud illos convitiorum congeriem, probrorum, si fas est ita loqui, quasi plaustra, plena flammarum dicta: veritatem exhibent non sua in luce, sed in igne: splendet illa quidem, sed offendit, & parit incendia. Rem alii aggrediuntur, ab ira certe placatiores, sed elatiores ingenio. Despiciunt suos, quasi nihili sint, adversarios, & exprobratione erroris atque ignorantiæ adeo gravi illos pudore obruunt, ut demittere oculos cogantur, vultumque avertere, nec intueri in veritatem valeant, qua veritate prope est ut ab æmulis proculcentur. Quod si frontem, ut fere fit, perfricuerint, vel visam totis oculis veritatem invisam habent, & quam studiose honori suo consultum volunt, tam valide illam repellunt, & obstinant non venerari.

Si quem ergo vincere in animum induxisti, & contendis prædari Christo, non aliis quam amandi armis illum lacesse. Adhibe urbanitatis officia omnia, serenitatem vultus, suavitatem sermonis, benevolentiæ significationes varias, minime fucatas, non accersitas remotius, sed obvias, simplices, & e re ipsa petitas & quasi natas. Nihil objice quo exacerbetur animus, alioque abscedat. Qui maxime hostis est, eo sic utere, ut amicum haberi se existimet: fac amantem veri, qui procul a vero distat: ejus sic dicta interpretan-

do inverte, ut proxime videatur ab fide abesse, ipseque cogitet negotio prope nullo pacem iniri posse & dogmatum consensionem. Quæ enim coram sunt, & quasi ad manum, ipsa sui facilitate & vicinitate, ut amplectamur, invitant; quæ vero longe posita & ardua creduntur, assequendi nimia difficultate vel ab prosequendo deterrent. Cave sis, ne quæ veniunt in controversiam, quasi ignes suppositos cineri doloso statim moveas: lucem facies, sed inde prorumpet incendium, quo ardebit ab ira adversarius, & occæcabitur magis. Hoc curas, ut errorum fœditatem suorum videat? Bene est. Mentis oculos primum ab vitiorum cœno expurga, sed levi & suspensa manu, ne pungas, & doloris sensu ab salutis desiderio avertas. Facies hoc quidem non vitiorum reverentia, sed medendi ar-
Matt. 13. te. Sinuntur crescere zizania, ut in messe felicius extirpentur. Pa-
Luc. 15. stor ille bonus accipit in humeros errantem ovem, quam ovili reddit, non in caulam pedo, vel minaci gestu ac voce compellit. Mat-
Luc. 19. thæum vocat, non arguit. Zacchæo ejusque domui salutem facit, non reprehensione scelerum, sed ostensione benevolentiæ. Samari-
Ioan. 4. tanam denique fœminam, ne plura congeram, ab hæresi & criminum fœditate abducit, non concertationis vehementia, sed levitate collocutionis. Omnia vincit amor, & fructum magistri afferunt in patientia.

Hoc ergo primum pro viribus evince, ut ameris. Amaberis, si amas; amabis, si tua omnia ex caritatis legibus moderaberis, si te
1 *Cor.* 13. ipsa caritas moveat & regat. *Caritas*, teste Apostolo, *patiens est, benigna est, caritas non æmulatur, non agit perperam*, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Invisis, exempli gratia, adversarium infensissimum, qui te tuamque fidem pessime odit & execratur; vel factum est nescio quo Dei omnia ad salutem administrantis nutu, ut una tu ipseque conveneritis. Oportet, si Christum audias, mitem esse te & humilem corde, cum his qui pacem oderunt, pacificum, & amice eos alloqui, qui te gratis impugnant. Scrutare sensim qua natura sit adversarius, qua re delectetur in primis; & quia trahit sua quemque voluptas, voluptate illum sua ad Christi partes allice & a peccato averte. Ut sit infensissimus, si illum invicta patientia, lenitate inconcussa, constantia indefessa, beneficiis, humanitate, comitate, benevolentia, omni officiorum genere oppugnas, quo Josue modo Hiericuntem urbem tubarum concentu olim aggressus est, ejus concidet per sese animi contumacia, & viam dabit, qua subeas in ipsius mentem, & negotio prope nullo divina fretus ope, errorum turbam omnem quasi internecione deleas.

Quæ cum intelligerem, & experiundo didicissem nihil æque ad

animarum ſalutem valere ; ad hos ſcribendos dialogos me accinxi, quibus amice & perfamiliariter res controverſæ diſcutiuntur. Collocutores vero induxi non de plebe aliquos, ſed ſacerdotes & religioſos viros, quos in primis operæ pretium eſt demereri, & ſana doctrina imbuere. Plebs enim ab eorum pendet & ſententia & nutu, & quo illos traxeris, eo ſequitur ut grex paſtorem. Quamobrem ſi eccleſiæ illos catholicæ adjunxeris, eadem unaque opera, qua compendioſior nulla eſt, alios omnes lucratus es Chriſto & cælo. Aggreſſi ſunt olim illos petitis ab reconditiore theologia argumentis eruditiſſimi viri, & ſanctorum Patrum admirabilibus dictis ; ego, etſi horum nihil mihi prætereundum eſſe cenſui, ante exiſtimavi ponendum, quod propius eſt eorumque ingenio accommodatius. Selegi ex iis quos hac ætate in templo legunt, & ad preces maxime adhibent, codicibus ſacris, luculenta & omni exceptione majora teſtimonia, quibus fidei veritas egregie nitideque adſtruitur. Hoc primum expono, quod captu facile, quod in manibus eſt, quod præ oculis, quod in ore quotidie, quod repudiare nefas. Si Patres, ſi concilia prius appellarem, cauſarentur forte libros illos vel non haberi jam apud ſe, vel non intelligi ; teſtimonia vero quæ proferrem fieri poſſe ut conficta ſint & adulterata pro libidine. At cum ſuis in libris orthodoxa dogmata ſuis ipſi oculis conſpexerint, quidquid ad illa confirmanda cum e Patribus, tum e theologiæ fontibus protuleris, minime poſtea dubium eſt & perjucundum accidit. Quis enim quæ ſua ſunt, probari nolit & ornari ?

Porro ſi cui actum agere videor, tum quod contra Græcos multi ſcripſerunt, tum quod ab Græcis ipſis contra Græcos arma ſumpſerunt, tum quod Græcos, velint nolint, Romanis conſentire e Græcæ eccleſiæ codicibus ac placitis doctiſſime demonſtrarunt, is mutabit animum, cum noſtra perlegerit. Neque enim contra Græcos ſcribo, ſed pro Græcis ; non deſcendo ad pugnam, non Græcos ferio, Græcis faveo & opitulor. Conſenſionem Eccleſiæ Græcæ aperio quidem Græcis, quod moliti ſunt ante me alii omni virtutum & eruditionis laude longe me ſuperiores ; ſed vel contentioſius de pace illa dixerunt, vel non omnibus ſcripſerunt, ſed doctis duntaxat hominibus ; vel patrocinari ſibi ſtuduerunt, non gratificari adverſario ; vel lucere menti, quam animum incendere maluerunt. Hic ego mihi utrumque propoſui. Sic conatus ſuis radiis effulgentem exhibere veritatem, ut ad ipſam manu quaſi ducerem, ejuſque amore inflammarem ; ſic Eccleſiæ cauſſam amplector, ut totus adverſariis ſerviam. Ita ſcribo ut docti habeant quo delectentur, & indocti quo non ſine voluptate erudiantur. Nihil rixarum moveo, amice colloquor cum amicis ; & qui adverſari ac diſcrepare ad oculum videntur, facio ut ipſi per ſe vel ſuorum ductu in conſenſionem veniant. Eaque ratione omnia, quod Apoſtolus commendat, in caritate *1. Cor. 16.*

fiunt, & trahuntur ad Deum animi in funiculis Adam, in vinculis caritatis: Dei exemplo, cujus hæc est apud Ozeam plena teneritatis & suavissimi amoris contestatio. *Ego*, inquit, *quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, & nescierunt quod curarem eos; in funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis, & ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum, & declinavi ad eum, ut vesceretur.* Si quid autem quod alii jam protulerint, attingo; vel notis illustro, vel expono apertius, & ea simul adnecto, quæ, Deo bene juvante, vidi revocandis fratribus hoc maxime tempore peropportuna. Id porro profiteor, quidquid recti hoc in opere emitto, non fuisse me qui locutus sim, sed Spiritum Patris nostri qui loquitur in nobis. Quidquid autem peccati est, meum agnosco, & sanctæ Romanæ ecclesiæ, quam Spiritus ille Deus veritatem omnem edocet, & apud quam manet in æternum, emendandum subjicio.

Atque hanc quidem ecclesiam initio operis existimavi mihi esse commendandam, iisque repræsentandam notis, quibus suam Christus expressit, ut cum Christi esse, quæ Romana est, cognoscetur ecclesia, facile quivis animadvertat, aliam quamlibet, quæ se ab illa sejungat, non esse Christi, eumque qui illam non audierit, sibi esse debere sicut ethnicum & publicanum.



PROOEMIUM.

Ecclesiæ Christi ex sacris codicibus notæ apertissimæ proponuntur primum, tum Romanæ ecclesiæ convenire penitus singulas demonstratur: unde facile quivis intelligat alteri nulli perinde aptari omnes, imo cuilibet cœtui alteri deesse plurimas.

DIALOGUS.

CUM aliquando cœtum in unum convenissent variarum gentium Christiani, & incidisset de religione sermo, cœperunt sese invicem percellere durius & repellere, dum alii alios a sua consuetudine ritus per contumeliam damnarent. Aderat *Romanus*, omnium amicus, atque hic eos pacis studio compellans, Ecclesia Christi, inquit, gentibus ex omnibus una coalescit; &, si in una omnes fide orthodoxa consentiant, quamvis discrepent moribus, ad divinam hanc ecclesiam æque pertinent. Ut quid ista inter vos dimicatio? Non legistis quæ dicebat Paulus Galatis cap. 3. v. 26? *Omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in* CHRISTO-JESU. *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina. Omnes enim vos unum estis in* CHRISTO-JESU. Græce: *πάντες γὰρ ὑμεῖς εἷς ἐστε ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Omnes unus estis.* Et scribebat Corinthiis ep. 1. cap. 1. *Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri* JESU-CHRISTI, *ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit. Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Tum *Vigilius*, sacerdos in Græcis magnæ famæ: Quid nunc diceret, o Romane, Paulus ille beatissimus, si adesset, & videret e Christianis alios quidem dicere, Nos Græci, nos Maronitæ; & alios, Nos Armeni, nos Suriani? Nonne id ipsum diceret quod Corinthiis ep. 1. cap. 3. *Cum sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis, & unusquisque sicut Dominus dedit.* Quid Melchitæ, quid Maronitæ, quid Armeni, quid Suriani? Si recte omnes in fide sentiant, omnes ministri Christi sunt: *alii sic, alii vero*

sic; sed unicuique sicut Dominus dedit, & unusquisque propriam mercedem accipiet. Id certe Paulus diceret, reposuit *Romanus.* Nam hoc unum necesse est ad salutem, ne ab vera Christi Ecclesia se illi abjungant, sed ejus se partem & membrum profiteantur veræ fidei & caritatis sinceræ vinculis conjunctum. *Sicut enim*, inquit divinus Apostolus 1. Cor. cap. 12. *corpus unum est, & multa habet membra, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt:* ita & Christus habet ecclesiam unam ex multis partibus constantem. *Etenim in uno spiritu*, id est, fide una, *omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi*, sive Græci, sive Armeni, sive Maronitæ, sive Franci, sive Suriani; *& omnes in uno spiritu*, spiritu scilicet caritatis, *potati sumus. Nam & corpus non est unum membrum, sed multa. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii. Sed multo magis, quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt; & quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorem circumdamus; & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra, nullius egent. Sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore, sed id ipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Audis membra omnia ecclesiæ esse sibi invicem necessaria, ut qui caput est ecclesiæ, is pedibus, id est, Christianorum infimis dicere non possit: Non estis mihi necessarii. Capiti ecclesiæ membra ecclesiæ omnia sunt necessaria, & sibi invicem necessaria sunt membra. Singulæ Christianorum nationes si consentiant in fide, multum ex se invicem proficient. Sunt enim in singulis consuetudines præclaræ plurimæ, quarum ex intuitu ad Dei cultum & pietatem valide excitamur. At si membra illa inter sese omnia invicem pugnent, quid dicam? Dicam cum Paulo: Non jam aguntur Dei Spiritu, ut filios Dei decet; sed carnales sunt, & secundum hominem ambulant, imo & secundum diabolum, cujus æstu ac furore impelluntur. Similes enim sunt energumeno. Nam energumeni membra sese invicem feriunt & dilaniant, quod in corpore bene sano nunquam contingit. Quis enim, si sanus est, membra a se sua, cum valent, abscindat, & se a suis membris sejungat? Certe quod membrum se ab capite & corpore avellit, moriatur necesse est. Neque enim vivit membrum nisi in corpore. Ita qui se ab ecclesiæ Christi capite & corpore segregat, pereat necesse est, cum nemo salutem assequatur, nisi qui in ecclesia constitutus sibi illam divinæ gratiæ ope promeretur. Quare si qui e Francis vel e Græcis, vel e Surianis aliisque Christianis ab Christi ecclesia discedant, vel

amore erroris, vel ſchiſmatis pervicacia, omnino ab ſalute exciderunt.

Hæc omnium noſtrum fides eſt, ſubjecit *Methodius*, vir Græcarum partium: ſed cum tantæ ſit neceſſitatis vera Chriſti eccleſia contineri; qui variarum nationum Chriſtiani ſunt, qua poterunt dignoſcere ratione, an ſint e Chriſti eccleſia, an ſecus? Negotio prope nullo, inquit *Romanus*, id poteſt quiſque reſcire, ſi nempe fide & amore cum ea eccleſia ſit conjunctus, de qua & dubium eſſe non poteſt, quin ſit eccleſia Chriſti, & ſi ab ea eccleſia diſcrepet varietate rituum. Quamvis enim membrum unum figura & officiis ab capite differat, unum tamen cum illo corpus efficit, ſi eadem cum ipſo anima ſit connexum. Tum *Methodius*: Præclare hoc & vere. At quænam eſt eccleſia illa, de qua nemo jure dubitet, quin ſit Chriſti? Ea eſt, inquit *Romanus*, cui notarum illarum quas ſacri codices Chriſti eccleſiæ addicunt, nulla deſit. Sunt autem notæ illæ non paucæ, quas ego, ſi gratum id vobis, mox exponam. Non erit modo gratum, repoſuit *Vigilius*, ſed omnino utile. Nam ſi ſalvus eſſe nemo poteſt, niſi qui veræ Chriſti eccleſiæ adhæreat, omnis certe opera adhibenda eſt, eam ut habeamus bene perſpectam, amplectamur & ſectemur.

Prima Eccleſiæ nota, ſanctitas. Nulla uſquam lex ſanctior: nuſquam ſanctiores viri: major nuſquam ſanctiſſimorum hominum copia.

Accipite, inquit *Romanus*, accipite igitur e ſymbolo quod uno ore ubique terrarum omnes canimus, primam eccleſiæ notam, & eccleſiam intelligite ab profanis cœtibus ſanctitate ſua maxime ſecerni. Veram Dei religionem & eccleſiam eſſe eam quæ alias omnes ſuperet ſanctitate, homo nemo, qui ſanæ mente ſit, neget. Si qua enim ſanctior fingeretur, quam quæ eſt a Deo ſumme bono poſita, illa autorem haberet vel hominem vel diabolum. Quis autem profiteri valeat meliorem ab homulo vel ſatana, quam a Deo opt. max. inſtitutam eſſe eccleſiam? Conſtat igitur eccleſiam, quæ reliquis omnibus antecellat ſanctitate, Chriſti Dei eſſe eccleſiam, in eaque una haberi ab hominibus ſalutem poſſe. Quod ais, planum eſt, inquit *Methodius*: id vel ſtupidi ſentiunt. Atque hinc Chriſtianæ religionis divinitas facile cuivis elucet, apparetque ſectarum fatuitas inanitaſque ceterarum. Verum cum variæ ſint Chriſtianorum eccleſiæ inter ſeſe diſſentientes, qui fieri poterit, ut ex ſanctitatis excellentioris nota, quæ vera, quæve falſa ſit intelligatur? Etenim omnes & ſingulæ evangelio gaudent eodem, & quæ præcipit de perfectione vitæ ſacratiſſimus ille codex, admittunt & amplectuntur.

Ad hæc *Romanus*: Idem, o Methodi, idem omnes oſtentant evangelium. At ſunt vel ex iis qui evangelio ſumme gloriantur, qui multa afferant, ab quibus non evangelicæ modo, verum etiam profanæ aures abhorreant. Nempe Deum ſtatuunt peccati autorem; cum volunt ex hominibus pleroſque deſtinato conſilio procreaſſe, ut eos ſempiternis excruciaret tormentis; qui peccat, eum volunt tanta neceſſitate peccare, ut continere ſe nequeat a peccato. Opera

vel quæ videntur optima, nihil esse præter flagitia; satis cuique esse ad consequendam beatitatem æternam, si fidem habeat unam, nec quidquam meriti Christiane & præclare factis omnino inesse; & portenta effundunt hujuscemodi alia, quæ legere se in evangelio audacissime mentiuntur. Verum sint hæc Lutheranæ sectæ & Calvinianæ propria, ponamusque, quod minime tamen reperire est, reliquas omnes, quæ Christi nomine insigniuntur, ecclesias, placita evangelii quæ de morum integritate traduntur, admittere omnia; placitis tamen evangelii non omnes perinde obsequi, nemo inficias eat.

Hoc igitur aio, veram Christi ecclesiam esse illam, in qua magis, ut ita loquar, evangelice & immaculate vivitur; in qua quæ præcipiuntur in evangelio vel consuluntur, non laudantur modo, sed opere ipso fiunt; ubi sanctissimorum hominum copia est major, maxime si docti sint &, quod optabat Apostolus, zelum Dei secundum scientiam habeant. *Rom. 10.* Fieri enim non potest, ut Deus propter caritatem suam vere nimiam, qua diligentes se diligit, homines illos sibi ex animo devotissimos, suaque omnia ex prudentiæ, sapientiæ, atque evangelii legibus moderantes, & ad procreatoris sui gloriam unam referentes: fieri, inquam, non potest, ut homines hujuscemodi in falsa religione æternum damnandos deserat, alios autem minus pios, nec tam doctos, vel prudentes conservet in vera. Et cum duæ sint tantum in orbe terrarum ecclesiæ, Christi altera, altera diaboli: quis credat in diaboli ecclesia homines sanctissimos contineri, in ecclesia vero Dei minus sanctos? Num credes, o Methodi? Absit ita existimem, reposuit *Metho lius:* mihi exploratius nihil videtur quàm quod si inter Christianas ecclesias, aliqua cæteris vera sanctitate sit superior, hæc Christi sit; minime autem alias, nisi huic caritatis & fidei communione conjunctæ se illius partes esse & membra profiteantur. Quare, inquit *Romanus*, cum sanctitas omnis teste Christo, his mandatis duobus absolvatur, ut homo Deum supra omnia diligat, proximum amet uti se ipsum; vide non quidem ex verbis, sed ex operibus, & ex fructibus agnosce, quanam in ecclesia Dei caritas & proximi magis ardeat; atque hanc Christi ecclesiam esse cum statues, non aberrabis.

Tum *Vigilius:* Hæc profecto mihi est nota ecclesiæ omnium perspectissima. Neque enim vel boni fructus tanto numero ex arbore mala, vel arbor bona, totque fæcunda fructuum, in sterili hæreticæ ecclesiæ solo oriri possunt. Et notam hanc Christus maxime commendavit, cum diceret: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis*; id est, quod apud vos vera mea ecclesia est, *si dilectionem habueritis.* *Ioan. 15.* Ideoque hortabatur Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est: glorificent, inquam, suo ad ecclesiam accessu, & vestræ professione fidei. Proximi dilectionem,

ctionem, inquit *Romanus*, ita Christus videtur suæ addixisse ecclesiæ, illiusque fecisse propriam, ut in nullam notam aliam magis nos intueri voluerit, quo suam ab profanis cœtibus secerneremus ecclesiam. Quid enim ait Joan. 15. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinvicem.* Nempe, *hoc est præceptum* MEUM, *ut diligatis invicem*, SICUT DILEXI VOS. Et *hoc mandatum novum est*, in nulla altera unquam ecclesia vel auditum vel admittendum. Videte ergo in qua Christianorum natione major sit erga alios dilectio, & hic veram Christi ecclesiam agnoscite. Amorem porro, ut jam monui, nolite verbis æstimare, sed factis. Juvat enim audire Joannem Apostolum epistola sua 1. *Filioli mei, diligamus non verbo & lingua, sed opere & veritate.*

Verùm, subjecit *Methodius*, unde nobis constabit nationem Christianam unam cæteris antecellere dilectionis virtute? Id oculis ipsis videtur, respondit *Romanus*: nam ponamus, exempli gratia, Græcos, Maronitas, Francos, Armenos, Surianos esse inter sese plane adversos, (quod avertat Deus) nihilque esse inter ipsos concordiæ; omnes tamen Christiano nomine gloriari: certe quæ natio alias omnes, omni studio invitabit ad pacem & dilectionem, caritate illas superabit quæ vel concordiam respuunt, vel conciliandæ ipsi minime laborant. Quæ nullam aliarum contemnet, imo bene singulis facere conabitur, præstantior in amando censenda est, quam quæ alias omnes præ se despiciet, nihilque amabit præter sua. Quæ in omnium utilitatem & salutem sese impendet, ea diliget magis, quam quæ sibi vacabit uni, nihilque homines cæteros curabit. Quæ quod videt in sectis aliis a se diversum, id interpretatur benigne, quoad patitur fidei ratio, & pro merito commendat, caritate illi præcellit, quæ nihil nisi quod suum est, probat, nihil excusat in aliis, imo minima quæque, eaque nequaquam exprobranda exprobrat, & arguit quæ maxime laudanda sunt, quæ & ipsa laudaret, si res vellet vel amando inspicere, vel intelligendo expendere. Demum cum Christi præceptum sit, ut is in ecclesia sua sit amor, qui in ipso erga nos fuit; isque fuerit Christi erga nos amor, ut suam pro nobis animam posuerit: quæ ecclesia viros e suis doctrina, virtute, & nobilitate insignes gentium omnium obsequio & saluti devovet, sic, ut relinquant omnia, seque infidelium ludibriis ac crudelitati, ærumnis & morti ipsi exponant; hæc caritate superat alias quæ sibi unis serviunt, neque curam nationum aliarum ullam suscipiunt.

Secunda ecclesiæ Christi nota, quod in omnes orbis partes præcones fidei magistrosque morum emittat ad finem usque & occasum mundi.

Hinc porro efflorescit nota altera, qua suam Christus Ecclesiam affecit, & agnosci voluit. Eam enim jussit divino illo caritatis igne inflammatam in universum terrarum orbem, dum stabit, viros e suis præclaros emittere, qui divinæ se gloriæ & animarum saluti impendant superque impendant. Audi enim quid Matth.

cap. 28. præcipiat: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Quod vero sic jussit, id prænuntiavit futurum Matth. cap. 24. *Prædicabitur*, inquit, *evangelium hoc in universo mundo, in testimonium omnibus gentibus.* Christi ergo ecclesia ea est, quæ docet in universo orbe servare omnia quæ mandavit Dominus, quæque prædicat ubique evangelium. Quamobrem si qua id ecclesia omittit facere, Christi ecclesia esse non potest, nisi fidei & amoris communione illi se ecclesiæ adjungat, ab qua illud efficitur. Huic enim ita si adhæret, in unam cum illa evadit ecclesiam, & quod illa facit, censeri debet & ipsa facere. Nota ista, ut recte abs te animadversum est, consequitur primam. Si enim dilectio Dei proximique in ecclesia dominetur, oportet, ut quo Deus modo salutem omnium sincere vult, sic & ipsa velit, & ubique saluti hominum procurandæ totis viribus incumbat. Nam si quis proximum videt incidisse in prædones animarum dæmonas, & vulneribus concisum perire, qualis erat quem memorat Lucas cap. 10. descendisse ab Jerusalem in Jericho, eumque immisericorditer prætereat auxilio destitutum, sacerdotis & levitæ pessimo exemplo; certe carebit omnino proximi caritate. Si qua enim esset, faceret quod optimus ille Samaritanus, manum admoveret abjecto, neque parceret vel sumptibus, vel labori, quo persanatis vulneribus ad Dei gloriam æternum viveret. Estque hoc ecclesiam Christi inter & profanas alias apertissimum discrimen; quod hæ salutem hominum parum curent, nec mittant qui devios avocent ab errore; illa vero, exemplo Christi Domini, *misereatur super turbas, quæ sunt sicut oves non habentes pastorem, & deficiunt in via.*

Tertia ecclesiæ nota, quod habeat rerum divinarum peritissimos doctores, ab quibus possit error quilibet eruditissime confutari & evelli.

Tertiam, inquit *Romanus*, superiore loco nobis notam exposuit Christus, verbis istis, *Docete omnes gentes.* Hinc enim intelligere est, debere esse in ecclesia Christi numero magno doctores: doctoris autem munus est, docere. Docere vero, nisi qui bene doctus sit, nemo potest; cum docere aliud nihil sit, quam cognitas veritates aliis suadere. Unde qui falsum tradit atque inspirat, is fallere, non docere censendus est. Et qui, quod verum est, affirmat & proponit, at quod verum id sit, demonstrare non valet; dicit ille quidem verum, sed illud non docet. Christi igitur in ecclesia oportet esse doctores, qui bene docti, recte doceant; quemadmodum Paulus asserit 1. Cor. c. 12. *Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primum apostolos,* (id est, episcopos & missionarios) *secundo prophetas,* (id est, sacrorum codicum interpretes) *tertio doctores,* (id est, theologiæ magistros) *deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.* Neque hoc arbitreris extare solummodo debuisse pri-

mis ecclesiæ temporibus; futurum hoc ad mundi usque interitum prædixit idem Paulus Eph. 4. in hæc verba: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Vides futuros semper in ecclesia Christi doctores, tandiu nimirum, quandiu sancti erunt perficiendi, & peragendum ministerium, & ædificanda, quæ Christi corpus est, ecclesia, id est, quandiu erunt homines ad ejus fidem & amorem adducendi. Quare addit futurum hoc, *donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei:* quasi diceret, donec eandem omnino fidem homines omnes profiteantur, sintque Christiani. Affert deinde rationem apostolus, cur doctores esse in ecclesia Christi oporteat, nempe *ut non jam simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Nimirum cum hæreses esse oporteat, teste Paulo; divinæ providentiæ fuit, pro singulari suavitate sua, doctores ecclesiæ suæ tradere, qui ipsam contra hæreticorum errores, astutiam, nequitiam & multiplices doctrinæ ventos tuerentur. Denique jubet nos apostolorum princeps 1. Ep. cap. 3. paratos esse semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, spe, id est, de rebus quæ ad futuram vitam pertinent, & fidei nostræ mysteriis continentur. Præstari hoc porro, nisi ab doctissimis theologis non potest. Ergo necesse est in ecclesia Christi extare doctores, qui valeant mysteria fidei omnia evolvere & obscurissimos utriusque divini instrumenti locos tractare. Quo fit ut ecclesia illa, in qua doctores nulli sunt, qui id possint, quique valeant hæreses omnes expugnare, Christi ecclesia minime sit, nisi, quod toties monui, se ecclesiæ illi conjunctissimam ostendat, in qua doctores hujuscemodi existunt. Tum enim in unam eandemque cum ipsa ecclesiam coalescet, & qui huic doctores erunt, sui erunt.

Fateor, inquit *Methodius:* erubui sæpe ab Mahometanis rogatus de mysterio *Trinitatis* & *Incarnationis*, cum non possem satis explanare quid natura esset, quid persona; quomodo Deus, cujus est natura simplicissima, tribus constet personis, & ex iis quasi confiat; quid causæ sit, ut cum Deum credamus unum, eumque profiteamur hominem factum, Filium tamen unum dicamus incarnatum, nequaquam tamen Patrem & Spiritum sanctum, quandoquidem uterque unus est cum ipso Deus; & hujuscemodi alia non pauca. Nec reperi e Christianis hic ullum qui mihi faceret satis, & nodum exolveret. An vero contendis, o Romane, subjecit *Vigilius*, ubi sint doctores, hic continuo Christi esse

ecclesiam? Hoc tantum volo, inquit *Romanus*, ubi doctores non sint, ibi Christi ecclesiam non esse. Neque satis habeo, si unus aut alter, aut pauci sint: fore enim multos Paulus innuit & ratio exigit. Quippe cum ubique terrarum Christi diffusa sit ecclesia, oportet ubique esse qui ipsam adversus innumeros ejus hostes tueantur & firment.

Quarta ecclesiæ nota, quod sit catholica, sicque toto orbe diffusa, ut nulla unquam magis.

Et quia mentionem facimus ecclesiæ per totum orbem propagatæ, sit hæc vobis alia ecclesiæ Christi nota, quod debeat illa scilicet esse catholica, id est, toto orbe diffusa. Matth. cap. 24. *Prædicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus.* Et Psal. 71. *Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum*. Et hæc nota omnium est fere optima. Illius nimirum beneficio facile agnoscitur ecclesia. Quis enim nesciat, aut si nescit, facile non discat, quænam ecclesia magis in universo orbe propagata floreat? Quare Augustinus lib. de unit. ecclesiæ cap. 2. *Quæstio*, aiebat, *inter nos versatur, ubi sit ecclesia: utrum apud nos, an apud Donatistas.* Tum addit: *Quid facturi sumus? In verbis nostris eam quæsituri, an in verbis Christi? Non audiamus, Hæc dico, hæc dicis; sed audiamus, Hæc dicit Dominus. Sunt certe libri dominici, quorum autoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus. Ibi quæramus ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. Si Christi ecclesia canonicarum scripturarum divinis & certissimis testimoniis in omnibus gentibus designata est, quidquid attulerint, & undecunque recitaverint, qui dicunt:* Ecce hic Christus, ecce illic. *Audiamus potius, si oves ejus sumus, vocem pastoris nostri dicentis:* Nolite credere. *Illæ quippe singulæ in multis gentibus, ubi ista est, non inveniuntur; hæc autem, quæ ubique, etiam ubi illæ sunt, invenitur.* Ita Augustinus, ex quo efficit Donatistarum ecclesiam non esse Christi, cum quæ ipsi adversatur ecclesia, ipsam locorum universalitate superet.

Matth. 24.

Quam vere, inquit *Vigilius*, tam admirabiliter rem edisserit Augustinus, & nos Græci ratione eadem catholicam ecclesiam immensis illis locorum spatiis describimus. Cumque pro ea preces fundimus, in eo, quod ab Basilio magno accepimus, sacro missæ officio, non oramus tantummodo pro Græcorum ecclesia, quæ ultra Ægypti, Syriæ, Russiæ & Moscoviæ fines, non protenditur: sed oramus pro Christi ecclesia, *quæ ab mundi finibus ad mundi fines propagata*, Deo fide vera obsequitur, & amore sincero famulatur. Adverte igitur, inquit *Romanus*, quæ ecclesia in orbe toto existat, & hanc Christi ecclesiam esse dicito. Verum, subjunxit *Methodius*, quæ unquam ecclesia orbem universum sic obtinuit, ut in singulis ejus partibus extiterit vel existat? Fac, respondit *Romanus*, nullam esse hujusmodi: hanc elige, quæ latius longiusque diffunditur. At cum Christus monet Patresque docent catholicam esse ecclesiam, non eo sensu dicunt, ut velint eam in singulis mundi partibus, &, si placet, pagis & domibus existere. Dicti vis est, eam sic esse in orbe diffusam, ut, vel in singulis

regionibus constituta sit, vel ita sit cuique vicina, ut facile innotescat; vel cum maximam orbis partem jam insederit, sese in dies singulos dilatet semper ac propaget. In hunc fere modum sol illuminare terram universam dicitur, inquiebat e nostris unus, quia etsi non singulis momentis omnem illuminat, quanta est, illuminat tamen partem maximam, & totam suo illuminaturus est decursu. Placuit responsum Methodio, & laudavit exemplum. Erat enim, inquit, apostolorum ætate catholica ecclesia, nec alia ratione erat, nisi quod *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quippe regiones esse non paucas constat, in quas neque ipsi per se, neque per discipulos, ætate sua penetrarunt apostoli; sic tamen sese suosque discipulos effuderunt longe lateque, ut *sonus eorum* & fama eo pervaserint, vel potuerint facile pervadere, quo ipsi non accesserunt. His adde, ait *Romanus*, ita propagatam esse per apostolos ipsos Christi religionem, ut eorum temporibus religio nulla alia pluribus in orbis partibus coleretur.

Bagot. in Apol. fidei.

Psal. 18.

Patere, inquit *Vigilius*, me tibi istud minime assentiri. Orbem enim ferme universum tum occupabat idolorum cultus impurus, vel veri numinis ignorantia. Neque vero ut Christi ecclesia tum catholica probaretur, necesse erat, illam cæteris latius permeasse; abunde erat, quod permeaverat plurimum, & continuo permearet magis ac magis, quo sol modo universæ terræ illucet, uti mox explanabas. Unde merito vates regius hac usus est voce, *Exivit in omnem terram sonus eorum*, id est, cœpit progredi ac propagari; non autem ista, *Penetravit & subiit:* cum intelligeret catholicam eo dici ecclesiam, quod propagatione perpetua, incipiens ab Jerusalem, ut habet Luc. cap. 24. indeque exiens per gentes omnes diffunderetur. Præclare sentis, reposuit *Romanus:* at quod a me modo pronuntiatum est, & verissimum est, & notatu dignissimum, teque illud mihi statim assensurum minime dubito. Idolorum enim cultus, qui tum orbe toto insederat, religio erat non una, sed multiplex. Una fuisset, si eorundem idolorum in venerationem populi ubique omnes conspirassent; sed cum alii alia colerent, tam erant religiones variæ, quam varia erant idolorum genera, quorum se cultui devoverant.

Video jam, inquit *Vigilius*, Romanum interpellans, video, quo tua pertineat oratio, sentio quid velis, & sum tecum. Nempe cum esset in varias idolorum religiones divisus orbis, nulla ita florebat, ut ubique esset, aut tot certe in locis, quot invaserat sancta Christi ecclesia. Eo enim inducta est ab piscatoribus duodecim abjectis & inopibus, quo suum inferre nomen deosque suos vis Romana nunquam potuit. Quod testatur Paulus epistola ad Colossenses sua cap. 1. *Evangelium pervenit ad vos, sicut in universo mundo, & fructificat.* Romani præterea, quos jugo suo populos subjecerant, eos neque ab patria religione dimovere curabant, neque Romanæ cogebant religioni servire, nisi me fefellerunt e vestris eruditi viri, ab quibus ita didici. Vere illi narrarunt,

inquit *Romanus:* neque enim extra Christi ecclesiam homines reperire est, qui vel quæ sua sunt obliti, Dei unius gloriæ studeant, vel multum sint de gloria Dei & hominum salute procuranda solliciti. Est igitur vera Christi ecclesia quæ catholica est, & vel universo terrarum in orbe existit, vel plures ejus partes obtinet, quam quævis alia, deque die in diem propagatur magis ac magis. Quænam vero ex omnibus ejusmodi sit negotio nullo quivis agnoscat. Animadverte autem non esse catholicam eam solam quæ sic per se diffusa est, verum & aliam quamlibet ecclesiam privatam, etiamsi paucissimis in locis vigeat, dummodo illi adhæreat ecclesiæ, quæ ubique terrarum est, ejusque se partem esse profiteatur. Tum enim catholica erit, ibique, ubicunque ecclesia illa universalissima, quacum fide & amore est una. Ubi enim caput corpusque existit, ibi manum & quamlibet aliam corporis partem esse dicimus.

Ad hanc tam illustrem ecclesiæ notam, nota alia revocari potest, quam tradit Malachias cap. 1. cum ait Christi sacrificium apud gentes omnes ab ecclesia vera offerendum. Sic enim Deus ipse loquitur: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & offertur nomini meo oblatio munda*, (Hebraice *mincha*, id est, sacrificium ex pane vel farina confectum, de quo consule Levit. cap. 2. *quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Dicito nunc quænam ecclesia missam celebrat non modo in Turcarum imperio & vicinis regionibus, sed in regnis etiam remotioribus, in Indiis, apud Sinas, in Japonia, in novo orbe, in Hispania, in Franciæ, in Germania, uno verbo *ab ortu solis usque ad occasum*; dubium esse non poterit, quin hæc vera Christi ecclesia sit. Et, si qua natio ab ea sese eximat, quamvis se Christi dicat ecclesiam, non ea tamen est, cum missam *ab ortu solis usque ad occasum* non celebret, nec celebraverit aliquando.

Audieram, inquit *Vigilius*, & ratione alia catholicam appellari ecclesiam, de qua adverto te silere, nempe hominum consideratione & temporum, quod ea genus hominum omne sinu suo excipiat, &, qualis primum est ab Christo instituta, eo statu omnibus omnino sæculis perseveret: quippe, ut est in psalmo 47. Deus fundavit eam in æternum, suumque ipsi Christus Dominus dedit spiritum, qui cum ea in æternum maneat, & omnem edoceat veritatem. Novimus, reposuit *Romanus*, & ista consideratione catholicam nuncupari ecclesiam: sed jubent nos sanctissimi Patres ad locorum universalitatem, quam celebrant sacri codices, in primis attendere, quia illam facile quivis advertit, cum seriem istam temporum longioris & difficilioris sit operæ indagare, nec illam videant, nisi viri docti. Notas autem ecclesiæ hic eas describo, quæ feriant vel indoctissimorum oculos. Voluit enim iis Deus ut ceteris apparere ecclesiam. Quod vero hominum universalitatem admittat quoque Christi ecclesia, id consulto prætermisi, cum sectarum vix ulla sit, quæ id ipsum non profiteatur & clamet. Quamquam animadvertere est

hoc differre ab aliis Chriſti eccleſiam, quod quæ vel ſchiſmaticæ ſunt vel hæreticæ, ut vulgo fit, nullam hominum nationem ſibi aggregent, niſi quæ ſuos in ritus juret, patriis abjectis, non modo non contemnendis, ſed etiam laude dignis: catholica vero Chriſtum intuita, *qui ſibi non placuit*, nec ipſa quærens quæ ſua ſunt, complectatur omnes, ſuiſque illas moribus, ſi fidei conſonant, ſinat vivere. *Debemus* enim *nos firmiores*, ut ait Paulus, *imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Unuſquiſque proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem.*

Rom. 15.

Rom. 15.

Quinta eccleſiæ nota, quod apoſtolica ſit, id eſt, in Petro fundata, & qualis apoſtolorum ætate fuit.

Bene eſt, inquit *Methodius*: perge ergo, & alias nobis eccleſiæ notas recenſe. Apoſtolicam quoque eccleſiam eſſe, repoſuit *Romanus*, nemo noſtrum eſt, qui neſciat, ſi fidei ſciat ſymbolum, quod eſt ab Nicænis Patribus ex evangelii doctrina conſcriptum. Eccleſiam porro confitemur apoſtolicam, tum quia per apoſtolos ab Chriſto conſtituta eſt, & qualem habuerunt apoſtoli, eam nos nullo diſcrimine, & plane ſimilem obtinemus. Facilius eſt enim, ut notat Chryſoſtomus, extingui ſolem, quam eccleſiam deleri: tum quia ſupra Petrum apoſtolum illam Dominus extruxit, cum diceret: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam; & tibi dabo claves regni cælorum; & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Jam etſi fortaſſe arduum eſt, ut quiſque videat, quænam eccleſia eo ſtatu ſit, quo fuit eccleſia apoſtolorum temporibus: at facile eſt, ut advertat quænam Petrum habeat, cujus eſt, cum ejus fides deficere non poſſit, fratres ſuos confirmare; quænam in petra illa ſit extructa, quam vires creatæ nullæ poſſunt vel tollere vel effringere. Ea ſcilicet procul dubio apoſtolica eſt, in qua Petrus in ſuis ſucceſſoribus vivit & judicat, cui Chriſtus non agnos modo ſuos, id eſt, eccleſiæ plebem, ſed etiam oves paſcendas, id eſt, plebis Chriſtianæ patres regendos tradidit. Ut enim oves agnorum matres, ſic epiſcopi Chriſtianorum patres merito appellantur. Mihi in mentem non venit quo ſenſu alio eccleſia dici poſſit apoſtolica. Neceſſe eſt, inquit *Methodius*, vel utroque dicatur, vel alterutro.

Hom. 4. in cap. 6. Iſai.

Matt. 16.

Luc. 22.

Syn. Eph.

Sexta eccleſiæ nota, quod una ſit fidei, ſacramentorum, & capitis unitate ſic firma & ſtabili, ut everti non poſſit.

Nota alia eſt, ſubjecit *Romanus*, quam ſymbolum offert primam, cum docet eccleſiam eſſe UNAM. Et merito quidem primam exhibet, ut cum unam eſſe intelligimus eccleſiam, in qua poſſumus ſalutem conſequi, illam ſtudio omni perquiramus & amplectamur inventam. *Alias oves habeo*, inquiebat Chriſtus Dominus, *quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, ut fiat unum ovile & unus paſtor.* Nempe niſi in hoc uno exiſtant ovili, ſalvæ eſſe non poſſunt. Inde eſt, ut apud Matthæum cap. 24. eccleſiam ſuam Chriſtus familiæ unius ſimilitudine deſcribat, & cap. 21. illam regnum unum eſſe demonſtret. Paulus vero, Rom. 12. eam corpus unum eſſe oſtendit. Quare eccleſia Chriſti una eo modo eſt, quo familia eſt una,

Ioan. 10.

& regnum unum, & unum corpus. Atque ut nos illam corporis unius in exemplo contemplemur: non esset corpus unum ecclesia, si capita haberet plura. Unius enim corporis, nisi monstrum sit, caput unum est: si in ea multiplex & opposita fidei doctrina esset, & sacramenta varia aliis alia: nam unius corporis mens una est: mens autem una, unius sententiæ est, neque sentire verbi gratia potest Christum esse Deum, simulque non esse Deum, credere. Atque unius præterea corporis communi nervorum nexu copulantur membra, & eodem vivunt sanguine, ac spiritu uno moventur. Sacramentis autem Spiritus ecclesiæ & sanguis Christi continetur totus, eorumque ope Christianis infunditur, atque ipsorum communione, uno quasi vinculo, connectuntur inter sese Christiani orthodoxi in societatem unam, & ab cœtibus hominum aliis separantur. Quamobrem exclamat Paulus Eph. 4. *Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestra, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Ergo ecclesia una est, cujus fides una, una sacramenta, & caput unum. Animadverte porro, cum sint aspectabilia ecclesiæ membra, debere quoque ipsius caput oculis subjici, ne sit sacrum illud corpus portenti instar.

Crediderim ego, inquit *Methodius*, ut ex ecclesiis multis existat una, satis esse, si fidem illæ profiteantur unam, & iisdem utantur legibus, & institutis: etiamsi qui singulas illas regunt ecclesias, superiorem sibi, præter Christum, agnoscant neminem. Velim tu, reposuit *Romanus*, te ipsum refellas. Quæro: Cum Arcadius imperabat olim in Oriente, in Occidente Honorius, unumne erat tum Orientis & Occidentis imperium? Respondit *Methodius*, duplex fuisse. Verum, inquit *Romanus*, cogita easdem fuisse in Oriente & Occidente leges, quarum ex præscripto uterque administraret imperium. Quid refert, subjecit *Methodius*? suo Arcadius arbitratu suis in partibus regnabat, suo Honorius in Occidente, nec ab altero alter pendebat. Atque adeo quemadmodum imperabant duo, sic duo erant imperia. Neque enim dominabatur in Oriente Honorius, neque regnabat in Occidente Arcadius. Non absimili ratione, inquit *Romanus*, sic pronuntia; & si ecclesiæ variæ fide eadem, iisdemque gaudent institutis, si rectores habent, quorum alter minime ab altero pendeat, unam constituere ecclesiam non possunt. Ut enim non imperabat in Occidente Arcadius, aut Honorius in Oriente, eaque propter unum non erat utriusque imperium: ita hic hujus ecclesiæ rector jus in alia non dicit, aut rector illius in ista præest. Quare duæ sunt ecclesiæ, non una. Sed pendent omnes, inquit *Methodius*, ab uno summo rectore Christo, ut ab uno summo capite membra corporis. Verum, reposuit *Romanus*, etiamsi Honorius atque Arcadius ab Deo sic, quasi ab uno summo rege penderent, non erat tamen unum utriusque imperium. Non erat, respondit *Methodius*, sed

esse

esse tamen poterat. Poterant capita illa imperii duo unum esse, si communi scilicet consilio & autoritate administrassent orbis imperium; quemadmodum præsides ecclesiarum majores ecclesiam totam regunt. Hic *Romanus*, Etsi, inquit, communi consilio & communibus legibus præsides ecclesiarum majores ponamus uti, non magis communi tamen & indistincta autoritate ecclesiam totam administrant, quam regebant olim orbis imperium Arcadius & Honorius. Neque enim Antiochenus antistes Constantinopoli jus dicit, neque Constantinopolitanus Antiochiæ. Deinde ubi meminerunt vel sacri codices vel Patres, caput ecclesiæ ex majorum ecclesiarum capitibus coalescere? Audimus Apostolos majorum ecclesiarum capita extitisse & principes; sed legimus in Græcis, Latinis & Arabicis libris, principum illorum principem & caput fuisse Petrum. Qui factum est, ut quod erat olim in uno caput ecclesiæ aspectabile, jam sit in pluribus? Verum de hoc alias bene multis. Quæsivit hic *Methodius* ab Romano, unde apparere possit, quæ ecclesia magis, aliisque omnibus perfectius una sit. Respondit esse illam perfectiore modo unam, quæ non modo fidei & sacramentorum unitatem majorem habet, sed quæ valet illam tutius & minime læsam institutis suis servare; quo maxime confert capitis unitas illa, de qua mox agebamus. Fieri, inquit *Methodius*, ni fallor, potest, ut peræque hæreticorum ecclesia sit valde una, si nempe omnes, & in uno dogmate consentiant, & patriarcham habeant pro toto orbe unum, cujus ex nutu ab aliis antistitibus administrentur omnia. Vix illud contingat unquam, inquit *Romanus*, quod nunquam evenit hactenus. Vel enim hæretici illi docti erunt, vel indocti. Convenire inter sese ignari in sentiendo nequeunt, qui, quid sibi sentiendum sit, ignorant. Longius abest, ut id docti valeant. Cum enim suo, non ecclesiæ judicio res æstiment & definiant, quam vario erunt ingenio, tam variis distrahentur opinionibus. Et ut Nestorius, exempli causa, sibi licere putavit pronuntiare quod placuit, nihil sibi minus concedi arbitrabuntur. Fac autem, si sic allubet, hæreticorum ecclesiam aliquam esse in omnibus plane unam, non habebit tamen illa in sese, quo servet illæsam unitatem illam; cum capite illo careat, pro quo Dominus oravit ut non deficiat fides ejus, nec illi petræ incumbat, quam evertere inferorum portæ non possunt. Nec aio hoc ipso, quo ecclesia aliqua est una, eam continuo esse Christi, nisi notas habeat ceteras, quibus suam Christus affecit ecclesiam. Christi ecclesia ex necessitate est quidem una, sed est præterea sancta, apostolica, signisque prædita pluribus aliis, quorum vel uno si careat, Christi ecclesia esse non potest. Doce ergo, inquit *Vigilius*, quænam illa sit, quæ nullo careat.

Dicam, reposuit *Romanus*, si prius patimini commemorare me notam aliam, quæ omnium est facile præstantissima. Ea est, ne vos morer, vis patrandi miracula. Audi Christum: *Signa eos*

Septima Ecclesia nota, vis patrandi miracula certa, plurima, & in fidei confirmationem.

qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non iis nocebit; ſuper agros manus imponent, & bene habebunt. Quid id eſt, rogavit præ admiratione *Vigilius?* Viſne dicto illo tuo efficere, quotquot in eccleſia vera continentur, illos edendorum vim miraculorum accepiſſe, eumque qui recitata abs te portenta non patret, e Chriſti grege abeſſe. Iſtud a me neque dictum eſt, neque ab Chriſto Domino pronunciatum unquam. Nec enim fore Chriſtus aſſerit, ut ſigna illa *omnes & ſingulos*, qui ſunt credituri, conſequantur, quaſi illa ipſi ſint effecturi. Quare univerſim non dixit, *omnes*, ſed ſtrictiore ſignificato, *eos qui crediderint*. Qua voce hoc docuit, illos qui in credentium cœtu veraque eccleſia non extiterint, miraculis, quibus autoritatem religioni ſuæ faciant, carituros; eos autem qui eccleſiæ veræ nomen dederint, apud ſe admiranda illa ſigna habituros, non quæ ex dicti neceſſitate ipſi edant, ſed quæ ſaltem ab iis efficiantur, quibuſcum in unam aggregantur eccleſiam. Quemadmodum cum in eodem illo evangelii loco Chriſtus protulit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; non eo protulit, quaſi omnes, qui crediderint, & baptizati fuerint, ſalutem ſint adepturi. Hoc tantum ſignificavit futurum neminem ſalvum, niſi qui fidem profeſſus fuerit, & ſacro fonte ablutus. Sic quando aſſerit, ſigna eos, qui crediderint, ſecutura, non ſecutura omnes affirmat: hoc dumtaxat edocet, neminem, niſi eccleſiæ adſcriptus ſit, religionem ſuam poſſe miraculis veram probare: futuros autem in eccleſia ſaltem aliquos, qui poſſint iſtud & efficiant; illos ſcilicet, quibus vis hæc divina ſupremi conceſſu numinis obtigerit. Non ſatis capio, inquit *Methodius*, cur miracula in ſignum veræ eccleſiæ apponas; cum reperiantur etiam in profana, eaque ab viris etiam fide divina deſtitutis, perpetrata. Legimus pſeudo-prophetam Balaamum in veteri lege mira de Chriſto venturo prænuntiantem. Audimus ſybillarum oracula. Norant apoſtoli quemdam dæmonia ejicientem, eumque, quod Chriſti diſcipulus non eſſet, ab ſanctiſſimo illius uſurpando nomine prohibebant. Ferunt Veſpaſianum imper. & quoſdam ex ethnicis alios, neſcioqua effeciſſe viribus humanis ſuperiora. Atque hos omnes ut faciam miſſos, ſecta nulla eſt, quæ edita per ſuos miracula non deprædicet.


Qua igitur ratione tot inter diſcrepantes ſectas, ab falſa religione veram miraculorum beneficio ſecernemus? Duplici, inquit *Romanus*, quod poſtulas, via potes aſſequi. Prima eſt, ſi, quem noveris miracula perpetrantem, eo fine hoc agat, ut religionem ſuam conteſtetur eſſe divinam. Conſtat enim non poſſe, quod falſum eſt, miraculo comprobari. *Quippe facit mirabilia magna ſolus, qui Deus Deorum eſt, & dominus dominantium.* Cum igitur petit a Deo aliquis, hominem v. g. vita functum e mortuis excitari, quo dicenti ſibi fides habeatur; ſi Deus illum excitat, fit dicenti teſtis, dictumque ejus hoc mi-

raculo quasi divinitatis sigillo obsignat. Testari autem falsum Deus non potest. Ergo cum dicenti religionem suam veram esse, testis accedit per miraculum; necesse est, religio illa vera sit. Hinc intellige, etiamsi demus ex ethnicis aliquos miraculis nonnullis claruisse, quod merito multi pernegant, non sequi tamen veram illorum religionem fuisse, cum illa ideo non sint perpetrata, ut ipsius adstrueretur veritas, sed ut vera aliqua divini numinis perfectio appareret. Sybillas autem fide caruisse, vix adduci possum ut assentiar.

Est & via altera, qua miraculorum intuitu ad veræ ecclesiæ cognitionem pervenias. Nempe si qua in ecclesia videas vera, crebra & magna edi miracula, & ab iis edi, qui fidem illius & placita sectantur; in aliis autem ecclesiis vel nulla, vel dubia reperiri, eaque minime ab illis patrata qui istis nunc cœtibus continentur: dubium esse non potest, quin ecclesia illa tot ac tantorum miraculorum gloria nobilis, veritate potiatur. Si enim miracula cum plurima, tum illustria in ecclesia hæretica Deus faceret, nimiopere allicerentur homines, ut ei se adjungerent, quam scilicet non abs re interpretarentur Deo pergratam. Et autor esset tentationis, qui *intentator malorum*, & unus miraculorum autor est Deus. Atque adeo miracula tot ac tanta ab ipso, nisi in vera ecclesia, fieri non possunt. *Ipse enim neminem tentat.* *Iac. Ep.*

Planum est quod doces, inquit *Vigilius*, & qui ad miraculorum lucem ecclesiam Christi veram non agnoscat, is vel solem ex radiis suis non videat. Jam ex te quæro, cum multæ sint Christi ecclesiæ, uti vestra Latinorum, Græcorum nostra, Maronitarum alia, alia Armenorum, Surianorum & Coptorum: edoce quo demum modo recensitæ illæ notæ omnes singulis illis ecclesiis conveniunt. Nam si Christi ecclesiæ sunt, iis debent fulgere notis, quas ecclesiæ suæ Christus affixit. Rem petis, inquit *Romanus*, non admodum arduam. Verum æquius est, ut suæ unusquisque ecclesiæ demonstret insignia. Mihi, qui summo Dei beneficio Romanæ ecclesiæ sum sacerdos, satis hoc erit, si illam vobis repræsentem omnibus illis ecclesiæ veræ signis ornatam & illustrem, ut animo & corpore sit cæcus, qui illam non videat verissimam esse Christi ecclesiam. Hoc Romani consilium arrisit omnibus, & officiosis verbis ad dicendum compulsus, in hunc modum exorsus est.





CONTINUATIO DIALOGI.

Romanam ecclesiam esse Christi ecclesiam: nullam aliam esse posse, nisi illi fidei & sacramentorum communione ut membrum capiti, adhæreat.

EAM esse, inquit *Romanus*, concessistis Christi ecclesiam, quæ omnium sanctissima sit. Absit enim ut ecclesiam satanæ ecclesia Dei judicemus sanctiorem. Venit enim Christus, *ut* sui *vitam habeant, & abundantius habeant* cæteris omnibus, eosque jussit esse perfectos, sicut cælestis Pater perfectus est: qua perfectione fingi nulla major omnino potest. Omnium autem sanctissima illa ecclesia jure censetur, quæ & diviniora præcipit, & homines efficit, habetque diviniores. Quod ad præcipiendum pertinet, mihi, inquit *Vigilius*, Christianæ ecclesiæ omnes videntur pares. Quæ enim omnium ea quæ sacris codicibus docentur, non præcipit, & suorum mores ex evangelicis mandatis non informat? Nihil autem institui ad rectam morum disciplinam potest, quod non sit in instrumento novo ab Christo & apostolis constitutum. Nam quis Christo & apostolis magis sapiat? Nemo profecto, inquit *Romanus*: at hæreticorum tamen ecclesiæ quæ se venditant Christianas, & evangelicarum institutionum tenaciores, audisti quam impia de Deo, quam nefaria de hominum libero arbitrio & factis edoceant. Nihilo in multis sceleratius circa morum disciplinam peccant. Vota effringi sine crimine, clamitant; nolunt violato jejunio peccari; moniales & monachos & sacerdotes laudant, si repudiata continentia matrimonium ineant; vinculum matrimonii abscindunt; quod Deus conjunxit, ipsi homunciones separant; & ubi ab uxore vel viro admissum flagitium est, quod probis non licet, volunt improbis illis alias licere nuptias: aliaque monstra pariunt, quæ prodere grave est. Verum cum ecclesiæ illæ omnes quæ Christiano nomine gloriantur, eodem fruantur evangelio, fac eas nulla re bonis moribus adversari. Fons erit idem sanctitatis omnis in qualibet ecclesia, idem nempe evangelium; sed non pari copia efficientiaque, salutis ac perfectionis aquæ ab illo fonte in quacunque ecclesia deducentur. Præcepta evangelii atque consilia omnes æque promulgabunt, prout legent in sacro volumine descripta: sed non æque omnes præcepti aut consilii vim pervidebunt, aut illius adimplendi modum præscribent. Sed quæ Christi vera est ecclesia, cum tota sit lux in Domino, & virtute corroboretur per spiritum ejus, habeatque per fidem habitantem in sese Christum, comprehendit

Ioan. 10.

quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum; scit etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi, ut impleatur in omnem Dei plenitudinem. Verbo dicam, vera Dei ecclesia de divinis docet divinius, & summæ perfectionis vias explanat magis, in easque efficientius inducit. *Eph. c. 5.*

I. *Romana ecclesia sanctitate nulli secunda.*

Jam rogo vos, quænam ecclesia magis quæ Dei sunt novit, quam Romana ecclesia. Ita novit, (sinite me verum eloqui) ut nemo jam ea penitius norit in toto terrarum orbe, nisi qui ab illa didicerit. Arguite, si mentior, & date vel unum apud vos theologum, qui non fuerit ecclesiæ Romanæ vel filius, vel discipulus. Sed vitæ spiritualis & divinæ semitas omnes quænam ecclesia peræque aperit & frequentat? Theologorum millia vides apud Romanos bene multa, sed longe plura spiritualium magistrorum, qui, quæ sunt spiritus, tam admirabiliter intelligunt & docent, ut sensa adeo divina, non aliunde, quam e Dei ipsius sinu accepta esse & hausta facile pronunties. Atque hoc nusquam hac ætate, nisi Romana in ecclesia reperias. Velim a vobis e vestris vel unum, qui orationis illius, quæ mente peragitur, gradus omnes & arcana capiat; qui vitæ agentis & contemplantis, & ejus, quæ ex utraque temperatur, normam ac leges teneat, & explicet; qui mortificandi, ut aiunt, non tantum corporis, sed & spiritus artem calleat. Jam cum, teste Paulo, *quæ Dei sunt, nemo cognoscat, nisi spiritus Dei*, cumque illa sint ecclesiæ Romanæ adeo perspecta, necesse est, ut spiritu illo sit plena, quem daturum se suis Christus promisit, ut cum ipsis æternum permaneat, omnemque illos edoceat veritatem. Habere autem spiritum illum non potest, nisi quæ vera sit Christi ecclesia. Porro Dei lucem hanc immensam non videt modo ecclesia Romana, sed in ea quoque ambulat. Qua enim in ecclesia sanctius vivitur? Sanctitas omnis puritate animi & adhæsione cum Deo definitur. Comparatur autem illa instrumentis quibusdam idoneis, quæ utenda nobis Christus tradidit; atque ea, qui sibi magis adhibet, alios vitæ sanctimonia superat. Sunt autem in primis duo, quæ Pœnitentiæ & Eucharistiæ nomine appellant. Pœnitentia purgatur animus: Eucharistia sic unitur Deo, ut unus cum illo spiritus fiat, & corpus cum Christo unum. Utriusque usus qualis sit in ecclesia Romana, paucis enarro. *1. Cor. 2.* *Ioan. c. 14.*

Sacerdotum plerique Eucharistiam diebus singulis conficiunt, iique, si sunt religionis vinculo devincti, vix est, ut ab faciendo sacro vel uno die abstineant. Nec faciunt, nisi depositis prævia confessione peccatis. Qui religiosæ vitæ nomen dederunt, si non sunt e numero sacerdotum, ii fere omnes pro lege habent, ut octavo quoque ad minimum die deificante illo epulo fruantur: & sæpius, quam multi! Fit idem ab religiosis fœminis. Admirabilius est, quod id etiam familiare sit vel iis, qui laicorum & sæcularium in ordine versantur. Quot enim dominicis singulis diebus, vel singulis saltem mensibus Christo pascuntur. Exemplum accipe in urbe, quæ civium multitu-

dine Halepum adæquet, vel Damascum: parum dicam, si affirmem plures quam millia quindecim hoc habere in usu, ut in Domini atque Deiparæ festis, hoc est, singulis fere mensibus communicent; singulis vero hebdomadis supra millia quatuor. Si quis autem bis in anno terve dumtaxat accedat ad pavenda mysteria, videtur in cultu divino remissioris esse animi, nec satis æternæ gloriæ salutisque studiosus. Quo vero apparatu, qua fide, qua modestia, quo metu sacræ illi mensæ assistunt! Ex communicantium numero, pœnitentium multitudinem æstima. Et quam bene, quam fructuose peccatorum fiat confessio, intellige ex sacerdotum, qui ad id muneris deliguntur, virtute & scientia. Neque enim temere hoc cuivis mandatur; sed ei, quem post accuratum examen theologi ab antistite delecti dignum judicaverint. Adde hoc esse hominibus innumeris positum in more, ut diebus singulis ante somnum, rationem non factorum modo & dictorum, sed & cogitatorum ab sese repetant, & quidquid peccaverint, conentur animi dolore & proposito confitendi eluere. Non dico quam multi soleant suos sæpissime adire vitæ spiritualis magistros, eisque arcana cordis omnia retegere, ut norint quid sibi cavendum, quid agendum, quo possint secura in omnibus via ad Deum tendere, eique placere. Sacrum die festo vel semel omittere in ecclesia Romana gravissimum facinus est. Dici non potest, quam multis consuetum, ut divino illi officio quotidie intersint. Jam vero quid commemorem pietatis sodalitia varia? Sunt autem sodalitia illa cœtus hominum sacratissimi, qui se piis quibusdam legibus ad Dei gloriam obligarunt. Leges autem illæ sunt v. g. ut certas quasdam quotidie preces persolvant; toties in mense simul conveniant; toties confiteantur & communicent; aliaque & alia virtutum officia obeant ad miserorum solatium, & divinæ gloriæ propagationem.

Sanctitatem autem ecclesiæ in sacerdotibus potissimum & episcopis elucere necesse est. Sunt enim *lux mundi*, cujus beneficio tenebræ depelluntur, & rebus omnibus cum colore decor accedit. Sunt & *terræ sal*, cujus admixtione conferri sapor omnibus debet, quo Deo placeant. Si quis ad sacerdotii dignitatem viam sibi gradumque pecunia vel muneribus fecerit, cum sit illud atrocissimum contra Dei & ecclesiæ & naturæ ipsius leges flagitium, gravissimis & ignominia plenis in eum pœnis animadvertitur. Nullus nisi peritus, qui preces, quas pro suo munere recitat in templo, norit interpretari, & Christianæ legis mysteria bene didicerit, sacerdotio donatur. An sciat autem, severo examine theologi explorant. Constat divina lege sacerdotum conjugia minime prohiberi: sed est fide Christiana certissimum, conjugio præstare continentiam, eamque maxime sacerdotes decere; quippe qui Christum virginem in sese exhibent, & totos se in obsequium Dei & ecclesiæ tenentur

impendere. Quod etsi fieri fortassis potest ab uxoratis, fieri tamen perarduum est, corde Deum inter conjugemque & liberos diviso. Testes mihi opto conjugatos ipsos: dicant quantum ab divinis cogitationibus avertat liberorum cura, amorque uxoris. Si tacent, testem habemus, quem nefas est excipere, Spiritum sanctum 1. Cor. cap. 7. *Qui sine uxore est*, inquit Paulo interprete, *sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Idcirco Romana ecclesia non sacerdotes modo, sed diaconos ipsos, & subdiaconos ex iis deligit, qui promissa Deo castitate carnis voluptates repudiant, tum ut purius orationi vacent, & divina pertractent mysteria, tum ne alendis & locupletandis liberis impediti, minus sese impendant sanctificandis sibi concreditis a Deo populis. Quot sunt ubique instituta seminaria, in quibus & leges ecclesiæ edocentur clerici, & ad omnem erudiuntur virtutem! Quanta cura annis singulis ecclesias omnes suas vel per se antistites, vel per vicarios lustrant, accceptis sæpissime secum concionatoribus, qui plebem ad Dei cultum omni arte invitent & adducant? Quid commemorem tot apertas religiosas domos, in quas se non sacerdotes tantum, sed e laicis bene multi ad exercitia spiritus per octo decemve dies recipiunt? Quod si jam religiosas placet intueri familias seu virorum seu fæminarum, nusquam gentium cœnobia vel numero plura, vel sanctitate regularum munitiora, vel præpositorum vigilantia tutiora, vel disciplinæ observatione laudabiliora, vel severioris vitæ studio clariora, vel despectu mundi totius illustriora, vel comparandæ perfectionis eximiæ zelo magis incensa. Jam illis in cœnobiis quot millia videre est virorum fæminarumque nobilium, qui spretis opibus amplissimis, maximisque proculcatis honoribus, omnia existimant detrimentum esse, ut Christum lucrifaciant. Religioso nefas est extra cœnobium vivere, aut, quæ placent, pro arbitrio suo facere; sibi pecuniæ aliquid possidere, flagitium; Dei nomen jurando appellare, portentum quasi inauditum; surgere, dormire, edere qua libuerit hora, peccatum; pedem domo efferre sine facultate superioris, aut sine teste factorum socio, piaculum; sacerdotia, cœnobia, sacras dignitates nundinari, scelus est crimine omni detestabilius. Ubique in cœnobiis inculcatur Dei memoria vel scriptorum vel imaginum objectu; ubique indicitur silentium; ubique ante oculos vitæ sanctissimæ exempla versantur. Eo ista abs me non proferuntur, ut sanctos esse asseram, quotquot religiosa veste induuntur. Nam si e duodecim apostolis Christi fuit *unus*, ut evangelii verbis utar, *diabolus*, & diabolo nequior; *Ioan. 6.* mirum videri minime debet inter tot millia numerari aliquos vitæ solutioris: sed constat admirabili sanctitate florere plurimos, eosque ingenti numero singulis in ordinibus. Porro nihil æque me afficit

atque demissio illa animi & in agendo simplicitas, quam familiarem esse tot ac tantis viris, pietate, doctrina & genere illustribus conspexi.

Aliud est eximium in ecclesia Romana sanctitatis argumentum: contemplationis scilicet donum insigne, quo Deus sese animis suavissime infundens, mansionemque ibi quasi defigens, amicissime cum homine colloquitur, & tanto lumine mentem perfundit, ut ea sæpe vir indoctus & indocta puella in divinis rebus perspiciat, ad quæ humani vis ingenii & acumen pervenire non potest. Ego certe rusticum novi non alia quam effodiendæ & amputandæ vineæ scientia præditum, quem Deus inter orandum sic identidem rapiebat, ut illum per horas plures, sine ullo rerum extra se positarum sensu, divinitati detineret immersum. Isque librum ex iis quæ ab Deo, inter contemplandum, didicerat, conscripsit, cujus admiratione doctores capti non potuerunt induci, ut crederent autore rustico prodiisse, donec illum de rebus in eo scriptis admirabilius respondentem audierunt. Novi & religiosam virginem, quæ ab Dei aspectu nunquam animo aberat, eamque audivi de rebus cælestibus, Deique ipsius perfectionibus ita disserentem, ut admirabiliora nunquam legisse me in theologorum commentariis meminerim. Donum autem illud, etsi rarum est, Deus in ecclesia Romana concedit multis non religiosis modo hominibus, sed sæcularibus. Audivi venerandum e Græcis Monachis sacerdotem Sophronium, cum mihi Damasci commoranti narraret, se Jerosolymis in sanctissimæ resurrectionis templo æditui munere defungentem vidisse e religiosis Francis unum e S. Francisci familia, qui, cum sub noctis initium expansis in crucis formam manibus in sacratissimo Calvariæ monte orationi se dedisset, noctem totam eodem situ raptus extra se in contemplando traduxit; neque sibi redditus est, nisi illucescente aurora, cujus ut persensit lumen, subito recessit, ne ab hominibus videretur.

Communis est oratio mentis, qua oratione via nulla est ad consequendam salutem compendiosior, de qua Christus Dominus Matth. 6. cap. *Cum oraveris, intra in cubiculum tuum*, (cubiculum scilicet cordis) *& clauso ostio* (oris nempe ostio) *ora Patrem in abscondito; & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi*. De qua & Paulus: *Orabo spiritu, orabo & mente*. Atque ejus quidem in sese expertus vim & fructum, scribebat ad Ephesios cap. 5. *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismet ipsis in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in vobismet ipsis Domino, gratias agentes pro omnibus in nomine Domini nostri* JESU CHRISTI *Deo & Patri*. Hoc Domini consilium, ne dicam præceptum, haud scio an usquam præterquam in ecclesia Romana excipiatur pro merito, & in usu sit. Aliarum quidem ecclesiarum neminem vidi, qui vel

vel hoc, quid rei esset, agnosceret, nedum usurparet.

Sed quid pluribus ista prosequor? Testem te appello, Vigili, te, inquam, qui in regionibus ecclesiæ Romanæ ritum observantibus, peregrinatus fuisti. An vidisti aliis in locis magis ex evangelii placitis florere pietatem. Nimium sit, inquit *Vigilius*, nimium ad mentiendum audax & projectus, qui abs te mox commemorata inficiatur. Vidi, audivi, exploravi Romanæ ecclesiæ sanctitatem; nihil illi in orbe par & simile reperire est.

Tempus me deficeret, subjecit *Romanus*, si ego nunc huc referrem virorum omnium illustrium gesta, qui hoc & superiore sæculo in Romana ecclesia extiterunt, qui propter excellentissimam virtutem & contestatissima miracula, sanctorum albo fuerunt adscripti, quod idem in alia qualibet ecclesia nemo advertat.

Sed pergo ad aliam Christi ecclesiæ notam, in quam nos potissimum intueri Christus voluit, ut suam ab cæteris ecclesiam secerneremus. Est hæc proximi dilectio. *In hoc, inquit, cognoscent omnes, quia discipuli mei estis.* Quam proximi caritatem Christus ut in nobis accenderet, sibi factum esse edixit, quidquid ejus nomine hominum abjectissimo faceremus; tumque ab nobis maxime diligi Deum, cum animam nostram pro fratribus poneremus, id est, pro hominibus aliis, qui nobiscum ab una Adami stirpe prognati, naturæ communione fratres sunt. Hac demum nos dilectione, cum ad hostes ipsos extenditur, promereri, ut habeamus Deum in Patrem, Matth. 5. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui solem suum facit oriri super justos & injustos.* Et Paulus Rom. 13. legem divinam omnem ab eo impletam edocet, qui proximum amaverit. Mihi crede, Deum non amat, qui Deum amari ab aliis non curat. Quo enim modo regem & patrem diligat, qui gravissimis utrumque affici injuriis, ab multisque deseri & contemni sentiat, nec moleste id ferat, nec conetur pro viribus omnium amorem conciliare utrique? Deus vero quî ecclesiam illam non amet, quæ operam omnem adhibet, ut ipse ab omnibus colatur & ametur? Et quo fieri modo posset, ut quam Deus amat ecclesiam, ea non Dei sit, sed diaboli? Si vera igitur Dei ecclesia ea est, quæ in amando proximo alias omnes superat, nemini dubium esse potest, quin Romana ecclesia tota Dei sit. Debet, inquit Augustinus ep. 52. debet quisque diligere proximum, sicut seipsum, ut quem poterit hominem vel beneficentiæ consolatione, vel informatione doctrinæ, vel disciplinæ coercitione adducat ad colendum Deum. Vide quam studiose tria hæc ab Romana præstentur ecclesia. Beneficentiæ consolationem habes in xenodochiis, nosocomiis, & collegiis, quæ numero infinita, substructione magnifica, fidelium liberalitate opulenta passim

II. *Romana ecclesia omnes alias in amando proximo superat.*

occurrunt. Sunt pro pueris puellisque orphanis xenodochia, ubi omni cura ritu christiano educantur, & addiscunt artes, quibus, ubi adoleverint, victum sibi parent & opes. Sunt & pro fœminis, quas virtutis & rerum inopia peccato objecit, ut in iis securæ conquiescant. Sunt in multis etiam civitatibus, ubi pauperes aluntur omnes, & operibus manuum, quantum necesse est ad fugam otii, pro ipsorum viribus exercentur. Sed nihil nosocomiis illustrius: ædes regias diceres, adeo ampla sunt & magnifica. Et vero regiæ sunt, ubi scilicet Christus sub pauperum forma habitat. In iis ut plurimum vel religiosi vel moniales vel sacerdotes famulantur. Huc sæpe viri nobilissimi conveniunt, & pauperibus demissione summa serviunt. Est ubi in argenteis vasis cibos ægrotis offerunt. Visuntur ubique collegia in primariis urbibus extructa, in quibus religiosi gratuito docent. Sunt etiam ubi certum alumnorum numerum non docent modo, sed ex collegii proventu alunt. Id Romæ potissimum, ubi pontifices maximi nationibus prope omnibus hujuscemodi domos fundarunt. Illic suum Græci, Maronitæ suum, suum Angli, suum Germani & Hungari, suum Armeni, Suriani, Indi habent collegium; & in suo quisque collegio nullis suis vel patriæ suæ expensis ad duodecim & quatuordecim annos instituuntur, dum litteras omne genus & evangelica in primis dogmata didicerint. Neque ab iis exigitur aliud, nisi ut redituros se in patriam voveant, ibique se ritum suum accurate servaturos, qualem a sanctis Patribus acceperunt, daturosque pro virili operam, ut suis prosint, eorumque saluti consulant. Ubi gentium par potest beneficentia inveniri?

Alterum caritatis erga proximum officium est, *doctrinæ informatio*. Eam ob rem instituta sunt, quæ modo commendamus, collegia; & viderentur satis esse vel ardentissimæ dilectioni. Non iis tamen finibus ecclesiæ catholicæ seu Romanæ caritas se coercet. Incredibilis est ubique doctrinæ christianæ pueris & indoctis tradendæ cura. Xenodochia & nosocomia laudata non habent modo qui cibis pascant pauperum corpora, sed qui animos verbo divino. Quod illic fit, fit etiam in ergastulis & carceribus. Præterea non cessant excurrere per oppida & urbes sacerdotum & religiosorum turmæ, & validis concionibus plebem hortari, & divina doctrina locupletare. Et mirum est, quot e vitiorum exurgant cœno, & ad bonam frugem se recipiant. Mitto annis singulis non tantum lustrari ab episcopis diœcesim suam, sed cogi sacerdotum synodos, in quibus ad injunctum sibi munus strenue implendum concitantur, & varia sanciuntur ad morum emendationem inducendam & ad Dei promovendam gloriam opportuna.

Tertium ab Augustino traditur caritatis officium, estque *coercitio disciplinæ*, ut scilicet ab peccando proximus arte omni & diligen-

tia deterreatur. Artem in eo omnem & diligentiam adhibet Romana ecclesia, nec fingi quidquam animo potest, quod eo valeat, quin ipsa usurpaverit, quantum per prudentiæ leges licuit. Et, si excogitari novi aliquid potest, proponi non potest, quin statim probet & amplectatur.

Quæsivit hic *Methodius*, an ad revocandos ab peccando homines gladio uteretur ecclesia. Utitur, inquit *Romanus*, non illo quidem gladio, quo noluit Petrum uti, mitti vero in vaginam imperavit; sed *gladio spiritus, quod est verbum Dei. Vivum est enim & efficax & penetrabilius omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis*, quo chalybeus ensis pervadere non valet. Regum est & principum, qui *non sine causa gladium portant*, ferrum in sceleratos stringere, & invisum Deo sanguinem, si ita juvat, effundere. Hoc faciunt in ecclesia Romana non præcipiti furore, sed quatenus æquitatis & sapientiæ ratio suadet, nec desinit illos monere ecclesia, ne Deum offendi unquam impune patiantur. Hoc paucis dico, nullum esse regnum, ubi reges divino cultui fovendo ac propagando tantum invigilent, quantum ecclesiæ Romanæ principes.

Ephes. 6.
Hebr. 14.

III.
Ecclesia Romana catholica ubique terrarum Christi fidem sola prædicat.

Verum caritas ecclesiæ Romanæ in proximum & Deum alio ex capite magis elucet, quo mihi videntur superiora omnia, etsi admirabilitatis habent plurimum, obscurari. Quidnam vero illud est, inquit *Vigilius?* Audi, subjecit *Romanus*. Christi vera ecclesia hanc in primis præ se fert notam insignem, quod amore Dei & proximi incitata, omnes terrarum in partes sacerdotes emittat, qui salutis viam gentibus docendo aperiant, easque Christi ovili aggregent. *Euntes*, inquit Dominus, *docete omnes gentes*.·.·.·. &, *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Capis, qua in ecclesia Christus sit, sitque futurus ad mundi finem? In ea quæ viros apostolicos in mundum emittat universum, & annuntiet ubique gaudium magnum evangelium salutis. Ea vero ecclesia quænam est? An alia præter Romanam? Quæ regio sacerdotibus ad hominum salutem ab Romana ecclesia transmissis caret? *Omnia* illi *arbitrati sunt ut stercora propter eminentem scientiam* JESU-CHRISTI. Græcis ac barbaris debitores eorum se bono devoverunt, patriam deseruerunt, parentes, consanguineos, opes, animi quietem & corporis, pervadunt in omnes plagas, vicinas, remotas, torrentes, frigidas, tutas, periculosas, in montes, in deserta loca, in silvas: & ubique *in laboribus plurimis, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate & spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis se Dei ministros exhibent, & per arma justitiæ a dextris & a sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, per prospera denique & adversa*, magnis itineribus ad

cælestem patriam contendunt, eoque alios quacunque possunt opera & studio maximam Dei gloriam semper intuentes compellunt & rapiunt. Quot illi regna Christo compararunt, atque etiamnum hodie comparant non labore dumtaxat, sed suo quoque sanguine? Ut cæteros religiosos ordines omni commendatione dignos commemorare, ne prolixior sim, prætercam, minima societas JESU supra CCCXL. e suis numerat, qui centum circiter & triginta annorum spatio, dum Christi fidem invehere & tueri conantur ubique terrarum, in ejus odium ab hostibus veræ religionis interfecti sunt. Quot præterea sanctissimorum hominum millia mitti se expetunt? Et hoc maxime in votis habent, ut durissima quæque pro Christo patiantur, seque pro salute hominum impendant & superimpendant. Si vera Dei ecclesia non est, quæ tanto Christi amore & tam singulari proximi caritate flagrat, quæ Christi in orbe universo promovet fidem, & gloriam amplificat tam inflammatis animis; haud scio an ulla alia esse possit. Si quam vos nostis pro Christo plura facere, & ardentius, quæ Dei sunt, curare, & magis in fratrum salutem incumbere, hanc indicate. Perge, inquit *Vigilius*, perge: ea dixisti, quæ admirari oportet, non refellere. Neque enim ignota profers, & dubia.

IV. *Ecclesia Romana doctoribus abundat.*

Hanc veræ ecclesiæ notam, subjecit *Romanus*, consequitur necessario altera. Cum enim docere gentes universas ex Christi præcepto debeat, abundet necesse est doctoribus seu doctis magistris. Neque enim, qui nesciunt, possunt docere. Et Paulus palam affirmat futuros in Christi ecclesia ad mundi usque finem doctores, qui ecclesiam illam, quæ Christi corpus, ædificent & defendant, cum eam doctissimi hæretici, imo & ethnici oppugnabunt. Lustrate jam animo ecclesias omnes quæ Christi nomine gloriantur. Quot videre est, in quibus ne unum quidem fortasse hominem reperias, non dico qui sacræ scripturæ libros omnes intelligat, sed qui psalmos vel epistolas Pauli possit exponere, & quæ sunt in evangelio captu difficilia, plana facere? Ecclesiæ aliæ pleræque carent conciliorum & Patrum libris, & illos si qua habeat, quam pauci linguam illam interpretari norunt, qua sunt scripti, Græcam scilicet & Latinam? Et, si norunt interpretari verba, quis est qui sensum probe capiat? Cum enim exquisitissimam complectantur theologiam, qui expers sit theologiæ, addo & philosophiæ, quomodo sanctorum Patrum mentem assequetur? In ecclesiam vero Romanam confluxerunt scientiæ omnes tum sacræ, tum profanæ. In ea conspicias non modo Latinæ linguæ, Græcæ, Hebraicæ, Syriacæ, Arabicæ peritos, sed innumeros scripturarum interpretes, infinitos theologos, obvios passim, etiam in adolescentium grege, philosophos, & homines in omni antiquitatis historia versatissimos. Nihil denique in quovis doctrinæ genere desiderare quisquam valeat, quod illic non reperiat

ſupra vota. Viget autem in primis conciliorum & Patrum ſtudium & doctrina. Græci perinde ut Latini Patres audiuntur; nihil placet niſi quod divinis illis hominibus viſum eſt; quidquid communi aſſenſu probarunt, admittitur; quæ repudianda cenſuerunt, rejiciuntur omnino. Horum dictis eccleſia Romana hæreſes omnes oppugnat & expugnat. An eccleſia Chriſti vera non ſit, quæ tam ſcite Chriſti doctrinam & ſacrorum codicum ſententiam percipit, & amplectitur tanta fide, quæ ex ſanctorum Patrum & conciliorum placitis ſua omnia moderatur, nec ab iis vel gradu uno diſcedit. Id profecto, inquit *Methodius*, vel ab hoſtibus eccleſiæ Romanæ concedendum, nullam cum ipſa eccleſiam poſſe de doctrina contendere. Immo vix arbitror reperiri in hac Orientis eccleſia hominem vere doctum, niſi qui, ut indicaſti, ſcientiam e Romanis fontibus hauſerit.

Poſt hæc cœpit *Romanus* de miraculis dicere, quæ in eccleſia Romana fiunt tanto numero, tantaque in luce. Expoſuit quam illa explorata ſint, quippe quæ januis occluſis & teſtibus idoneis rejectis non edantur, ſed fiant in oculis omnium, quorumque de veritate ab judicibus eccleſiæque antiſtitibus ſumma cura inquiratur, jurejurando interpoſito, & adhibitis hominibus philoſophiæ & medicinæ peritiſſimis, ne quid temere ſupra vires naturæ eſſe pronuntient, quod ab ejus occulta & mirabili efficientia prodire poſſit. Oſtendit quam frequentia illa ſint, aſſeruitque vix ullam eſſe provinciam, in qua, ſæculo hoc ſuo, non ſint edita aliqua, eorumque monumenta paſſim in templis eſſe appenſa, & æternæ librorum memoriæ commendata. Magnitudinem vero ex eo demonſtravit, quod non tantum morbi graviores momento uno perſanentur, ſed ipſi nonnunquam mortui revocentur ad vitam. Quodque faciebat ad rem maxime, probavit miracula hæc tot ac tanta non modo perpetrari virorum ſanctorum qui olim floruerunt, meritis, qua ratione vel apud ethnicos eſſe poſſunt, ſed ab iis qui hoc & ſuperiore ſæculo in Romana eccleſia floruerunt, & multa ab iis fuiſſe perpetrata, ut veram eſſe hujus eccleſiæ fidem conteſtarentur. Narravit autem varia quæ in variis orbis partibus evenerunt. Meminit in primis S. Franciſci Xaverii, cujus corpus, etiamſi bis fuerit viva & urenti calce obrutum, ad hanc uſque diem poſt CXX. annos integrum conſpicitur. Referuntur in actis *canonizationis* ipſius e mortuis ſuſcitati XXV. & abhinc XXVII. alii ejus meritis revixiſſe tabulis publicis comprobati ſunt: eque illis XXVII. revocati ſunt ad vitam XXIV. ante annos fere viginti. Malacenſis epiſcopus miracula DCCC. in ſua diœceſi ab ſancto viro illo edita probavit & ſcripſit. In Calabria, & in uno maxime regionis iſtius loco, cui nomen *Potamo*, incolæ miracula ejus apud ſe anno 1652. patrata numerarunt CCLXII. quæ autoritate publica libro typis excuſo ſunt deſcripta. Meminit &

V. *Miracula in eccleſia Romana multa, maxima, crebra, ut nihil uſquam ſimile.*

S. Petri de Alcantara ex ordine S. Franciſci Aſſinatis, & S. Thomæ de Villanova ex ordine S. Auguſtini, & S. Thereſiæ e ſacra Carmeli religione, & aliorum complurium, quorum virtus multis poſt mortem miraculis divinitus ſignificata eccleſiam adduxit, ut eorum nomina ſanctorum faſtis adſcriberet. Hæc cum recitaret *Romanus*, admirabantur omnes, & grato ſtupore quaſi defixi diem non adverterant ad veſperam inclinare. Advertit *Romanus*, &, Dies, inquit, me deficit hæc enarrantem; ſed & deficerent ipſi menſes, ſi vobis ſingula percenſerem.

Nobis, inquit *Vigilius*, ſolis inſtar hodie illuxiſti; lucem affundis, quam emittere ſol ille corporatus non poteſt. Age, curſum imple: neque enim te patiemur abſcedere, donec ipſum abſolveris. Quæ ſunt tibi ſuper, expone. Vobis, inquit *Romanus*, tam amice jubentibus morem non poſſum non gerere. Sed ſinite me reliqua ſic dicere, quaſi compendio. Vult Chriſtus homines omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis, id eſt, eccleſiæ ſuæ venire. Quæ eccleſia ſola eſt domus Dei, fundamentum & columna veritatis. Ideo ſuos juſſit ire in mundum univerſum, omnique creaturæ prædicare evangelium. Quod ſi ſalus, præterquam in eccleſia Chriſti, nulla eſt, & vult omnibus ſalutem Deus, neceſſe eſt, ut memini me monere, ſuam iis notis eccleſiam obſignet, ut qui in illas intuentur homines, eam continuo agnoſcant, & ſecernant ab cœtibus ceteris, ut illi totos ſe ex animo adjungant. Notæ vero illæ hujuſmodi eſſe debent, ut eas exhibere in ſe eccleſia hæretica nulla valeat, quantumvis pudore abjecto ad mentiendum ſit præceps, & ut quiſque facile id animadvertat.

VI. *Eccleſia Romana ſola vere catholica eſt.*

Porro ex notis eccleſiæ omnibus iſtam maxime celebrant Patres, id eſt, quod in univerſo mundo ſit, & fructificet. Atque hinc maxime etiam elucet, eccleſiam Romanam vere Chriſti eſſe. Non enim ſolius Syriæ, Ægypti, Georgiæ, Moſcoviæ & Ruſſiæ finibus, uti Græca, continetur. Eſt enim hæc pars orbis non quarta. Nec pertinet tantum ad Perſidis, Armeniæ & paucarum quarundam urbium terminos, ut Armena. Nec Syriæ duntaxat & Meſopotamiæ loca nonnulla occupat, ut Suriana & Neſtoriana. Nec auditur in Ægypto tantum & in quibuſdam Arabiæ felicis partibus, ut quæ Coptorum eſt, aut particulam Africæ poſſidet ut Abyſſina, aut aliquos Germaniæ provincias ut Lutherana, & regiones paucas alias ut Calviniana; ſed floret in univerſis terræ partibus, Europa, Aſia, Africa & America; atque, ut de illa Paulus dixit Rom. 1. fides ejus annuntiatur in univerſo mundo, novaque in dies incrementa accipit. Eccleſia Romana ſola magnam Europæ partem obtinet, & alias obtinebat totam; ſola in Indias, Japoniam & Sinas aliaſque Aſiæ partes Chriſti fidem invexit & ſuſtinet; ſola in multis Africæ partibus auditur; ſola denique in America quæ pars orbis fere di-

midia est, dominatur. Ecclesiæ cæteræ ubique non sunt; in dies prope singulos numero minuuntur, neque augentur vel doctrina vel virtute. Quare si se ab Romana ecclesia aut privata fide aut ejus odio abjungant, ut Lutherana, non possunt esse Christi ecclesia, quæ scilicet, ut aiunt optime Græci in Liturgia S. Basilii, hanc præ se fert notam, ut sit in toto orbe ab terræ finibus ad terræ fines. Et vero ut egregie scripsit Hieronymus in dialogo adversf. Lucif. *evacuata est crux Christi, si Christus ecclesiam non habet toto orbe diffusam.*

Festino. Alia nota est, quod ecclesia Christi sit apostolica. Si apostolicam dicis eam, quæ fundata ab apostolis olim fuit, & qualem fundarunt, talis perseverat. Est profecto apostolica, quæ Romana est ecclesia. Nam quæ erat, quam fundarunt apostoli, ecclesia? Societas erat hominum Christi fidem profitentium, eademque communicantium sacramenta, sub regimine legitimorum pastorum, & sub uno capite Christo, ejusque vicario S. Petro. Duo igitur erant ecclesiæ apostolicæ tum propria. Alterum est Christi fidem & sacramenta, alterum quod ecclesia omnis ejusque pastores ἀρχιποιμένα unum seu principem episcopum vicarium Christi agnoscerent, nempe Petrum, cujus autoritati suberant. Primum nemo est qui in dubium vocet; alterum sacri codices, concilia & Patres docent, Græci apertissime profitentur tum in interpretatione evangelii post Pascha undecimi ex Joanne accepti, quam interpretationem Chrysostomo tribuunt, estque reipsa ferme tota illius; tum in Menæo suo sæpe & in canone synodi Nicænæ Arabica lingua descriptæ XLIX. & aliis multis in locis. Quare si qua ecclesia vel Christi fidem & sacramenta omnia non habet, vel episcopum unum non agnoscit Petri successorem qui cæteris omnibus in toto terrarum orbe præsit, ea non est apostolica ecclesia. Unde Lutheri ecclesia minime Christi est & apostolorum. Nam, etsi episcopos habet, nullum tamen agnoscit aliorum principem, sed fratres illos facit autoritate omnino pares, ut nihil hic dicam quam in multis fidem ab apostolis acceptam mutaverit. At ecclesia Romana episcopum unum veneratur Petri successorem, cui cæteri omnes episcopi subsunt, & nihil unquam mutationis in fide invexit. Recipit enim scripturas omnes, nullum e conciliis rejicit, sive sint in Oriente procul, sive prope in Occidente celebrata; Patrum vero dicta ut Spiritus sancti oracula suscipit. Quod si significato alio apostolicam ecclesiam appellas eam, quæ in Petro apostolo fundata est, in qua ipse in suis successoribus vivit & judicat, ut legitur in Ephesina synodo, melius forte & ex Spiritus sancti mente dixeris. Nam ut supra monuimus, omnes ecclesiæ notæ sic debent esse perspicuæ, ut ex iis facile Christi ecclesia ab reliquis cœtibus dignoscatur, & quasi incurrat in oculos. At si apostolicam ecclesiam dicas esse eam quæ in Petro fundata est, & ubi ipse in suis successoribus existit: nullo fere negotio vident omnes,

VII. *Ecclesia Romana maxime apostolica.*

cujus urbis ad mortem uſque epiſcopus Petrus fuit, & ubi ſunt illius ſucceſſores. Quænam eſt illa beatiſſima civitas, niſi Roma? Romam eſſe & pontifices Romanos Petri ſucceſſores eſſe, nulli Chriſtianarum gentium dubium eſt. Lege Græcorum Mæneum ad diem Junii XXX. lege ad XVIII. Februarii, lege ad XXIV. Novemb. percurre Armenorum, Surianorum, Coptorum Menologia & Martyrologia: id inculcant ubique conſenſu uno. Ergo omni ratione apoſtolicam agnoſcis eſſe Romanam eccleſiam; neque poſſunt aliæ tanto nomine gaudere, quin illi communione jungantur. Unde cum Syria variis olim, uti nunc, diſtraheretur ſectis, *Ego*, inquiebat Hieronymus, *ego clamito: Si quis cathedræ Petri jungitur, meus eſt.* Et ſcribebat antea Damaſo papæ: *Ego nullum primum niſi Petrum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum, agnum comederit, profanus eſt.* Ideo in conciliorum & SS. Patrum libris eccleſiæ Romanæ caput, *paſtor & pater apoſtolicus*, & ejus ſedes, *ſedes apoſtolica* ſine additione, κατ' ἐξοχὴν nuncupatur. Verum utut ſit, ſatis hoc mihi, Romanam eccleſiam adeo eſſe apoſtolicam, ut nulla alia eccleſia magis eſſe poſſit. Hinc enim abunde apparet vere illam Chriſti eſſe eccleſiam.

Ep. 58.

VIII. *Eccleſia Romana maxime una.*


Supereſt denique nota alia, ut quæ ſe Chriſti profitetur eccleſiam, ea ſit maxime una, quia eccleſia corpus unum eſt, cujus membra omnia, ſpiritu uno, ſub uno capite conjungi debent, ſicque apte connecti, ut ſolvi unitas ejus non poſſit. Tribus ergo rebus eccleſia fit una. Si 1. unitatem fidei & ſacramentorum habeat. 2. Si ſub uno capite ſit collecta. 3. denique ſi rationem illius conſervandæ unitatis idoneam teneat. Eccleſia Romana unum eccleſiæ totius caput viſibile agnoſcit Chriſti Domini capitis inviſibilis vicarium, Petrum ſcilicet Romanum pontificem, cui oves ſuas Chriſtus cum agnis paſcendas commiſit ſine exceptione omnes. Unam ubique terrarum profitetur fidem, eorumdemque ſacramentorum communionem. Conſervandæ unitatis illius nulla poteſt eſſe ratio, niſi uni omnes ſubſint, cujus ut fides non deficiat, Chriſtus oraverit, cuique confirmandorum fratrum injunxerit curam. Nam ſacræ quidem litteræ diſſentiendi non dant quidem, ſed objiciunt occaſionem, dum illas alii aliter intelligunt. Concilia vero œcumenica difficillimum eſt cogere vel propter difficultatem temporum, vel propter contrariam principum voluntatem. Quamobrem Deus qui unitatem in fide maxime exigit, ne qua eſſet turbas moventibus excuſatio, facilem illius habendæ viam tradidit. Quæ cum ita ſint, & eccleſia Romana notis ſit omnibus inſtructa, quas eccleſiæ ſuæ Chriſtus attribuit, conſtat illam Chriſti eſſe veriſſimam eccleſiam. Nolim id negare, inquit *Methodius*. Nam præclare demonſtraſti. Verum

rum an inde efficias, alias, quotquot sunt, ecclesias Christi non esse? Minime vero, reposuit *Romanus*. At ut Christi sint, hoc aio, debere illas cum Romana ecclesia esse fide & caritate conjunctissimas, ab eaque si se abjungant, continuo non esse Christi. Quæro enim: Christi ecclesia multiplex est; an una? Credimus, inquit *Vigilius*, unam, sanctam, catholicam & apostolicam ecclesiam. Pergo sciscitari, ait *Romanus*: Si ecclesiæ duæ aliquæ contraria circa fidem sentiant, possuntne una esse Christi ecclesia? Respondit ex Paulo *Vigilius*, non posse: una enim Christi ecclesiæ fides, ut Dominus unus, & baptisma unum. Ubi igitur fides duplex, ibidem duplex sit ecclesia necesse est. Jam, inquit *Romanus*, ex duabus illis ecclesiis in fide oppositis cum oporteat alteram Christi non esse; utra Christi erit? Palam est Romanam ecclesiam Christi esse: id enim necessariis argumentis effecimus, & estis assensi. Alia igitur si qua est, quæ sese illi opponat in fide adversam, Christi ecclesia esse non poterit. Erit autem, si se ecclesiæ Romanæ partem profiteatur, quacum, ut membrum cum capite, corpus unum exhibeat.

Eph. 4.

Ejuratis igitur, inquit *Methodius*, avitis patriisque ritibus, transvolemus omnes ad Francos, & Francorum nomine nostrum mutemus Græcorum, Armenorum, & cujuscunque alterius nationis & sectæ. Imo, reposuit *Romanus*, audiantur vestrarum nomina ecclesiarum & amentur; sed audiant & ament ecclesiæ vestræ Romanam. Neque opus est acceptum ab sanctis Patribus ritum invertant. Suo quævis more jejunet, suis privatis legibus gaudeat, suo divina officia ritu peragat. Hoc unum omnes caveant, ne qua re Christi fidem, quam Petrus e Romana cathedra prædicat, labefactent, seque ab Romana avellant ecclesia. Ni faciant; cum per sese spectatæ illis destituantur notis, quas suæ inhærere ecclesiæ Christus voluit, Christi ecclesia esse non possunt. At, quæ Dei gratia est, sumus nos omnes in Christo JESU unum, aut potius, ut cum Paulo loquar, sumus omnes UNUS fidei unius & amoris beneficio, atque adeo ex vestris ecclesiis quales a sanctis Patribus fundatæ sunt, nostraque Romana una exurgit Christi ecclesia. Hic omnes Romanum complexi, cum gratias illi maximas egissent, Romanam ecclesiam habere se ut matrem professi sunt, & cœtum solverunt.





INDEX CAPITUM.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Accessit *Religio Christiana contra Alcoranum per Alcoranum pacifice defensa ac probata.*

PERMISSIO R. P. PROVINCIALIS.

EGo infra scriptus provincialis societatis JESU in provincia Franciæ, potestate mihi facta ab admodum R. P. Joanne Paulo Oliva, societatis nostræ præposito generali, permitto ut typis mandetur liber qui inscribitur *Vera effigies Romanæ & Græcæ ecclesiæ, &c.* a P. Michaële Nau compositus, & a tribus societatis nostræ theologis approbatus. In cujus rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo munitas dedi. Lutetiæ Parisiorum XII. Martii anni M. DC. LXXIX.

PETRUS DE VERTHAMON.

SUMMA PRIVILEGII REGIS Christianissimi.

LUDOVICI XIV. Franciæ & Navarræ regis Christianissimi diplomate cautum est, ne quis in ipsius regno, aliisve locis ejus ditioni subjectis, intra proximos sex annos a die impressionis perfectæ inchoandos, excudat, vendat, vendendum aut excudendum, quovis modo ac ratione curet, librum qui inscribitur, *Ecclesiæ Romanæ Græcæque vera effigies, ex variis tum recentibus, tum antiquis monumentis singulari fide expressa. Accessit Religio Christiana contra Alcoranum per Alcoranum pacifice defensa ac probata*; sub pœnis in originali diplomate contra delinquentes expressis; præter GABRIELEM MARTINUM typographum & bibliopolam. Lutetiæ Parisiorum XXIX. Februarii, anno M. DC. LXXX.

Sic signatum, ROSSIGNOL.

Relatum in acta typographorum & bibliopolarum Parisiensium die VIII. Junii anni M. DC. LXXX. a CAROLO ANGOT, syndico.

Prima editio absoluta fuit die 13. Julii 1680.

ECCLE-



ECCLESIÆ ROMANÆ GRÆCÆQUE VERA EFFIGIES

Ex variis tum recentibus, tum antiquis monumentis singulari fide expressa.

DIALOGI PACIFICI

Quibus Christiani Græci ad mutuam cum Romana Ecclesia consensionem amice invitantur.



DIALOGUS I.

De necessitate hujusce concordiæ, ejusdemque ineundæ facilitate.



UM e Francis religiosi magistri duo sacratiora Orientis loca peregrinando lustrarent, contigit, Deo, quod reor, duce, ut ad cœnobium Græcorum non ignobile diverterint. Præerat cœnobio abbas nomine *Nicolaus*, vir tum singulari virtute, tum doctrina pro gentis ac temporum conditione non mediocriter instructus. Is religiosos viros, cum ad se accederent, ut agnovit ex vultu

& ex habitu Latinos, prodiit statim illis obviam, atque incredibili humanitate exceptos priùs invitavit domum, quam admitti se peterent. Obstupuerunt illi non parum: Græcos enim multorum sermonibus acceperant esse Francis infensos, & ex illis aliquos probaverant ipsi per sese non admodum amicos: quamquam laudabant non paucos in hac sua peregrinatione de se satis bene meritos. Tanta tamque inexpectata urbanitate provocati, nihil prætermiserunt officiorum, quo se abbati significarent devinctissimos, beneficiumque extollerent. At ille; Fungor, inquit, officii mei parte exigua: fratres enim sumus, & nisi me mea fallit opinio, cognatione triplici, eaque sacra, conjungimur, fidei scilicet, sacerdotii, ac religionis. Non est quod ullas habeatis mihi, vel agatis gratias; meum est rependere Deo optimo maximas, quod me cœnobiumque nostrum hoc vestro adventu cohonestarit ac recreaverit. Tum in templum cum ipsis ingressus, postquam Deum proni venerati sunt, & aliquot ex more preces breviter persolverunt, eos, dum apparatur cœna, in cubiculum ornatissimum ad quietem eduxit. Adfuerunt e monachis digniores honoris caussa, atque una cum abbate Nicolao appositæ sacerdotibus Francis mensæ assederunt. Verum non erant omnes animo erga Francos peræque benevolo; dissimularunt tamen, & hospites suos omni officiorum genere prosecuti sunt. Sublata mensa religiosos hospites cœpit abbas hortari, ut de rebus divinis nonnihil ad communem utilitatem exponerent. Neque enim, inquit, in vobis Francis doctrinæ lucernam Deus accendit, ut eam ponatis sub modio; sed, uti monet Christus Dominus, omnibus illam lucere
Matth. 5. necesse est qui in domo sunt. Nostrum est, reposuit alter e Francis, nostrum abs te cælesti isto lumine perfundi, pater colendissime: tu enim es lampas illa divina, quam Deus opt. max. in hoc cœnobio quasi super candelabrum evexit, unde omnes lucem hauriant. Atque ut dicam, quod jam sum expertus, plus hac hora apud te didicimus, quam multorum dierum studio potuissemus assequi. Exemplo enim magis docent christiani quam verbo. Et ille tuus tuorumque agendi nobiscum modus tam amicus, tam religiosus, ea nos docet, quæ forte alio nullo magistro disceremus: at, si pla-

cet verborum aliquid his tam christiane factis addere, cumulabis tuum erga nos beneficium. Nescis, subjecit abbas, tam gravi nos jugo premi, ut vix liceat attingere litteras; gemere possumus & docemur, non dicere. Mitte, quæso, quæ tu de nobis merito nullo nostro prædicas; ea loquere quæ nos ad virtutis studium incendant. Quandoquidem sic jubes, inquit *Ignatius*, (id erat nominis Francorum alteri) ita patere nos loqui, ut colloquamur; interrogabis ut magister, ut discipuli nos tui respondebimus. Quoniam placet colloqui, reposuit *Nicolaus*, & nobis perplacet: sed magistrum noli me dicere, quem doceri opus est, non docere. Quæro igitur abs te, quibus, quotve virtutibus perficitur christianus? Una, inquit *Ignatius*, non pluribus: quam qui habeat, christianus est; qua qui careat, nomine forte is erit, non erit ipsa re. Quid ergo, inquit *Nicolaus*, tot nobis virtutes in scriptura commendantur, quas enumerare præ multitudine vix ullus valeat? Una, pergit *Ignatius*, una commendatur, cæteræ sine illa virtutes, fuerint fortassis humanæ vel semi-christianæ, at omnino christianæ esse non possunt, aut cælo dignæ. Ea porro, ne quid morer, *caritas divina est*, quæ cum una sit, duobus tamen quasi brachiis instructa est; eorum altero Deum, altero proximum amplectitur. Caritatem divinam commendari unam affirmavi. Audi Christum: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Vult quidem nos humiles Christus Dominus, vult castos, pios vult, vult omnibus ornatos virtutibus; vere tamen sic ab ipso pronunciatum est, hoc unum velle se, ut amemus Deum, ut divino amoris igne inflammemur: hoc uno scilicet continentur cætera omnia. Amor enim ignis est; lucet & ardet. Ergo quemadmodum extare cum ignis luce tenebræ non possunt, sed ubi primum affulsit, statim absunt; (præclare enim Apostolus, *Quæ societas*, inquit, *luci ad tenebras?*) sic cum divini amoris luce peccatorum esse tenebræ nequeunt. Peccata enim tenebræ sunt, & qui in peccatis ambulant, eos ambulare in tenebris Joannes testatur, & queritur in ipso evangelii limine magis ab hominibus dilectas tenebras, quam lucem fuisse. Nempe lucis privatione tenebras philosophi definiunt, & peccatum divini amoris jactura, theologi. Immo peccatores

Quo sensu Christianus non sit qui caritate careat, mox exponetur.

Luc. 12. v. 49.

2 Cor. c. 4.

1. Ioan. c. 1.

Joan. 1. ipsi tenebrarum appellantur nomine. Et *tenebræ*, inquit Joannes, *eum non comprehenderunt*. Est igitur ea vis divinæ caritatis, ut quidquid peccati hærebat, purissima illa luce dispellat, quam affundit in animum. Sed & istud ardore suo peragit. Nihil enim igne magis idoneum ad purgandum; quod impurum est, statim absumit. Hunc fere ad modum, si quis Dei amore fervet, sacro æstu isto statim evanescunt peccata, & summa animo puritas conciliatur. Jam cum peccata, ut fit in ægritudine corporum, everti nisi inductis contrariis, non possint, non alio cælestis caritas motu ea disjicit, quam quod virtutes exsuscitat, quibus enatis, necesse est opprimi illa & exscindi. Adde quod cum, Christo teste, caritas ignis sit, virtutes cæteras recte dixeris flammulas aut scintillas esse hinc promicantes, vel fulgorem non uniusmodi inde prorumpentem. Capere vis quo virtutes alias modo caritatis ignis ab sese gignat, in seque adnectat. Ignis est; sursum igitur fertur ad Deum, illique se unit; ac proinde ab rebus creatis, quæ Deo sunt inferiores, & ab ipso homine prope absunt, se abjungit. Unde castitas non corporis modo, sed animi efflorescit. Ignis est: igitur qua parte lucet, res in aspectum profert, & quales sunt ostendit; qua parte ardet, id, in quo est, in cineres redigit: & hæc virtus, animi est de se quam vilissime sentientis demissio, quæ *humilitas* nuncupatur. Sacer enim amor id efficit, ut homo Deum seque norit, atque illum sic Deo totum absumit, ut sibi pulvis, &, quo nihil in rerum natura est abjectiús, ineptiusque ad fructum, cinis coram Domino videatur. *Loquar ad Dominum meum*, aiebat Abrahamus Gen. 18. *cum sim pulvis & cinis*. Prolixior essem, si quidquid e caritate virtutum existit, nunc exponerem. Quod affirmo, sic certum est, ut contestetur Paulus Rom. 13. *dilectionem esse legis plenitudinem*. Dixi christianum nomine dumtaxat, non re ipsa eum esse qui divina illa caritate non sit præditus. Quis enim christianus censendus est? Nonne qui Christi est? At non est Christi qui caritatem non habet. Nam *qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, ut scribit Apostolus; spiritus autem Christi cari-
Rom. 8.
tas est. Unde idem ille; *Caritas Dei*, inquit, *diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis*. Quippe
Rom. 5.

ſpiritus ſanctus, qui patris & filii ſpiritus eſt, amor eſt utriuſque communis. Pugnet qui velit chriſtianum illum eſſe, qui impreſſo baptiſmi charactere ſit conſignatus, & profiteatur eccleſiæ fidem, non ibo inficias; ſed aſſentiatur hoc mihi neceſſe eſt, a quo abſit virtutum atque ipſius animæ vita caritas, chriſtianum eum appellari, at eſſe mortuum: tum viderit, an mortuus homo, homo vere ſit. Negavi chriſtianum eum eſſe in quo deſideretur caritas, negat Paulus eſſe quidquam 1. Cor. c. 13. attendite. *Si linguis hominum loquar & angelorum*, inquit; *caritatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens: & ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; caritatem autem non habuero, nihil ſum: & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita, ut ardeam; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Quæ cum ita ſint, quis contineat ſe quin exclamet: Væ iterumque væ non amanti. Hæc cum audiſſet e religioſis Græcis unus, cui *Stephano* erat nomen, Eſtne vero, inquit, reperire in orbe terrarum vel unum aliquem, qui Deum non amet? Eſtne, repoſuit *Ignatius*, eſtne reperire e ſexcentis unum, qui amet? Non ſum equidem neſcius profiteri omnes palam ab ſe amari Deum; ſed cadit in illos quod aiebat Chriſtus, ſuoſque in populares jactabat; *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Age enim: amatne Deum, qui ſciens & volens ſic Deum offendit, ut ejus in ſe iram atque odium provocet? Minime. Qui enim Deum amat, is ſe amari a Deo percupit, nihilque veretur magis, quam ut habeat illum iratum ſibi & infenſum. Igitur quicunque peccat, Deum non amat: ſcit enim peccato ſuo graviſſime offendi Deum, ſicque offendi, ut nulla re lædatur magis. Quot ſunt autem qui ſe peccatis gravioribus commaculant, qui nomen Dei contumelioſe, certe parum religioſe uſurpent juramentis falſis aut inanibus, qui aliena per vim & fraudem rapiant, qui rebus venereis ſe oblectent, qui ſacramenta adeant male confeſſi, dum vel non dolent ex animo de peccatis, vel ea, quotquot ſunt, ſacerdoti non aperiunt. Horum nemo Deum amat. Pergo: jam quot in orbe infideles, quot hære-

tici? Nec ab istis amatur Deus: nam si amarent sincere & ex animo, nihilque omitterent quo sibi illum conciliarent, vel errores suos, quos admoniti noverunt, deponerent; vel, si errare se neque sciunt, neque audierunt unquam, cum primum audiunt, statim de veritate toto conatu perquirerent, tum ab utriusque partis magistris, tum ipsi per sese quod ab iis audissent, expenderent. Sed ut dicam quod res est, rectene an secus sentiant, parum curant. Uti assueverunt a pueris, sic profitentur & vivunt, patriam paternamque sententiam magis amplectuntur, quam christianam: veram illis fidem cum demonstraveris veramque ecclesiam, nihil proficis, sapere volunt ad arbitrium, suoque sensu. At Deo, nisi in ecclesia Dei orthodoxa, placere nemo potest. *Nam sine fide*, quod monuit Apostolus, *impossibile est placere Deo*; sine ea, inquam, fide, quam in toto terrarum orbe catholica proponit ecclesia. Utut sit, parum hominibus nunc curæ est, an Deo placeant; hoc fere unum volunt, placere sibi. Sunt præterea nonnulli, & audio esse in istis regionibus non paucos, qui cum christiano & catholico nomine glorientur, alias a sua nationes non ferunt, etiam maxime catholicas, eas pessime oderunt, seque ab iis plane sejungunt. Atque id apud vos eo lubentius queror, quod ex ea qua nos excepistis, benevolentia apparet, longe vos ab gravissimo illo crimine abesse. Quod sane crimen eorum dumtaxat est, qui se plurimum, ac minime Deum ament; immo qui Deum ipsum omnino non noverint. *Carissimi*, scribebat Joannes epist. 1. c. 4. *diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est; & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus caritas est...... Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est: qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Hinc jam intelligite quam multi Deum non ament. Quot enim sunt, qui cum vos videant nobiscum Francis tam amice agere, quot, inquam, sunt vel e Græcis, qui idcirco vos aversentur. Certe vidi aliquot qui Græcos alios Francis benevolos pro suis habere nollent. Quot sunt qui Francos, qui alios

Hebr. 11.

quoque bene catholicos execrantur ? Fratres suos qui sic oderunt, si Deum dicant ab se diligi, mendaces illos Joannes asserit. Neque fieri potest ut qui in tanto perseverant crimine, salutem consequantur unquam. *Etiamsi*, inquit Paulus, *linguis loquerentur angelorum, & in cibos pauperum facultates suas omnes distribuerent, & traderent corpus suum, ita ut pro Christi nomine arderent.* Nempe Christi corpus, id est, ejus ecclesiæ membra dilacerant, spargunt, proculcant, quod vel Judæi ipsi, & carnifices Romani veriti sunt facere : *Neque enim fregerunt ejus crura, vel os comminuerunt ex eo.* Immo ipsius tunicæ hunc habuerunt honorem, ut illam non diviserint, sed sortiti sint, cujus futura esset. 2°. Christi mandatum nihili æstimant, & infringunt. *Hoc est*, inquit, *præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis, quod ego præcipio vobis ..... Hoc mando vobis, ut diligatis invicem.* Ergo non sunt amici Christi, qui fratres in Christo suos non amant, pro quibus velle etiam deberent animas ponere. 3°. E discipulorum Christi numero sese vel ipsi expungunt. *In hoc enim*, quemadmodum Christus monet, *cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis.* 4°. Hoc odio erga fratres suo, ab amore Christi & religionis gentes avertunt. Christum enim amarent seque adjungerent ecclesiæ, uti factum est primis illis & beatis fidei christianæ temporibus, si quæ tunc suspiciebatur inter christianos caritas, ea etiamnum videretur. Unde patrem orabat Christus Joan. 17. *Omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti.* Audin' crediturum mundum quia missus est a Deo Jesus, si christiani amarent invicem ? 5°. denique qui sic ab aliis se segregant, eosque a se repellunt merito nullo, totam Christi legem convellunt. *Omnis enim lex*, inquit Paulus Gal. 5. *in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Ecclesiam Christi, quantum in se est, destruunt, unde addidit : *Quod si invicem mordetis, & comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Tum inter *opera carnis* recenset; *contentiones, æmulationes, iras, rixas, dissensiones, sectas, in-*

Quam multa, quamque gravia in se crimina schisma contineat.

Joan. 19.

vidias, negatque eos salutem posse assequi, quos hæc vitia obruant. *Prædico vobis sicut prædixi, quia qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Ac concludit demum: *Non efficiamur igitur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Quod si forte nonnulli sic adhortanti Apostolo non obtemperent, audiant quod ait: *Utinam abscindantur, qui vos conturbant!* Dum se suis a fratribus abscindunt, se abscindunt ipsos ab ecclesia & a Deo. O si hæc, qui caritatem vestram in his partibus oderunt, neque imitari volunt, probe intelligerent, paverent, credo, non parum, & animum mutarent. Quot enim in hoc uno schismatis crimine flagitia, quamque atrocia! Tantorum scelerum reos quot Deus bone, manent, quamque dira supplicia! Verum, utut illi se habeant, vos ego cum Joanne apostolo patimini ut compellem: *Carissimi, diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est; & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum; qui vero non diligit, non novit Deum.* Hic cum Nicolao abbate una omnes voce conclamarunt: *Invicem diligamus.* Verum, inquit *Nicolaus* Ignatium allocutus, attende quid excusent Græci illi e nostris, qui cæteris minus se significant vobis amicos, nihilque sibi commune cum aliis esse volunt. Franci, inquiunt, se a nobis ipsi segregarunt, atque ejusdem sunt cum illis conditionis Græci nostri, qui ipsis sese adjungunt & adhærent. Audivi, reposuit *Ignatius*, hæc ab illis jactari: sed videte quam graviter illi hoc dicto peccent. Ac primum verbis Nicetæ Byzantii viri Græci interrogo. Conquerebatur de Græcis Armeniorum princeps, quasi ipsi ab Armenis abscessissent, ut contra ipsos duas esse in Christo naturas defenderent. Ex Armenis enim non pauci unam esse in Christo naturam ex divina atque humana conflatam contra philosophiam omnem, omnemque theologiam volunt. *Hoc asserere*, inquit, *Græcos nempe se ab Armenis abjunxisse, quosnam ignorantiæ terminos non exuperat? Quis enim non novit partem a toto; quod minus est, ab eo quod majus & amplius est, decedere; non contra. Quapropter qui vestræ sunt sententiæ, si cum iis qui nostræ sunt, conferantur, videbuntur minimam infimamque habere partem. Quare non decet affirmare te, nos ex vestra sententia abiisse, sed vos decessisse a nostra.* Si

Græcos a Francis, non Francos ab Græcis se segregasse.

recte

recte ratiocinatur Byzantius ille, Græcos interrogo, illos, inquam, Græcos vestri dissimiles, qui se ab aliis amovent, quasi soli sapiant. Illos interrogo, si cum Francis & iis qui Francorum communione gaudent, comparentur, num minima sunt infimaque pars? Ergo non se ab illis Franci, sed ipsi se à Francis segregaverunt. Sed ut aliquid afferam hoc Nicetæ argumento luculentius. Quæro, cum separata sunt membra corporis alicujus, v. g. manus a reliquo corpore, diciturne corpus a manu separatum, an manus a corpore? Finge manus & brachia, pedes & crura ab reliquo corpore separata: quid separatum dicitur, membra illa, an vero corpus? certè membra. Ut enim cum abscinduntur rami ex arbore, non abscissa a ramis arbor, sed rami pronunciantur abscissi; ita separata dicuntur membra, non corpus. Jam quis neget, quamquam est apud Græcos quod maximopere laudemus, principem ac majorem ecclesiæ partem apud Francos existere, sive numerum spectes, sive doctrinam, sive sanctitatem, sive amplitudinem, sive ejus in omnes terræ regiones diffusionem, sive Petri cathedram Romæ positam, cui subesse cæteras Græcorum libri omnes testantur. Franci, quod vel cæcus videat, gentes alias perinde superant, ut corpus membra, & arbor ramos. Ergo si qua intercedat separatio, ea Græcorum ex parte petenda est, non Francorum. Sed fac parem esse in omnibus Græcorum illorum Latinorumque conditionem: videamus utri se vere segregant. Constat hoc primum, utrosque suis in precibus ecclesiarum unionem a Deo petere. Nihil enim his vocibus auditur in templo frequentius: *Propter ecclesiarum unionem Deum oremus.* Ac Latinos quidem palam est, id sincere & votis omnibus orare. Nam dictis facta addunt. Factis autem mentiri multos fieri vix potest, fit quotidie ut dictis fallant. 1°. Franci profitentur Christi ecclesiam esse unam e Latinis, Græcis & gentibus aliis compositam in unum corpus. 2°. Patres omnes Græcos eodem loco habent atque Latinos, & pari observantia, quæ coacta sunt in Oriente e Græcis concilia admittunt, ac ea quæ in Occidente a suis. 3°. Græcos quos nunc vident misera servitute vexari, ut vacare in sua patria litteris non possint, ipsi ad sese invitant, illisque collegium sumptibus suis Romanus pontifex extru- *Franci ecclesiarum unionem omnino volunt.*

xit, sufficitque discipulis Græcis, quæ sunt ad victum vestitumque ac cultum ad multos annos necessaria. 4°. In omnes Græcorum tractus idem pontifex, cui Christus agnos suos suasque oves in Petro commendavit, sacerdotes emittit, qui se in Græcorum obsequium gratuito impendant, quique, si quos invenerint Romanæ ecclesiæ infensos, cum iis de pace agant, omniaque concedant, quæ, salva evangelii fide, concedi possunt. Quid facere amplius ad concordiam Franci valeant? Nunc quid agunt illius ineundæ causa Græci illi qui cæteris ab Christianis, non caritatis, mihi crede, aut humilitatis studio abhorrent. Cum orant, unionem ecclesiarum exposcunt; bene est, gaudemus; adimus ipsos & gratulamur, & petimus, ut quod percupere se significant verbis, factis probent. Stat enim per ipsos. Quid enim impedit quominus jungant dexteras? aliæ sunt, inquiunt, Francis consuetudines, nobis aliæ. Bene est, hinc ornatur ecclesia, non scinditur. Nam in corpore non eadem est membris omnibus figura, non idem usus. Satis est si una mente per fidem, & voluntate una per caritatem animetur. Et in familia aliqua una, ubi liberi multi, non omnes simili utuntur veste, aut simili cibo gaudent. Etsi varia sunt ista, non continuo desinit familia esse una, modo uni omnes domino pareant, ipsumque audiant. Sic, quanquam varii in ecclesia populi varios ritus usurpant, una tamen ecclesia est, quia capiti uno adhærent, fidemque ubique unam & eadem sacramenta amplectuntur. At Franci ab nostro nos ritu avocant, inquit *Monachus Græcus* qui tum aderat: volunt enim immutari Paschæ ac festorum tempora, missam perfici in azymis, addi symbolo Spiritum sanctum non ex Patre solum, sed etiam ex Filio procedere, atque alia non pauca. Errant, mi Pater, errant, respondit *Ignatius*, &, qui hæc sibi animo fingunt, ab hoste pacis diabolo deluduntur: neque enim cur ea sibi in mentem inducant ulla causa est. Græcorum ritum Franci probant, laudant sacra vestra, vestra festa & jejunia commendant. Optarent Græcos in peragendo Paschate celebrandisque festis secum esse concordes. Si renuunt Græci, ultro patiuntur suo ut in hac re arbitrio agant, cum ad fidem non pertineat. Quanquam si primo Nicæno 318. Patrum concilio volunt esse obse-

Ecclesiarum unionem nolunt omnino Græci.

quentes, eodem cum Francis tempore habebunt festa. Missam vero tantum abest ut Franci velint perfici apud Græcos in azymis, idque ab iis extorquere pertendant, ut Græcis id licere negent, quia hunc non malum celebrandi in fermentato morem dudum est cum servat Græca ecclesia, neque fas privatis hominibus ecclesiæ suæ probatos mores pro libidine infringere. Symbolum quemadmodum ab Græcis recitatur, minime Franci condemnant: modo Græci profiteantur quod docent sacræ litteræ, quod tradunt Patres, quod suis ipsi in libris legunt, quod suis in precibus concinunt, Spiritum sanctum ex Patre & Filio, seu, quod eodem sensu effertur, per Filium procedere; eos Franci non cogunt id ut symbolo inserant. Nam cum omnia quæ Patris sunt, Filii quoque sint, ubi non intercedit relatorum oppositio, cum dicunt in symbolo Spiritum sanctum a Patre procedere, perinde est atque si dicerent, & ex Filio. Quamquam explicationis majoris gratia, ne circumvenirentur ab hæreticis orthodoxi, Francos necessitas sic exponere compulit, majorum, eorumque Græcorum exemplo, qui apostolorum symbolum in Nicæna synodo, Nicænum in Constantinopolitana, Constantinopolitanum in aliis explanarunt. Quid exigunt præterea ab Græcis Franci? Omnino nihil, nisi, ut quam acceperunt ab apostolis & sanctis Patribus fidem inviolatam teneant: & sicut violari illam ab Ario, ab Macedonio, ab Nestorio, ab Dioscoro non sunt passi, sic nec patiantur illam ab Photii aut Marci Ephesini discipulis labefactari. Quid optant Franci? legerunt Græcorum libros, deprehenderunt eximiis testimoniis quæ pertinent ad fidem probari. Optant ut his Græci testimoniis quæ palam recitant atque prædicant assentiantur. *Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Fierine potest ut cum Græcis Franci agant amicius? Si qua in re Franci peccant contra fidem, aut morum disciplinam, doceant Græci: eos libenter audient; &, si quem demonstraverint errorem, eum continuo Franci deponent. Sed, ut verum eloquar, nihil in Francorum doctrina, si placet attendere, advertent erroris. Qua enim cura pontifex summus Christi vicarius e Petri cathedra omnia perspicit, cavetque ne quid novi, ne quid, quod fidem labefactet, vel dicatur, vel scriba-

tur? Quo ſtudio doctores ubique & religioſi viri innumeri litteras ſacras ſanctoſque Patres evolvunt, e quibus ſacram doctrinam exugunt, depromuntque tela omnis generis, quibus hæreſes omnes profligent? Quo zelo eos qui deliquerint in fide, Chriſtiani reges inſectantur & puniunt; Non licet, mihi credite, apud Francos, ubi Chriſtiana religio imperat, id eſt, ubi orthodoxi principes regnant, vigetque rerum humanarum divinarumque ſcientia, quod in iſtis partibus impune cuique liceat. Si quis enim novum errorem moliatur contraquam in evangelio traditur, quis hic nefarium hominem magiſter refellet & confutabit? quis rex coercebit & ejiciet? ubinam contra ipſum ejuſque aſſeclas doctiſſimorum hominum & antiſtitum ſynodus cogetur? qua vi ſynodi decretis obſequi compelletur? Verum longius excurro. Audiſtis Latinos ab Græcis non diſcedere, ſed e Græcis aliquos minus Chriſti Deique amantes diſceſſiſſe a Latinis. Audiſtis nihil fieri omnino poſſe, quo Græcos Franci amicos habeant, quod ab Francis omni conatu non fiat: Græcos autem illos vix ac ne vix quidem pro ineunda concordia quidquam tentare, adeo ut, bona illorum venia dixerim, illudere videantur Deo, cum poſtulant eccleſiarum unionem, quam nolunt. Si enim eam vellent ex animo, quid ad manum magis, quid facilius? ſed quid magis neceſſarium, cum eos conſtet qui unionem vel rejiciunt, vel non curant, ſalutem aſſequi non poſſe. Nempe caritate divina carent, qua qui caret, careat Deo neceſſe eſt,
1. Joan. 4. quia *Deus caritas eſt.* Qui ſe ab catholica Chriſti eccleſia ſegregarunt, ut ſibi unis privatam ex arbitrio efforment eccleſiam, illos cælesti ab eccleſia excludi ſanctiſſimi Patres edocent. Chriſtus enim ovile non multiplex, ſed unum habet, quo continentur non Græci dumtaxat, ſed quicunque ex orbe toto Chriſti fidem amplexi totam & ſanam, omnia ſervant, quæ ab Chriſto apoſtolis ſunt præcepta, atque id in primis, ut diligant invicem. Hoc ſcilicet Chriſti præceptum eſt, hoc mandat, ea re ſuos ab aliis diſcipulos vult cognoſci. Hoſtis Chriſti eſt, non diſcipulus, qui hanc unionem repudiat. Dicant Græci quid ab Francis velint, concedent illi omnia quæ recta, quæ bona erunt, imo quæ non apertiſſime probabuntur mala. Nam Franci ab Græcis hoc poſtulant unum, ut amici

sint, nihilque in fide illa mutent, quam docuit Christus, quam annuntiarunt apostoli, quam explanarunt sanctissimi Patres Athanasius, Gregorius, Basilius, Joannes Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, & concilia omnia in Oriente & Occidente habita, quam ipsi legunt in libris ecclesiasticis suis. Hic ad suos conversus *Nicolaus*, Non video, inquit, quid proponi æquius possit aut suavius: & qui eas conditiones respuat, vere pronuntiavit Ignatius, ab eo neque Christum amari, neque ecclesiam. Præclare multisque peroravit Ignatius, subjecit *e Græcis sacerdotibus nescio quis*; verum inquirere ista omnia otiosorum hominum est, non nostrum, qui tot implicamur negotiis, laboribusque frangimur. Nolite, inquit *Ignatius*, nolite negotiorum vel multitudinem vel pondus causari. Hoc enim primum jubente per Petrum Deo Christianis hominibus, & maximè sacerdotibus, incumbit, ut *parati sint semper ad reddendam rationem de eá, quæ in nobis est, spe.* Deinde cæteris omnibus negotiis anteponendum est istud. (quod enim negotium animi salute potius sit?) Salvari autem non potest, vel qui nescit an veram profiteatur fidem, & negligit inquirere; vel qui, cum sciat se frui vera, illam alios edocere non vult, maximè, si quemadmodum facimus, edoceri se postulant, spondentque se, quod erit verius, statim amplexuros. Denique huic tanti momenti negotio cum aliis vestris locus esse potest. Neque enim est dierum plurium. Certe polliceri id possumus, nos die uno apud eos qui veritatem amant ex animo, & animæ saluti vere consultum volunt, rem omnem confecturos. Verbo dicam: a vobis pacem volumus & efflagitamus. Quidquid æquum est postulate, dabimus: locum & tempus colloquendi, ut lubebit, optate; aderimus. Oratis quotidie pro ecclesiarum unione: illam vobis Deus offert. Si vere illam expetitis; actum est. Hoc tantum: audite nos. Si quod verum est exquisiistis & scitis; docete, libentissime discemus: si nescitis, salus vobis nulla est, sed æterna pœna, nisi discatis. Quantum consequemini gloriæ, si optatissima pace donabitis ecclesiam? quantum accedet ad omnes emolumenti & gratiæ? Per mihi mirum visum est, inquit *Nicolaus*, quod affirmasti, opera prope nulla conciliari ecclesias posse Latinam & Græcam, quas ab se invicem avulsas tot

Hæreticis & schismaticis salus esse non potest.
1. Pet. 3.

abhinc sæculis, tanta tamque multiplici opinionum varietate cernimus; quasque revocare ad mutuam conjunctionem tot pontifices ac reges, cum sint conati, minime potuerunt. Tribus maxime vicibus, reposuit *Ignatius*, Græcos inter Latinosque redintegrata pax fuit. Ac prioribus quidem duabus in Lateranensi quarta & secunda Lugdunensi synodis nullo ferme negotio. Lis mota de processione Spiritus sancti in Florentina vehementior. At contentionem protraxit incenditque non caussæ difficultas, sed Marci Ephesini Romanam in ecclesiam odium & effrænatus contumaxque animi tumor. Fac, nullo partium, at veritatis unius studio nobiscum Græci amice ad disceptationem conveniant: nihil necesse erit depromere e theologiæ abstrusis fontibus argumenta, veterum omnium scrutari sententiam, evolvere reconditos annales, & præteritarum ætatum memoriam referre. Græcæ ecclesiæ fidem ex ipsis quos Græci ad orandum adhibent libris, plane intelligimus Romanam & apostolicam esse, nihilque Latinos inter Græcosque occurrere discriminis, nisi amoris & odii, eadem utrosque mente sapere. Operæ pretium erit, inquit *Nicolaus*, periculum modo facere; ecce tibi Missarum codicem, Euchologion, Menæum, Paracleticas, & Pentecostarion. Abunde est, respondit *Ignatius*, librosque illos cum accepisset in manus, pluribus ipsorum testimoniis ostendit Spiritum sanctum & Patris & Filii esse Spiritum, eumque a Patre per Filium, sive quod idem est, & ab Filio, procedere. Animas postquam e corpore excesserunt nonnullas, si coinquinantur leviorum culparum sordibus, expurgari inflictis a Deo pœnis, ac demum mundatas peccatisque condonatis evolare in cælum. Ibi cum sanctis hominibus angelorum ac Christi Domini societate gaudere, facie ad faciem intueri Deum, & summum beatitatis apicem attigisse: S. Petrum Romanum fuisse episcopum, ecclesiamque, quanta est, universam tanquam Christi in toto orbe vicarium administrasse: ejus successores esse pontifices Romanos, atque ipsis patriarchis quos habent ut fratres, apostoli hujus principis loco præesse, eosque de Christi regis mandato confirmare. Quæ cum legeret in Græcorum libris Ignatius, obstupescebant quotquot in cœtu aderant, mirabanturque eo suos devenisse vel cæcitatis, vel oscitantiæ, ut hæc

cum volvant, habeantque præ oculis sæpissime, minime advertant. Tum *Ignatius*, Hæc, inquit, cum plana sint & aperta, quæ salus iis esse possit, qui obstinate sua pernegant, nihilque nobiscum sibi volunt esse commune? Quo jure illi Græcorum nomine gloriantur, qui neque fidem suis in libris propositam suscipiunt, neque sanctorum de sua gente Patrum summam nobiscum consensionem imitantur? Etsi Romanam isti ecclesiam acerbissime & contumeliosissime contra fas omne divexant, nolim contorqueri in eos quod est a Deo in apocalypsi Joannis de Judæis nescio quibus prolatum: *Blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanæ.* Græcos se jactant, & non sunt. *Non enim qui in manifesto, Judæus est*, vel Græcus; *neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio*, vel ecclesia Græca: *sed qui in abscondito, Judæus est*, aut Græcus; *& circumcisio cordis in spiritu, non littera: cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo.* Littera & appellatione forte Græci sunt, non sunt spiritu; & si qua ipsis laus, ea non ex Deo, sed ex hominibus ab pace, id est, a Deo aversis. Græci non sunt, sed sunt synagoga, non audeo pronuntiare quænam illa sit, & cujus. Deus novit. Non est certe Græcorum, hæc enim divina est, & Dei verique amantium. Itaque, ut Apostoli verbis perorem, *quæ pacis sunt, sectemur; & quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus*; & *Deus patientiæ & solatii det nobis in idipsum sapere, in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificemus Deum, & Patrem Domini nostri Jesu-Christi. Propter quod suscipiamus invicem, sicut Christus suscepit nos in honorem Dei.* Nempe *unum corpus sumus*, nec vult Deus *schisma esse in corpore*, atque ut ne sit, *certo quodam modo temperavit corpus*, quo *id ipsum pro invicem sollicita sint membra.* Quare obsecro vos ut sitis solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, & verè unum corpus unusque spiritus simus. Omnis sermo malus ex ore nostro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus: & nolimus contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati sumus in die redemptionis. Omnis amaritudo & ira & indignatio & clamor & blasphemia tollatur a nobis cum omni malitia. Simus autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem,

Non sunt verè Græci qui a Francis in fide dissident.

c. 2.

Rom. 2.

Rom. 15 & 14

ſicut & Deus in Chriſto donavit nobis. Simus imitatores Dei ſicut filii cariſſimi, & ambulemus in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis. Dixi. Optamus, inquit *Nicolaus*, dicere te pluribus: ſed quia defeſſum te ex itinere refici oportet, bona tua & ſocii venia abſcedimus, & fauſtam utrique noctem apprecamur.

DIALOGUS II.

De proceſſione Spiritus ſancti quod Latini ſentiunt, id Græcos tradere.

DIES Græcorum in cœnobio plurimos commoratus eſt cum ſocio ſuo Romano Ignatius. Quo tempore nihil eſt ab abbate Nicolao prætermiſſum, quo utrumque non mediocriter diuturna peregrinatione defatigatum reficeret. Fuit tamen plenum negotii otium illud ſuaviſſimum. Nam eo ipſo quo advenit Ignatius die, & cum religioſis Græcis adeo amice atque erudite eſt collocutus, acceſſit Methodius ſacerdos. Vir erat ætate maturus, Græcis litteris nonnihil eruditus, ut non legere modo, quod ſolent alii, poſſet, ſed intelligere lecta, eaque vernaculo idiomate interpretari. Quare habebatur inter ſuos doctrinæ ſingularis; nec erat his in partibus, quem, ubi oriebantur dubia, libentius conſulerent. Francos palam odiſſe, ne videretur ingratus, non audebat: eos enim olim audierat magiſtros; nolebat etiam palam amare, ne minus ſuis placeret. Immo ſolebat identidem eorum impugnare placita, unde ſibi plauſum colligeret & famam. Vix acceſſerat; & ecce tibi conveniunt ad eum omnes, de Francorum adventu monent, geſta cum ipſis & dicta commemorant, idque in primis Ignatium ex ipſorum libris ad oculum demonſtraſſe, nihil docere Francos, quod ad Dei cultum religionemque ſpectet, quod idem Græci non amplectantur: attonitos novitate hæſiſſe ſingulos, nihil, quod reſponderent, occurriſſe, deſideratum fuiſſe ab omnibus Methodium, veniſſe ipſum duce Deo. Fieri ab Francis, inquit *Methodius*, quod factum narratis,

narratis, nullo pacto potuit. Neque enim ſejuncti illi a nobis eſſent, ſi paria ſentiremus. Idque poſt exactam noctem mane craſtino tum vobis, tum Ignatio, ſi convenimus ad colloquium, probaturum me adpromitto. Ubi dies illuxit, perſolutis in templo de more officiis religioſos hoſpites Nicolao Methodioque ducibus magno audiendi ſtudio Græci prope omnes inviſerunt. Ac *Methodius*, poſt datam acceptamque ex urbanitatis legibus ſalutem, Neſcio, inquit, quo adverſo meo fato heri factum eſt, ut ſerius in has ædes acceſſerim, nec ea frui licuerit voluptate, qua omnium animos, cum diceretis de neceſſitate diligendi, perfudiſtis, eaque Græcos maxime & Latinos vel hinc oſtenderetis obligari, quod eadem utrique in libris ſuis de religione ac fide profiteantur, ut multis atque luculentis librorum noſtrorum teſtimoniis explanaſtis. Hoc vero maxime avebam inſpicere, cum ſint e noſtris non pauci, qui ut ſibi illud in animum inducant, adduci non poſſunt. Res tamen perſpecta eſt, inquit *Ignatius*, & vel cæcis ipſis, ut aiunt, aſpectabilis. Nonnulla de multis ſunt a nobis heſterno die allata; hodierno, ſi ita placet, proferemus plura. Immo perplacet, inquit *Nicolaus*, nec majorem poteſtis in nos omnes gratiam conferre. Ecce libros noſtros. Tum *Ignatius* ad *Romanum* ſocium ſuum converſus, Tuæ ſunt, ait, hodie partes, heri meas explevi, perque gratum erit venerandis patribus, ſi poſtquam me audierunt, te quoque audiant. Satius eſſet, colendiſſimi patres, ſubjecit *Romanus*, ſi, qui me ætate doctrina & gradu longe ſuperat, ut cœpit dicere, ſic abſolveret: ſed quoniam loqui me jubet, non poſſum non obſequi in re præſertim minime ardua. Agite ergo unde vultis exordium duci. Tuum eſt, o Methodi, inquit *Nicolaus*, hic velle & eloqui. Tum *Methodius*: Velim, o Romane, abs te hoc primum diſcere, an libri noſtri Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere doceant. Docent enimvero, repoſuit *Romanus*, modiſque id pluribus ac variis exponunt. Verum ante quam id oculis ſubjicio, juvat, immo neceſſe etiam eſt, ut tu nobis prius explices, quid ſit *Spiritum ſanctum a Patre procedere*, ut ipſum ego quoque a Filio procedere demonſtrem. Hæſit ad interrogatum *Methodius*: neque enim unquam in Theologia audierat; & veritus, ne quid ſecus diceret, negotium omne in Romanum refudit.

Abs te, inquit, ego id quæro: Quid eſt ab Patre Spiritum ſanctum procedere? Hoc expone: tum oſtende quod in Patre eſt, id quoque reperiri in Filio. Mirum eſt, inquit *Romanus*, ſic te ſciſcitari qui Chriſtum audis hoc apertiſſime in evangelio aſſeverantem Joan. c. 16. v. 15. *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt.* Atqui Pater habet, ut procedat ab ipſo Spiritus ſanctus: Ergo & Filius id ipſum habet. Si enim non habet Filius ut ab ipſo Spiritus ſanctus emanet, falſum eſt ejus eſſe omnia, quæcunque habet Pater. Chriſtus autem cum ſit ipſiſſima veritas, falſum proferre non poteſt. neque enim exiſtit e veritate falſitas. Expende ergo quid doceat, unus magiſter noſter Chriſtus. *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi quia* (Spiritus ſanctus) *de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Hæc Chriſti ratiocinatio eſt. Habet Pater, ut de ſuo accipiat Spiritus ſanctus: Sed hoc habeo quod habet Pater: Ergo id habeo ut de meo quoque accipiat. *Propterea dixi quia de meo accipiet.* Viden' qua Chriſtus ratione promulget, a ſe quoque procedere ſanctiſſimum Spiritum? Non video, inquit *Methodius*; illud audio dumtaxat, Spiritum ſanctum aliquid a Chriſto accipere. Quid eſt, o Methodi, urget *Romanus*, non vides omnia quæcunque Pater habet, & Filium habere, neque excipi quidquam? Hoc, inquit, video. Tum *Romanus*: Si Pater habet, ut ab ipſo procedat Spiritus ſanctus, & hoc Filius non habet; non habet profecto omnia, quæcunque habet Pater. Non diſſimulabo, inquit *Methodius*; vim argumenti hujuſce maximam ſentio. At Chriſtus hinc tantum efficit de ſuo accipere Spiritum, non efficit ab ſe procedere. Dic amabo, inquit *Romanus*, quid a Patre Spiritus ſanctus accipit, quid a Filio? Nam ab utroque accipit, evangelio ipſo teſte. Hic *Methodius* abbatem intuitus, Quid dicam, inquit? Si reſpondero, accipit a Patre ut ab ipſo procedat; occurret ſtatim: Ergo & id ipſum ab Filio accipit, quia omnia habet Filius quæcunque habet Pater. Si dixero, accipit communem ab utroque divinam naturam; id ipſum eſt quod procedere. Si adduco Chryſoſtomi dictum: *De meo accipiet; hoc eſt, quæ ego ſcio & cognoſco, una eſt enim mea & Spiritus cognitio.* τὸ δὲ ἐκ τοῦ ἐμοῦ, ἐξ ὧν ἐγὼ οἶδα, ἐκ τῆς ἐμῆς γνώσεως, μία γὰρ ἐμοῦ καὶ τοῦ πνεύματος γνῶσις. Inſtabit, ſi cognitionem &

Spiritus ſanctus ab Patre & Filio procedit.

Probatur 1. ex ſcriptura.

Quid eſt Spiritum ſanctum de Filio accipere.

Hom. 77. in c. 13. Ioan.

ſcientiam ab Filio Spiritus accipit, accipit quoque naturam divinam. Neque enim duo quædam ſunt in Deo, natura & cognitio, ſed una eademque res ſimpliciſſima. Aliud, inquit *Romanus*, quod reſpondeas noli quærere: neque enim quidquam invenire eſt ingenuo viro dignum. Inveni, repoſuit *Methodius*, quod interrogem, quodque reſpondeam. Rogo enim, cur Chriſtus *de ſe* accipere Spiritum ſanctum non dixit, ſed *de ſuo?* Hoc dixit, ſubdidit *Romanus*, quia rem voluit edocere accurate. Duo enim, ut ſic loquar, habet Filius, naturam ſcilicet & perſonam; Spiritus autem non accipit ab Filio, niſi naturam. Unde veriſſime de eo quod Filii eſt accipit, quia ejus naturam accipit, non perſonam: ſed ipſe ab eo naturam eandem communem & totam accipiendo, perſona exiſtit alia, quam tertiam in Deo adoramus & colimus. Bene eſt, inquit *Methodius*. meum jam reſponſum eſt, etſi Filius non habeat, ut ab eo procedat Spiritus, nihil officere quo minus e veritate pronuntiet, *Quæcunque habet Pater, mea ſunt.* Quemadmodum, quamvis, quæ eſt in Patre, paternitatem non habeat, vere dixit, quæ Patris ſunt, ea omnia ſua eſſe. Cum attenderis ad Chriſti verba, repoſuit *Romanus*, nullo tum negotio intelliges ſic verbis illis ſpirandi vim Filio aliaque omnia tribui, ut paternitas una excipiatur. Si enim paternitatem quæ eſt in Patre, ab ſe Chriſtus non exciperet, re nulla diſtingueretur a Patre, cujus & naturam & perſonalitatem haberet, ſibique eſſet Pater, ipſumque ſe ipſe gigneret. Quod ſi eam non haberet quæ eſt in Patre, paternitatem, ſed aliam non diſſimilem, jam non haberet quæcunque habet Pater, ſed quidpiam aliud. Et demonſtrant SS. Patres & Theologi Filium non poſſe Filii alterius eſſe Patrem, non ex imbecillitate potentiæ, ſed ex infinitate virtutis. Hæc autem cum minime ſint iſtius loci, abunde mihi eſt quod dici ratione nulla potuit, Filium habere quæcunque ſunt Patris, niſi quemadmodum Spiritum ſanctum Pater exſpirat, & ipſe eundem eadem virtute ſpiret. Et ſpirare ſe illum palam affirmat, cum ait, *de meo accipiet.* Quid enim Spiritus ſanctus, cui nihil deeſt, accipere poteſt a Filio, niſi naturam divinam. Et locuples rei hujuſce teſtis eſt Epiphanius in Anchorato. *Chriſtus*, inquit, *ex Patre creditur Deus ex Deo, & Spiritus ex Chriſto, ſive ex* *Ab Filio Spiritum ſanctum accipe.*

re, id ipsum est quod procedere.

ambobus, ut Christus his verbis asserit, qui a Patre procedit & hic de meo accipiet. Χριστὸς ἐκ τοῦ πατρὸς προΐεται Θεὸς ἐκ Θεοῦ, καὶ τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ Χριστοῦ, ἢ παρ' ἀμφοτέρων, ὡς φησὶν ὁ Χριστὸς, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται καὶ οὗτος ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται. Nec alio sensu Cyrillus Alex. l. 11. in Joan. Evang. c. 1. *Quoniam Filio consubstantialis est Spiritus, ac per ipsum eo procedit, qui Deum deceat, modo, omnem illius in omnibus absolutissimam habens operandi vim & efficientiam: idcirco dicit, quia de meo accipiet.* ἐπειδὰν δὲ ὁμοούσιόν τε ἐστὶ τῷ υἱῷ καὶ πρόεισι θεοπρεπῶς δι' αὐτοῦ, πᾶσαν αὐτοῦ τὴν ἀφ' ἅπασι τελεωτάτην ἔχον ἐνέργειάν τε καὶ δύναμιν, διὰ τοῦτό φησιν, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται. Concinit Athanasius in sua ad Serapionem epist. tom. 2. *Qualem novimus proprietatem Filii ad Patrem, talem habere Spiritum ad Filium comperiemus, atque ut Filius ait, omnia quæcunque habet Pater, mea sunt, sic eadem omnia Spiritui per Filium reperiemus inesse.* οἵαν ἔγνωμεν ἰδιότητα τοῦ υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα, ταύτην ἔχειν τὸ πνεῦμα πρὸς τὸν υἱὸν εὑρήσομεν, καὶ ὥσπερ ὁ υἱὸς λέγει, πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, ἐμά ἐστιν, οὕτως ταῦτα πάντα διὰ τοῦ υἱοῦ εὑρήσομεν ὄντα καὶ ἐν τῷ πνεύματι. Et in orat. 4. contra Arianos: *Ipse* Filius *Spiritum dat, ut dicitur, & omnia quæ Spiritus habet, ea habet ex Verbo.* αὐτὸς γὰρ, ὥσπερ εἴρηται, τὸ πνεῦμα δίδωσι, καὶ ὅσα ἔχει τὸ πνεῦμα, ταῦτα παρὰ τοῦ λόγου ἔχει. Si res perinde se habet, inquit Methodius, atque tu refers, non diceret Christus Spiritum de suo accepturum, accepisse de suo diceret. Ab omni enim retro æternitate Spiritus sanctus processit. Quare minime intelligi hic locus debet de Spiritus sancti processione, cum ipsa præteriti sit temporis, vox autem illa, *accipiet*, futuri. Ad hæc *Romanus:* Sic processit, o Methodi, ab æterno Spiritus, ut sit in æternum processurus. Immo si rem recte capimus, neque processit, neque procedet Spiritus, sed nunquam intermissa emanatione procedit. Alias qui Deus est omnis expers mutationis, præterita processione mutatus esset, aut mutandus futura. Dicitur tamen aliquando, *accepit* & *accipiet*, *processit* ac *procedet.* at profertur illud nostri dumtaxat habita ratione. Nam Spiritus sancti unus semper est idemque status. Illum ergo processisse dicimus, ubi tempus illud quod decurrimus, cum eo comparamus quod præteritum nobis est; processurum vero, cum futuras ætates

intuemur. Quo tempore procedendo, ut ſemper fit, ab Patre & Filio aliquid extra ſe efficiet, annuntiabit verbi gratia apoſtolis divina myſteria. *De meo*, inquit Chriſtus, *accipiet, & annuntiabit vobis.* Id eſt, procedendo ex me, ſeu quod idem eſt, naturam ex me accipiendo ſcientiamque divinam, vos edocebit. Sed juvat hic audire Auguſtinum, cujus doctrinam V. ſynodus collatione III. probavit, & ſuſcipiendam decrevit, cujus autoritate ſe VI. communiit act. VIII. Is tract. 99. in Joann. in illud quod eſt ab Chriſto dictum de Spiritu ſancto, *Quæcumque audiet, loquetur & annuntiabit vobis*, ſic diſſerit: *Nec moveat quod verbum futuri temporis poſitum eſt. Non enim dictum eſt, quæcunque audivit, aut quæcunque audit, ſed quæcunque audiet, loquetur. Illa quippe audientia ſempiterna eſt, quia ſempiterna ſcientia. In eo autem quod ſempiternum eſt, ſine initio, ſine fine, cujuſlibet temporis verbum ponatur, ſive præteriti, ſive præſentis, ſive futuri, non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis & ineffabilis non recipiat, fuit, & erit, ſed tantum, eſt. Ipſa enim veraciter eſt, quia mutari non poteſt: & ideo tantum illi convenerat dicere, Ego ſum, qui ſum. Et dices filiis Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos; tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus verſatur noſtra mortalitas, & noſtra mutabilitas, non mendaciter dicimus, & fuit, & erit, & eſt. Fuit in præteritis ſeculis, eſt in præſentibus, erit in futuris. Fuit, quia nunquam defuit; erit, quia nunquam deerit, eſt, quia ſemper eſt. Neque enim velut qui jam non ſit, cum præteritis occidet; aut cum præſentibus, velut qui non maneat, labitur; aut cum futuris, velut qui non fuerat, orietur. Proinde cum ſecundum volumina temporum locutio humana variatur, qui per nulla deeſſe potuit, aut poteſt, aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cujuſcunque temporis verba. Semper itaque audit Spiritus ſanctus, quia ſemper ſcit. Ergo & ſcivit, & ſcit, & ſciet. Ac per hoc & audivit, & audit, & audiet. Quia ſicut jam diximus, hoc eſt illi audire quod ſcire, & ſcire illi, hoc eſt quod eſſe. Ab illo igitur audit, a quo eſt; ab illo eſt, a quo procedit.* Sic probat Auguſtinus, doctorum aquila, unum eſſe idemque Spiritum ſanctum audire, & accipere a Filio, atque ab ipſo eſſe & procedere, quocunque verba hæc tempore efferantur. Cum hac ſe ſententia nimio opere premi ſentiret *Methodius*, nec oc-

curreret quod opponeret, alio ut ſermonem inverteret, exclamavit: Deus bone! quo nos hac longa oratione abducis, quibus hoc unum propoſitum eſt, ut abs te e libris noſtris intelligamus Spiritum ſanctum non ab Patre tantum, ſed ab Filio quoque procedere? Ecce tibi Pentecoſtarium, Paracletica, Menæa, Euchologium & libros alios. Ubinam Spiritus ſanctus traditur ab Patre Filioque procedere? Quod in me recepi, inquit *Romanus*, id nunc maxime efficio; libros iſtos quos offers, non rejicio: at ratus veſtris in libris locum principem Chriſti Domini evangelio tribui, ab ipſo ſum exorſus, & ex ipſiuſmet Chriſti verbis oſtendi Spiritum ſanctum ab ipſo, qui Dei Filius eſt, extare; quia omnia quæcunque Pater habet, & ipſe habet. Interpretes adhibui Athanaſium, Cyrillum, Epiphanium Patres veſtros, Auguſtinum e noſtris unum, quem & veſtrum eſſe juſſerunt e ſynodis œcumenicis V. & VI. Omnes hi una mente hanc Spiritus ſancti ab Patre & Filio proceſſionem in iſtis evangelii verbis apertiſſime viderunt. Non ergo te, o Methodi, tuis e libris eduxi. Sed quoniam ita placet, tritos iſtos quotidiano uſu, quos adhibetis ad preces, conſulamus. Ac primum Pentecoſtarion profer littera ⸸ τῇ ἑσπέρας. Protulit Methodius; ibique ita *Romanus* legit. *Spiritus ſanctus, qui lumen eſt ſumme perfectum effulgens e lumine, ex Patre perfecto & principii experte, & per Filium procedens, ejuſdem cum Patre & verbo naturæ ac dignitatis agnoſcitur.* τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον Θεὸς συμφυεὶς καὶ σύνθρονος πατρὶ καὶ λόγῳ γνωρίζεται, φῶς ὑπερτέλειον ἐκ φωτὸς ἐκλάμψαν ἐξ ἀνάρχου τελείου πατρὸς καὶ δι' υἱοῦ προερχόμενον. Quod cum Romanus ex libro recitaſſet: Nota, inquit, verba omnia & verborum ſententiam, & eccleſiæ mentem in hunc modum concinentis. Agnoſcitur Spiritus ſanctus eadem gaudere natura atque excellentia, qua Pater & Filius. Unde agnoſcitur? quia lumen eſt ſumme perfectum e lumine effulgens. At quonam e lumine? Ex eo ſcilicet, cujus naturam & dignitatem obtinet. Quodnam verò illud lumen eſt? Pater & Filius: a Patre enim per Filium procedit. Græcorum igitur eccleſia Spiritum ſanctum hic probat ejuſdem eſſe cum Patre & Filio naturæ & dignitatis, quia eſt a Patre & Filio. Nam quidquid in Deo a Deo eſt, ex neceſſitate Deus eſt. Hic Romanum *Methodius* arguit.

Probatur 2. Spiritum ſanctum ab Patre & Filio procedere. Ex Pentecoſtario Græcorum.

Non legis, inquit, Spiritum ſanctum ab Patre eſſe & Filio, ſed ex Patre per Filium procedere. Utrumque lego, repoſuit *Romanus*. Canit enim eccleſia veſtra Spiritum ſanctum eſſe eadem cum Patre & Filio natura & dignitate prædictum; idque hinc agnoſci quia *lumen eſt ex lumine promicans*. Lumen autem illud (uti exponit etiam fidei ſymbolum) Patrem eſſe & Filium. Lumen porro emicare e lumine, credo, non neſcis idem eſſe atque lumen e lumine procedere. Unde cum lego, Spiritum ſanctum ex lumine, Patre ſcilicet ac Filio, effulgere, ipſum lego, a Patre Filioque procedere. Cur ergo, inquit *Methodius*, ſubjungitur Spiritum ſanctum ex Patre per Filium procedere, non autem ex Filio? Quia, reſpondit *Romanus*, cum Spiritum ex Patre per Filium procedere idem ſit, atque e Patre Filioque exiſtere, qualibet utaris loquendi formula, idem affirmas. Deinde quia cum paulo ante dixit eccleſia veſtra *ex lumine* quod Pater & Filius eſt, emicare Spiritum, voluit poſtea rem accuratius tradere, & docere ita Spiritum ſanctum ab hoc lumine, Patre ſcilicet & Filio, effulgere & eſſe, ut principaliter tamen, ſi licet ita eloqui, a Patre ſit. Atque id ſic demonſtravit *Romanus*. Quæro, inquit, abs te, o Methodi, quid eſt Spiritum ſanctum procedere a Patre? Aliud profecto nihil, quam naturam divinam ab eo communicatam accipere. Jam, quid eſt Spiritum ſanctum ab Patre per Filium illam accipere naturam? An quod Pater ſic Filio utatur tanquam inſtrumento ad Spiritus ſancti productionem? Abſit, cum enim inſtrumentum omne nihil efficiat niſi ab alio motum, tum in ſe arguit, tum in eo a quo adhibetur, imperfectionem. An quod precibus & autoritate Filii Pater adductus Spiritum ſanctum ſpiret? Id vero qui ſana mente ſit, ne cogitet quidem. Aliud ergo nihil eſt Spiritum ſanctum ex Patre procedere per Filium, quam Patrem gignendo communicare Filio naturam divinam, quæque in ea ſunt omnia, e quibus eſt ſpirandi virtus, per quam utrique communem Spiritus ſanctus procedit. Jam vero quod præpoſitio διὰ ſive *per* eodem efferatur ſenſu atque iſta ἐξ ſive *ex*, multis poteſt argumentis declarari. 1°. Ex ipſo allati teſtimonii textu. Ibi enim affirmant Græci Spiritum ſanctum agnoſci ejuſdem eſſe cum Patre & Filio naturæ, quia ex Patre per Filium proce-

Lumen de lumine.

Spiritum ſanctum ab Patre per Filium procedere, idem eſt atque ab Patre Filioque procedere.

dit. Nempe hinc ſolent Patres efficere perſonam unam divinam ejuſdem eſſe cum altera naturæ, quod ab ipſa, interiore atque immanente actione procedat. 2°. Præpoſitiones *per*, & *ex*, διὰ & ἐξ, uſurpari ſignificatione promiſcua apud prophanos ſacroſque auctores infinitis oſtendi teſtimoniis poteſt. Ut Cyrilli qui theſauri aſſert. 34. capitulo ſic inſcripto *Quod Spiritus ſanctus ſit ex Patris Filiique ſubſtantia*, Spiritum hunc divinum ait προϊέναι ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ, *ex Patre Filioque procedere.* Idemque de recta fide ad reginas, προϊέναι δι' ἀμφοῖν, *per ambos*, Patrem ſcilicet & Filium *procedere.* Multa ſunt hujuſcemodi pueris ipſis in Octoecho ſuo, ubi diſcunt legere, obvia. Nam in ſono 1. ſic virginem beatiſſimam compellant: συλλαβοῦσα ἐν γαστρὶ παρθένε διὰ πνεύματος. *O virgo quæ Deum in utero per Spiritum ſanctum concepiſti.* Quod idem in ſymbolo fidei per præpoſitionem *ex* effertur: πιστεύω καὶ εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου. *Credo in Jeſum Chriſtum Filium Dei incarnatum ex Spiritu ſancto.* Item in alio infrà Octoechi loco: χαῖρε ὁ παγκόσμιος χαρὰ, δι' ἧς ἡμῖν ἐξανέτειλεν ὁ αἰνετὸς τῶν πατέρων Θεός. *Gaude, o quæ totius mundi lætitia es, per quam nobis exortus eſt laudabilis Patrum noſtrorum Deus.* Idque ipſum in ἤχῳ 5. particula *ex* ſcribitur: ἀχρόνως ἐκ πατρὸς ἐκλάμψας υἱὸς μονογενὴς, ὁ αὐτὸς ἐκ σοῦ τῆς ἁγνῆς προῆλθεν. *Qui abſque temporum differentia ex Patre Filius unigenitus effulget, ille ipſe ex te puriſſima proceſſit.* Id quoque egregiè exponunt Joſephus Methonis epiſcopus, & Gregorius patriarcha Conſtantinopolitanus ſcriptis illis, quibus ea confutarunt quæ Marcus Epheſinus eccleſiæ Græcorum orthodoxæ importune objecit. Joannes Apoſtolus cum ſcribit primo evangelii ſui capite, *omnia per Verbum facta eſſe*; nonne idem eſt atque ſi dixiſſet, *facta eſſe ab eo omnia*, atque ipſum rerum univerſitati cauſſam extitiſſe? Conſuevit nempe ſcriptura, ut recte advertit Chryſoſtomus hom. 59. in Matth. *per quem* pro *a quo* dicere, ut cum ait Eva Gen. 4. *Poſſedi hominem per Deum*; & Paulus 1. Cor. c. 1. *Fidelis eſt Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus.* Conſule, ſi plura expetis, Joannis Scapulæ Lexicon, ubi allatis ex Athenæo & Ariſtotele exemplis docet, διὰ cum gignendi caſu & ἐξ eodem ſenſu accipi. Nimium hoc demonſtraſti, excepit *Nicolaus* abbas,

abbas, neque ullus est cui illud jam dubium esse possit. Neque nescimus familiare nobis Græcis hoc dictum esse, *Spiritum sanctum ab Patre per Filium procedere.* Pueri ipsi hoc discunt in Octoecho minore, sono 3. sub finem: ἴδυ ἡμῖν ἀκαταίσχυντον πρεσβείαν τὴν σε τεκοῦσαν, Χριστὲ, ταύτης ταῖς ἐντεύξεσιν ἔλεον νέμεις ἡμῖν πνεῦμα μεταδοτικὸν ἀγαθότητος ἐκ πατρὸς διά σε προερχόμενον. *Da nobis, Christe, in advocatam irreprehensibilem eam, quæ te genuit, atque ejus precibus nobis misericordiam largire, Spiritum scilicet bonitatis datorem qui ex Patre per te procedit.* Et in Triodio 7. ode Canonis 2. hebdomadæ, quæ concinitur ad εἱρμὸν, Σπλάγχνων Ἰωνᾶν, sic legitur: ἴθι πρὸς ἡμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον μετόχους τῆς σῆς ἀπεργαζόμενον ἁγιότητος καὶ φωτὸς ἀνεσπέρου καὶ θείας ζωῆς καὶ τῆς εὐωδεστάτης διαδόσεως· σὺ γὰρ ποταμὸς θεότητος ἐκ τοῦ πατρὸς δι' υἱοῦ ἐκπορευόμενον. *Veni ad nos, Spiritus sancte, & participes tuæ effice sanctitatis, & luminis nunquam occidentis, & vitæ divinæ, & odoratissimæ distributionis: tu enim fluvius es divinitatis ex Patre per Filium procedens.* Hoc novimus: sed quosdam audivi qui dicerent particulam *per*, διὰ, non ea hic accipi significatione, qua ἐκ sive *ex*, nihilque aliud sonare nisi σὺν, *cum*: adeoque hanc esse sententiam, *Spiritum sanctum ab Patre cum Filio procedere.* Audisti quidem, inquit *Romanus*; sed neminem audisti, qui probare id posset. Nam 1. quis unquam Græcorum qui Græce novit, διὰ & σὺν, *per* & *cum*, ejusdem esse significati docuit? ubi est rei hujusce in sanctis Patribus exemplum vel unum. Quis illorum quove sensu unquam scripsit *Spiritum sanctum ex Patre cum Filio procedere?* 2. Fac istud ab aliquibus dictum, illi hoc suo effato nobis faverint. Quid est enim Spiritum sanctum ex Patre cum Filio procedere, nisi ex Patre & Filio. Quid Pater cum Filio, nisi Pater & Filius? Filium hic cum Patre non conjungi, reposuit *Nicolaus*, sed cum Spiritu. Quæsivit *Romanus* qua vel ratione vel auctoritate id proferret, quod dici nullo jure posse videatur. Vel enim verborum hæc vis est, *Spiritus sanctus una cum Filio ab Patre procedit uno eodemque actu:* vel ista, *Spiritus sanctus cum Filio simul a Patre procedit, sed actione diversa:* vel hæc denique, *Spiritus sanctus & Filius a Patre procedunt.* Non hæc postrema. Quis enim fingere sibi possit, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πα-

Spiritum sanctum ab Patre per Filium procedere, non idem est atque Spiritum sanctum cum Filio procedere.

πρὸς ἀνάρχου καὶ δι' υἱοῦ προερχόμενον: *Spiritus ſanctus procedit a Patre principii experte & per Filium*; idem eſſe atque ſi dicas, *procedit a Patre Spiritus ſanctus & Filius*. Fateor, inquit *Methodius*, non poſſe hoc dici: at dici poteſt, *procedit a Patre Spiritus ſanctus &* cum Filio. Jam oſtendi, repoſuit *Romanus*, præpoſitionem *per*, διὰ, valde ab iſta diſcrepare *cum*, σὺν, nec poſſe eodem efferri ſignificato. Verum ſit ita; non iſtum tamen poteſt hoc loco habere ſenſum. Nam quæro, ſi procedit Spiritus ſanctus ab Patre cum Filio, eademne *formaliter*, ut ſic loquar, actione, an diverſa? Si actione eadem, qua re Spiritus ſanctus ab Filio diſtinguetur? quidve obſtat quin ſit ipſe etiam Filius? quo denique modo actionis unius ejuſdemque diverſi erunt termini? Si diverſa Filius & Spiritus ſanctus actione procedunt; Filius, quod in confeſſo eſt, intellectus via, voluntatis vero Spiritus ſanctus procedet, quia hic amor, ille verbum eſt. Ergo prius intelligitur Filius originis ordine, quàm Spiritus intelligatur. Ergo ante Spiritus ſanctus quam intelligatur eſſe, concipitur animo Filius eandem habere quam Pater naturam, eademque vi ſpirandi Spiritum præditam. Ergo cum ſit ab illa virtute Spiritus ſanctus, eaque ſit æque in Patre & Filio; ſi ab Patre eſt Spiritus, ab Filio quoque erit. Deinde quidquid ab voluntate exiſtit, eſt ab cognoſcente, ejuſque cognitione prævia. Nihil enim volitum, ut aiunt, niſi cognitum. Ergo ſi Spiritus ſanctus ab voluntate Dei fœcunda eſt, ſicut ab fœcunda mente Filius; (quis enim infœcundam Deo vel mentem vel voluntatem tribuat?) erit etiam ab cognitione ſeu verbo ejus; igitur a Filio, qui aliud nihil eſt, quam divinæ fructus ac terminus cognitionis. Quam ob rem dici Spiritus debet ex Patre Filioque ſive per Filium procedere? Jam vero cum canit apud Græcos eccleſia Spiritum illum ſanctiſſimum *ex Patre per Filium procedere*, affirmari non poteſt ipſum *ex Patre cum Filio procedere*, & ſententiam verborum eſſe iſtam. Cum nullus unquam Patrum, ſi recte memini, nulluſque eccleſiaſticus liber in hunc modum ſit locutus; neque id meritò dici queat, niſi intelligas hac loquendi ratione, ab Patre cum Filio in unitatem principii conjuncto Spiritum emanare. Age, inquit *Methodius*. Si Spiritum ſanctum idem eſt ab Patre & per Filium

Quo ſenſu dici poteſt Spiritum ſanctum ab Patre cum Filio procedere.

procedere, atque ipsum procedere ab Patre & Filio: cur superiorem dicendi formam usurpavit ecclesia Græca, non istam? Adhibuit utramque, inquit *Romanus*, & sancti Patres summi ecclesiæ Græcæ, nisi fallor, principes, non tantum *per Filium* Spiritum sanctum esse dixerunt, sed etiam *ex Filio*. Sunt tamen qui sibi suis temporibus priorem formulam præponendam alteri judicarunt. Volebant enim hoc loquendi modo, & Macedonium ferire, cum solam Spiritus sancti causam conferret in Filium, Basilio teste sub finem secundi adversus Eunomium libri sui; & significare præterea, sic Filium esse Spiritus sancti causam, ut principalis causa sit Pater: cum tamen, quod mirum est, Pater & Filius una sint causa. Verebantur enim ne si dicerent, Spiritum sanctum esse *ex Filio*, illud sic imperiti homines atque hæretici interpretarentur, quasi Filium Spiritus sancti constituissent principale primumque principium. Id quippe innuit præpositio *ex*, & cogitationem in eo sistit cui adjungitur, ut cum dicimus, *Ex sole radius est.* At ista *per*, rem enucleatius declarat, mentemque alio refert ad causam quodammodo priorem, ut cum aiunt, *Per lumen radius est*, nempe e sole. Sic cum Patres scriberent, e Patre per Filium existere Spiritum sanctum; sic Patrem & Filium causam esse Spiritus sancti unam profitebantur, ut tamen id convenire προκαταρκτικῶς assererent Patri, qui fons est totius Deitatis. Præclare, inquit *Methodius*. Cum igitur tantopere hanc loquendi formam probetis, cur ea non utimini; & cum opportunius sit dicere, per Filium, cur dicitis, ex Patre Filioque Spiritum sanctissimum profundi? Melius visum est Patribus nonnullis, reposuit *Romanus*: plerique alterum alteri minime præstare judicaverunt, sed plane idem esse: plures nostra dicendi formula sunt usi. Verum ut ut sit, id jam nolim hic disputare. Abunde mihi est, Spiritum sanctum non posse dici ab Patre esse per Filium, quin agnoscatur ab Patre Filioque procedere. Vellem, inquit *Nicolaus*, in adducto testimonio legeremus non προερχόμενον, sed ἐκπορευόμενον. Nam forte non est vocis hujusce & illius vis eadem similisque sententia. Eadem plane est, respondit *Romanus*. Vide Octoechum, sono obliquo 4. Dominica ad matut. ode 3. μόνοι πατρόθεν ὡς ἐκ τοῦ γεγεννημένον τὸν λόγον, καὶ τὸ πνεῦμα προ-

Cur quidam Patrum Spiritum sanctum maluerint dicere esse per Filium quàm ex Filio.

προέρχεσθαι & ἐκπορεύεσθαι eodem sensu accipiuntur.

ἐλθὸν ἀπορρήτως, καταλλήλοις λογισμοῖς καὶ γραφικοῖς διδάγμασι καταληφότες ἕνα Θεὸν τρισήλιον σέβομεν. *Solum e Patre ut e mente genitum Verbum, & Spiritum, προερχόμενον, procedentem ineffabiliter, idonea consideratione & scriptis doctrinis intelligentes unum trilucem Deum veneramur.* Quid addi queat, inquit *Methodius*, non occurrit; prosequere cætera. Vocem quoque aliam, ait *Romanus*, adamant Græci, qua Spiritus sancti ab Patre & Filio processionem explicent. Utuntur enim *apparendi* verbo, ut cum in officio sabbati illius, quod Quadragesimam antecedit, in quo memoria fit omnium vita functorum, sic orant: ὑπερτελεστάτη μόνας, ὑπέρθεε, τρισυπόστατε, ἀγέννητε πατὲρ, καὶ υἱὸς μονογενὲς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευθὲν, δι' υἱοῦ δὲ φανὲν, οὐσία μία καὶ φύσις, κυριότης, βασιλεία, σῶσον πάντας ἡμᾶς. *Unitas infinite perfecta, summe Deus, in tribus personis subsistens, Pater ingenite, Fili unigenite, Spiritus e Patre procedens, & per Filium apparens, una substantia & natura, dominatus & regnum unum, nobis omnibus salutem largire.* Audisti personarum singularum notiones, quibus inter se invicem distinguuntur & agnoscuntur; proprietatemque Spiritus sancti hanc esse, ut procedat a Patre, & per Filium appareat. Quid est, inquit *Methodius*, Spiritum sanctum *per Filium apparere*, an ab ipso procedere? Quæro ego abs te, opposuit *Romanus*, quid est radium per lumen apparere. Num idem est atque ab lumine existere? At Spiritus sanctus radius est e Deitatis sole ac lumine effulgens, quemadmodum feria v. secundæ quadragesimalis hebdomadæ ad matutinum Græci testantur: υἱὸν ἐκ πατρὸς καὶ πνεῦμα δοξάζω ὡς ἐξ ἡλίου φῶς καὶ ἀκτῖνα. *Filium ex Patre & Spiritum deprædico ac celebro, ut e sole lumen & radium.* Quæro præterea quid est, Verbum apparuisse ex virgine, nisi ipsum ex ea prodiisse? ut cum sub finem exequiarum quæ sacerdoti vita functo fiunt, sic legitur: φανεὶς ἐκ τῆς παρθένου, παρθενίας με λόγε ἀξίωσον. *O qui ex virgine apparuisti, dignum me effice virginitatis præmio.* Et in Octoecho, sono obliquo 2. ante oden 5. τῆς ζωῆς τὸ ξύλον ἐκ σοῦ φανὲν, πάναγνε, ἀνέστησε. *Lignum vitæ, o quæ sanctitate omni prædita es, quod ex te apparuit, surrexit.* Audi super ea re Cyrillum dial. 3. de Trinitate: καὶ ὅτι μὲν, ἐκ Θεοῦ πεφηνέναι τὸν υἱὸν, οὐχ ἕτερόν τι δηλοῦν ὑπολάβοι τις ἂν, εἴγε νοῦν ἔχει τὸν ἀδιάφθορον, ἢ ὅτι γεγέ-

Spiritum sanctum apparere per Filium, idem est atque ab Filio procedere.

ται, καὶ ἐξ αὐτῆς ἐξέφυ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός. *Et hoc quidem, ex Deo apparuisse Filium, non aliud quid significare arbitretur, si sana est & incorrupta mente, quam quod genitus est, & ex ipsa extitit Patris substantia.* Putant nonnulli, inquit *Nicolaus*, *apparendi* verbum illud quod est abs te superiore loco adductum, hoc indicare dumtaxat, *divinum nempe Spiritum se rebus creatis ostendisse.* Putant, excepit *Romanus*, & aberrant. Eo enim loci natura divina explicatur, & quo quæque persona ab consorte altera discrepet. Id autem omne æternum est, neque vero ulla illic creatarum rerum habetur mentio. Sed vide ut Græci hoc *apparendi* verbo processionem Spiritus sancti æternam admirabiliter exponunt in ea Basilianæ missæ oratione, quam post recitatum symbolum sacerdos secreto pronuntiat: Ὁ ὢν δέσποτα κύριε, &c. ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος τῆς ἐλπίδος ἡμῶν, ὅς ἐστιν εἰκὼν τῆς σῆς ἀγαθότητος, σφραγὶς ἰσότυπος, ἐν ἑαυτῷ δεικνὺς σε τὸν πατέρα, λόγος ζῶν, Θεὸς ἀληθινὸς πρὸ αἰώνων, σοφία, ζωὴ, ἁγιασμὸς, δύναμις, τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, παρ' οὗ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐξεφάνη, τὸ τῆς ἀληθείας πνεῦμα, &c. *Dominator Domine, &c. Pater Domini nostri Jesu Christi magni Dei & salvatoris spei nostræ, qui est imago bonitatis tuæ, æqualis formæ signaculum, in seipso ostendens te Patrem, Verbum vivens, Deus verus ante secula, sapientia, vita, sanctificatio, lumen verum, ex quo Spiritus sanctus apparuit, Spiritus veritatis*, &c. Sentis qua ratione Basilius Filium ait lumen esse verum, ex quo Spiritus sanctus apparuit; sive, ut accuratius Græcæ vim vocis aperiam, ex quo Spiritus sanctus ἐξεφάνη, originem habet ac procedit? Est enim hæc verbi ἐκφαίνεσθαι significatio, maxime ubi est cum præpositione παρὰ conjunctum. Unde mirum est Arabicum missæ Basilianæ interpretem sic vertisse, *Elladi behi dhoher rouhh elkodos rouhh elhhakq, Per quem Spiritus sanctus processit.* Sicut enim quod scripsit evangelista Joannes, πνεῦμα τῆς ἀληθείας ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, Arabico idiomate explanatum est in hunc modum, *Rouhh elhhakq elmunbetekq men eláb, Spiritus veritatis qui a Patre procedit*; ita illud alterum interpretati par erat. Hæc cum audiit *Methodius*, obstupuit, & accepto missæ Basilianæ codice exquisivit omni diligentia, an vere Basilius hic diceret, *Filium esse lumen, ex quo*

Spiritus ſanctus proceſſit. Atque id cum legiſſet iterum atque iterum, tandem invenit, qua evaderet. Negare, inquit, nemo poteſt, quin ἐξ οὗ ſignificet *ex*, & ἐξεφάνη *proceſſionem*. Verum hoc ad Patrem refertur, non ad Filium, unde interpungi poſt hæc verba, *lumen verum*, oportuit. Pater enim eſt ille, a quo Spiritus ſanctus proceſſit. Bene eſt, repoſuit *Romanus*: habeo enim, annuente te, quod pertendebam, idem eſſe *apparere*, quod procedere; deinde Arabicum interpretem cognoviſſe, nihil etiam differre *per* atque *ex*. Cum enim in Græco ſcribatur, *ex quo Spiritus ſanctus proceſſit*, ipſe vertit, *per quem*. Porro apparitio illa ſeu proceſſio æterna eſt. Verum quo tibi jure adſumis, ut illud *ex quo*, Patrem ſpectare, non Filium judices. Propius eſt, ut Filio tribuatur. Et hoc illi attribuit interpres Arabicus veſter: neque enim per Patrem diceret Spiritum, ſed a Patre, ut moris eſt. Propius eſſe aio, ut ad Filium hæc proceſſio referatur, tum quod ipſi annectitur in contextu, tum quod id indicare conſequentia atque antecedentia videantur. Conſequentia quidem: ſic enim legimus, *Filium lumen eſſe verum, a quo Spiritus ſanctus apparuit, ſeu proceſſit Spiritus veritatis:* quaſi diceres, *Spiritus ſanctus Spiritus eſt veritatis, quia apparuit & proceſſit ex Filio, qui verum lumen, ſive veritas eſt.* Antecedentia vero: Filius enim dicitur *imago bonitatis Dei, æqualitatis ſignaculum, quia in ſeipſo Patrem oſtendit.* Oſtendit autem, quia Verbum Patris eſt, omnia habens quæ Pater: & ſicut Pater Deus unus eſt ante ſæcula, ſapientia, vita, ſanctificatio, potentia, lumen verum, a quo Spiritus ſanctus originem habet; ita hæc Filio conveniunt. Si quis, inquit *Nicolaus*, pugnaret tibi, non æternam eo loci ſignificari Spiritus ſancti proceſſionem, ſed illius in tempore manifeſtationem; quo illum reſponſo refelleres? Ego, ait *Romanus*, quod immerito diceret, merito negarem. Nam pari jure aliquis aſſereret, cum legitur in evangelio, & in ſymbolo recitatur, *Spiritum ſanctum a Patre procedere*, non agi de proceſſione æterna; & ſibi forte id videretur potiori ratione affirmare; in evangelio ſcilicet de adventu Spiritus ſancti, ejuſque illapſu Chriſtus loquitur: *Cum venerit ille Spiritus veritatis qui a Patre procedit*, Joann. 15. contenderetque idem eſſe τὸ *qui a Patre procedit*, atque *qui a Patre venit*, ſeu *quem*

mittit Pater. Deinde qui id responsi proferret, cum arguerem magis ab Arianis Macedonianisque didicisse, quam a sanctis Patribus. Illi quippe impurissimi hæretici, ubicunque *procedendi* verbum occurreret, nolebant de processione æterna intelligi, ne cogerentur naturam in Filio & Spiritu sancto divinam agnoscere. At Patres sic intelligi pugnabant. Et qui bona fide propositum Basilianæ missæ textum perleget, a me stabit, aut certe in media luce nihil videbit. Quæ sunt denique adducta hactenus testimonia, æternam Spiritus sancti a Patre per Filium, seu, ut alii scribunt, & a Filio processionem evincunt. Nolim autem graviorem nunc de istis litem movere, certus hic agere me cum cordatis ac minime obstinatis hominibus, qui rem, uti est, pervident, & ultro, quod verum est, amplectuntur, nec eludere cavillis inanibus pertentant. Attulisti, inquit *Methodius*, multa & contestatissima, & ea quidem, quæ ab homine salutis cupido negligi minime debeant. Volvemus illa animo, & suis, cum otium erit, momentis expendemus. Nunc si quod habes aliud acceptum e libris nostris argumentum, & quidquid in sinu foves, coram deprome. Tum *Romanus* Methodio Pentecostarion in manus tradidit, &, Lege, inquit, o Methodi, quod canitis in officio Pentecostes Dominica die, ubi Christum inducitis cum apostolis solatii gratia sic colloquentem: ἐγὼ δὲ ὡς ἐμὲ παράκλητον ἄλλον πνεῦμα τὸ ἐμοῦ τε καὶ πατρὸς ἀποστέλλω. *Ego vobis paracletum quasi me alium mittam, Spiritum meum, qui & Patris est.* Lege etiam in hoc, quod ibi prostat, *Condacio*, quod recitatis in sacra Joannis Chrysostomi missa. Ita Christum sacerdos secreta voce compellat, dum canitur hymnus cherubicus: ἱκάνωσόν με τῇ δυνάμει τοῦ ἁγίου σου πνεύματος ἐνδεδυμένον τῆς ἱερατείας, χάριν παραστῆναι τῇ ἁγίᾳ σου τραπέζῃ, καὶ ἱερουργῆσαι τὸ ἅγιον καὶ ἄχραντόν σου σῶμα καὶ τὸ τίμιον αἷμα. *Fac me idoneum virtute Spiritus tui sancti indutum sacerdotii gratia, qui huic sanctæ mensæ adsistam, sacrumque & immaculatum corpus tuum & pretiosum sanguinem conficiam.* Habentur verba hæc in oratione, cujus initium est, οὐδεὶς ἄξιος. Legit accurate *Methodius* quod Romanus indicavit, quæsivitque quid hinc inferret. Infero, inquit *Romanus*, Spiritum sanctum Filii esse Spiritum, ut & Patris. Quod si Patris & Filii Spiritus est, ergo

Spiritus sanctus ab Patre & Filio procedit, quia Patris & Filii Spiritus est.

est ab Patre & Filio. Nos vero, reposuit *Methodius*, Spiritum sanctum Patris esse & Filii, quotquot e Græcis sumus, omnes profitemur, & legimus quotidie inter orandum; sed non omnes continuo illum esse seu procedere ab Patre & Filio assentimur. Et hoc nobis mirum, inquit *Romanus*: dic enim, amabo, Spiritus sanctus cur Patris, cur & Filii Spiritus est? Illum, reposuit *Methodius*, Patris esse idcirco Spiritum dicimus, quia ab Patre procedit; Filii vero non quod ab eo procedat, sed quod Spiritus ille sanctus ejusdem atque Filius naturæ sit; vel potius quod cum Pater Filium producit, suo illum Spiritu communicat; vel forte quia Spiritus sanctus in Filio est & conquiescit: audeat & aliquis dicere, quia mittitur a Filio. Itane vero sese res habet, inquit *Romanus*? Ergo alii sunt ætatis hujusce Græci, alii superiorum temporum; &, si gloriantur hodierni eorum se esse liberos, Deus bone! quam dissentiunt ab parentibus liberi! Num Græcus erat Epiphanius Cypri Episcopus? Quære ab ipso, cur Spiritus sanctus Filii sit. Docebit ejus esse, quia ab ipso procedit, in Ancorat. n. 72. & hæres. 74. n. 8. *Multi*, inquit, *in sacris litteris Spiritus appellantur; Spiritus vero sanctus existens a Patre & Filio, Spiritus veritatis, & Spiritus Dei, & Spiritus Christi nominatur*: τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα μόνον καλεῖται ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ πνεῦμα ἀληθείας, καὶ πνεῦμα Θεοῦ, καὶ πνεῦμα Χριστοῦ. Audi Gregorium Nyss. hom. 3. in orat. Dominic. ὁ μονογενὴς υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς παρὰ τῆς ἁγίας γραφῆς ὀνομάζεται, καὶ μέχρι τούτου ὁ λόγος ἵστησιν αὐτοῦ τὸ ἰδίωμα. τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς λέγεται, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται. εἰ γάρ τις πνεῦμα Χριστοῦ οὐκ ἔχει, φησίν, οὗτος οὐκ ἔστιν αὐτοῦ. *Unigenitus Filius ex Patre esse in scriptura sacra dicitur, eoque usque Verbum sibi proprietatem constituit. Spiritus vero sanctus & ex Patre esse dicitur, & ex Filio esse perhibetur. Si quis enim Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Interroga Cyrillum Alexand. nam & illum, credo, Græcis annumeras. Ille l. 9. de ador. Spiritum sanctum esse Filii demonstrat, quia ab ipso substantialiter profluit. πρέπον δὲ οὕτοι πως τὸ πνεῦμά ἐστιν, ἢ εἴπερ τῷ πρέπεσθαι νοσεῖ, ἐπ' αὐτὴν ὁ μῶμος ἀναδραμεῖται τὴν θείαν φύσιν. εἴπερ ἐστὶ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, καὶ μὴν καὶ τοῦ υἱοῦ τὸ οὐσιωδῶς ἐξ ἀμφοῖν, ἤγουν ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ προχεόμενον πνεῦμα.

Mutationi

Mutationi nequaquam Spiritus ſubjacet, aut ſi mutabilitatis ægritudine laboras, in ipſam hæc macula divinam naturam incurret, cum ſit Dei & Patris, quin etiam & Filii, qui ex utroque ſubſtantialiter e Patre ſcilicet per Filium Spiritus profluit. Et 7. de Trin. dialogo Spiritum ſanctum hoc a creaturis docet differre, quod hæ externa quadam ſanctitatis alienæ communicatione ſanctificentur; ille vero ſubſtantivam cum natura divina ſanctitatem ab Filio habeat, Filio ipſo teſte, ubi ait, *De meo accipiet.* Unde Filii proprius eſt non ab ipſo alienus ut creaturæ: quid ita? *quia ex ipſo eſt & in ipſo.* τὸ πνεῦμα γὰρ ἐξ αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ, καὶ ἴδιον αὐτοῦ. Id ipſum accuratius exponit lib. comment. in Joan. 10. Ἰδοὺ γὰρ ἰδοὺ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τοῦτ' ἔστιν ἑαυτοῦ, τὸν παράκλητον εἰπὼν, παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτὸν ἐκπορεύεσθαι φησίν. ὥσπερ γάρ ἐστιν ἴδιον τοῦ υἱοῦ φυσικῶς ἐν αὐτῷ τε ὑπάρχον καὶ δι' αὐτοῦ προϊὸν, οὕτω καὶ τοῦ πατρός. *Ecce*, inquit, *ecce Spiritum veritatis, hoc eſt ſui ipſius, Paracletum cum nominat, ait ipſum ex Patre procedere. Quemadmodum enim proprius eſt Filii, naturaliter in ipſo exiſtens & per ipſum procedens, ſic & Patris eſt.* Et in eodem idem libro: πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τοῦτ' ἔστιν ἑαυτοῦ, τὸν παράκλητον ἀποκαλεῖ· οὐ γὰρ ἀλλότριον τῆς τοῦ μονογενοῦς οὐσίας τὸ ἅγιον νοεῖται πνεῦμα· πρόεισι δὲ φυσικῶς ἐξ αὐτῆς, οὐδὲν ἕτερον παρ' αὐτὸν ὑπάρχον, ὅσον εἰς ταυτότητα φύσεως. *Spiritum veritatis, id eſt, ſui ipſius Paracletum appellat: non enim ab unigeniti ſubſtantia intelligitur alienus Spiritus ſanctus: procedit enim naturaliter ex ipſa, nihil ab ipſo diverſus, quod quidem ad naturæ identitatem attinet.* Patere me ad Cyrillum te præterea provocem, imo ad eccleſiam omnem, non dico ſolummodo Græcam, ſed Catholicam, quæ in IV. œcumenica ſynodo *B. Cyrilli qui Alexandrinæ eccleſiæ paſtor fuit, ſynodales epiſtolas ad Neſtorium, & Orientales epiſcopos datas, cum recte ſcriptæ ſint, tum ad Neſtorii veſanam dementiam refutandam, tum ad ſententiam ſalutaris ſymboli, eis qui illam pio ardore requirunt, declarandam, recepit;* quæ in V. conſequente ſanctiſſimum illum antiſtitem *rectam Chriſtianorum fidem prædicaſſe* definivit. Is in ſynodali ſua ad Neſtorium epiſtola: εἰ γὰρ καὶ ἔστιν ἐν ὑποστάσει τὸ πνεῦμα ἰδικῇ, καὶ δὴ καὶ νοεῖται καθ' ἑαυτὸ, καθὸ πνεῦμά ἐστι, καὶ οὐχ υἱὸς, ἀλλ' οὖν ἐστιν οὐκ ἀλλότριον αὐτοῦ. πνεῦμα γὰρ ἀληθείας ὠνόμασται, καὶ ἔστι Χρι-

σὸς ἡ ἀλήθεια, ἐκ προχεῖται παρ' αὐτοῦ καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρός. *Etsi propriam habet Spiritus hypostasim, eaque tenus in seipso consideretur, quatenus Spiritus est, & non Filius; non est tamen ab eo alienus. Spiritus enim veritatis nuncupatus est, & veritas est Christus, & perinde ab ipso atque ab Deo & Patre profunditur.* Non nescitis & ex principibus Græcorum magistris S. Maximum existere. Accipiamus ab ipso cur Spiritus sanctus Filii Spiritus appelletur: id enim tradit in tractatu de candelabro Isaiæ prophetæ. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὥσπερ φύσει κατ' οὐσίαν ὑπάρχει τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, οὕτω καὶ τοῦ υἱοῦ κατ' οὐσίαν ἐστὶν, ὡς ἐκ τοῦ πατρὸς οὐσιωδῶς δι' υἱοῦ γεννηθέντος ἀφράστως ἐκπορευόμενον. *Spiritus sanctus sicut natura secundum substantiam est Dei & Patris, sic & Filii secundum substantiam est, ut qui ex Patre substantialiter per Filium genitum inexplicabili modo procedit.* Non possum hic missum facere Basilium, qui in quinto adversus Eunomium libro, ubi quærit, cur Filii filius non dicatur Spiritus sanctus, cum per ipsum procedat, sic ait: *Itaque Spiritum quidem ex Deo esse diserte prædicavit apostolus, dicens, Spiritum qui ex Deo est, accepimus, & per Filium prodiisse palam fecit, cum eum nominavit Filii Spiritum, sicut & Dei.* ἀλλὰ τοῦτο τὸ μὲν ἐκ Θεοῦ τὸ πνεῦμα εἶναι τρανῶς ἀνεκήρυξεν ὁ ἀπόστολος λέγων, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐλάβομεν, καὶ τὸ διὰ υἱοῦ πεφυκέναι σαφὲς πεποίηκεν υἱοῦ πνεῦμα ὀνομάσας αὐτὸ, καθάπερ Θεοῦ. Sic Patres Græci consensione una pronuntiant idcirco Spiritum sanctum esse Filii Spiritum, ut & Patris, quia ab Filio perinde atque ab Patre procedit. Mihi crede, Græci non sunt, qui aliter opinantur, etsi vultu & lingua se mentiantur Græcos. Tum *Romanus* ad Methodium conversus, Age, inquit, & elige. Tibi enim hoc incumbit vel istis assentiri Patribus in ecclesia principibus, vel adjungere te nescio quibus homulis, ecclesiam matrem misero modo dilacerantibus. Ab Patribus stare necesse est, inquit *Nicolaus*: at cum multi sint, nonnulli forte, quod Methodius dixit, docuerunt, Spiritum nempe sanctum esse Filii, non quod ab ipso procedat, sed quod, exempli gratia, eandem cum Filio naturam habeat. Sit ita, inquit *Romanus*: at fateri saltem necesse est e sanctis Patribus Græcis plurimos & plerosque Spiritum sanctum interpretatos, Filii esse, quia ab eo

procedit. Rem adeo conteſtatam negare nemo omnium auſus eſt. Quare propoſuit Romanus finem dicendi facere. Hoc enim, inquiebat, tantum volumus eccleſiam Græcam, quæ Patrum dumtaxat ore loquitur, proceſſionem Spiritus ſancti ex Patre & Filio profiteri. Verum inſtante Nicolao compulſus eſt quod ſupererat abſolvere. Quod quidem paucis ſic exequi orſus eſt. Spiritum ſanctum eſſe Filii idcirco dumtaxat quia ejuſdem cum Filio naturæ eſt, Patrum nemo aſſeruit, aſſerere nemo potuit. Aut certe poterit dicere, cui allubebit, Patrem quoque & Filium eſſe Spiritus ſancti : ſunt enim ejuſdem cum Spiritu ſancto naturæ. Hoc vero maximopere vetant Patres. Gregorio Nyſſeno credes ſic docenti : οὐκοῦν τὸ μὲν πνεῦμα, τὸ ἐκ Θεοῦ καὶ Χριστοῦ πνεῦμά ἐστιν, ὁ δὲ υἱὸς ἐκ τοῦ Θεοῦ ὢν, οὐκέτι καὶ τοῦ πνεύματος, οὔτε ἐστὶν, οὔτε λέγεται· οὐδὲ ἀντιστρέφει ἡ σχετικὴ ἀκολουθία αὕτη. *Itaque Spiritus quidem, Dei & Chriſti Spiritus eſt; Filius autem cum ex Deo ſit, non item eſt, vel dicitur eſſe Spiritus ſancti : neque enim hæc relativa conſecutio convertitur.* Si contra Patrum atque eccleſiæ communem mentem, pugnas nihilominus Patrem & Filium eſſe quoque Spiritus ſancti : quæro abs te quid ſignifices his vocibus, quas Chriſtianus homo nemo hactenus audiit. Dici enim non poteſt, quia eadem eſt in Patre & Filio natura quæ in Spiritu ſancto, propterea Patrem & Filium eſſe Spiritus ſancti. Nempe ſi eandem haberent albedinem parietes duo, non continuo paries unus eſſet alterius. Ergo cum affirmas Patrem & Filium eſſe Spiritus ſancti, oportet iſta ſignificatione affirmes alterutrum, Patrem & Filium eſſe Spiritus ſancti vel principium, vel quaſi quod a principio eſt. Non ſunt autem Pater & Filius Spiritus ſancti ſic tanquam ab eo ſint ut principio : ſunt igitur Spiritus ſancti dumtaxat ut principium. At ſicut cauſa non dicitur eſſe effectus ſui, non enim dicitur ſol luminis, ſed dicitur effectus eſſe cauſæ, ut lumen ſolis. In hunc modum, cum Pater ſit Spiritus ſancti, quemadmodum aiunt Græci, cauſa; dici quidem poteſt Spiritum ſanctum eſſe Patris, ſed non viciſſim Patrem eſſe Spiritus ſancti, niſi addas, cauſam vel principium. Sic bene ſciteque profitemur Filium eſſe Patris ſine addito, non item Patrem eſſe Filii, niſi adjungamus, Patrem : hoc modo, Pater eſt Filii Pater. Ergo cum

Spiritus ſanctus non ſit Patris aut Filii principium, dici jure nullo poteſt Patrem aut Filium Spiritus ſancti eſſe. Hæc cum audiret *Methodius*, indagaretque apud ſeſe, quid reſponderet, venit illi in mentem legiſſe vel audiſſe ſe aliquando, eo Patres probare Filium eſſe Patris proprium, quia conſubſtantialis ipſi eſt. Quare apud Romanum contendit, cum Spiritus ſanctus ὁμοούσιος Filio ſit, ejuſdem ſcilicet cum ipſo ſubſtantiæ, poſſe merito Filii eſſe, id eſt, Filii proprium dici. Non repugnabo, excepit *Romanus*, ſi illam perinde vocem accipias atque intellexerunt Patres. Dic quod Cyrillus dial. 1. de Trin. ὁμοούσιος εἴπερ ἐστὶν ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ, ἐξ αὐτοῦ τε ἐστὶ καὶ ἐν αὐτῷ κατὰ φύσιν καὶ οὐσιωδῶς ἐστι. *Si Patri Filius conſubſtantialis eſt, ex ipſo & in ipſo ſecundum naturam ſubſtantialiter exiſtit.* Dic, inquam, & profitere pariter: *Ex Filio & in Filio exiſtit Spiritus ſanctus, ſi Filio eſt conſubſtantialis.* Nam ut recte advertit Baſilius in epiſtola ad canonicas, quæ 300. numeratur, ſi vocem illam ſtricta & accurata notione percipias: οὐ τὰ ἀδελφὰ ὁμοούσια ἀλλήλοις λέγεται, ὅπερ τινὲς ὑπειλήφασιν, ἀλλ᾽ ὅταν καὶ τὸ αἴτιον, καὶ τὸ ἐκ τοῦ αἰτίου τὴν ὕπαρξιν ἔχον τῆς αὐτῆς ὑπάρχῃ φύσεως, ὁμοούσια λέγεται. *Quæ fraterna ſunt, non dicuntur ſibi invicem conſubſtantialia, quod multi opinati ſunt; ſed quando ejuſdem ſunt naturæ, & cauſa, & quod ex cauſa habet ut exiſtat, tum conſubſtantialia dicuntur.* Quo ſenſu ſi conſubſtantialis eſt Filio Spiritus ſanctus, vel ipſe cauſa Filii eſſe debet, Filiuſque ab eo procedere, quod ſana mente nemo proferat; vel procedere ipſe exiſtereque debet a Filio, quod Patres docent. Ergo ſi cum Patribus & loquimur & ſentimus, cum dicimus Spiritum ſanctum eſſe Filii, quia ab Filio procedit, vel quia conſubſtantialis eſt Filio; idem unumque modis duobus exponimus. Quod ut pervideas penitiſſime, vide quot modis aliqua poſſint appellari conſubſtantialia. Tribus, niſi falluntur magiſtri. 1. ea quæ naturam habent eandem, ſed diſtinctam atque diviſam, eamque ab diverſis acceptam principiis, ut Salomon Davidis filius, & Alexander Philippo genitus. Hæc certe *conſubſtantialitas* non efficit ut alter alterius ſit, ac longe ab ea conſubſtantialitate diſcrepat quæ Filium inter & Spiritum intercedit. 2. Conſubſtantialia ſunt quæ natura gaudent eadem, ab eodem deducta fonte, ut Jacobus & Joan-

nes apostoli ab Zebedæo prognati. Et hi fratres sunt & unius parentis filii. At Filius Dei & Spiritus sanctus, etsi eandem habent ab eodem derivatam fonte naturam, non ex eo Spiritus sanctus habet ut sit Filii, alias & Filius quoque esset Spiritus sancti, & essent invicem fratres, tum Spiritus sanctus Patri quoque Filius existeret, atque ita cum duo essent in Trinitate Filii, non posset Christus dici unigenitus Filius. 3. Ut tradidit Basilius, consubstantialia nominantur, quæ sic ejusdem naturæ sunt, ut illam aliud ab alio communicatam habeat. Ita Filius in Trinitate consubstantialis est Patri, Patri autem & Filio Spiritus sanctus, quia Spiritus sanctus ab Patre & Filio est, & Filius ab Patre solo. Manet, inquit *Nicolaus*, quod demonstrasti, non posse ex eo præcise dici Filii esse Spiritum sanctum, quod ejusdem cum ipso naturæ sit, nisi eam ab illo ut ab principio hauriat. Id enim vel ab obstinatissimis tua evincunt argumenta. Sed affirmabit aliquis, Spiritum sanctum esse Filii, quia cum Pater suam Filio suo naturam tribuit, tradit & Spiritum suum. Qui catholice sentiat, inquit *Romanus*, nemo id affirmabit, ne Filium ponat origine & ordine posteriorem Spiritu sancto, quem fides Spiritu sancto priorem collocat. Ita enim si se res habet, intelligitur Pater prius habere Spiritum, quam Filium gignat: quandoquidem, cum illum gignit, suum illi communicat Spiritum, id est, eum quem habet. Hoc vero quam severe Patres damnant! Basilius ep. 78. ὅτι φεύγειν δεῖ καὶ τοὺς τὴν ἀκολουθίαν, ἣν παραδέδωκεν ἡμῖν ὁ κύριος, ἀνταμείβοντας, ὡς φανερῶς μαχομένους τῇ ἀληθείᾳ, καὶ υἱὸν μὲν προτάσσοντας τοῦ πατρός, υἱοῦ δὲ τὸ πνεῦμα προτιθέντας. ἀκίνητον γὰρ καὶ ἀπαρεγχείρητον φυλάσσειν προσήκει τὴν ἀκολουθίαν, ἣν ἐξ αὐτῆς τοῦ κυρίου φωνῆς παρελάβομεν, εἴποντος, πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Fugere eos oportet, qui quem tradidit nobis Dominus ordinem mutant, ut qui aperte cum veritate pugnent, & Filium quidem ante Patrem collocant, & Spiritum sanctum præponunt Filio. Decet enim immotum & incorruptum servare ordinem, quem ex ipsa Domini voce accepimus, cum dixit, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Id ipsum urget gravius in epist. 300. quæ ad canonicas:

ἡ περὶ τὴν τάξιν καινοτομία αὐτῆς τῆς ὑπάρξεως ἀθέτησιν ἔχει, καὶ ὅλης τῆς πίστεώς ἐστιν ἄρνησις· ὁμοίως οὖν ἐστιν ἀσεβὲς, καὶ ἐπὶ τὴν κτίσιν πνεῦμα κατάγειν, καὶ ὑποτιθέναι αὐτὸ, ἢ υἱοῦ, ἢ πατρὸς, ἢ κατὰ τὸν χρόνον, ἢ κατὰ τὴν τάξιν. *Nova ordinis designatio ipsius existentiæ eversionem infert, & est fidei totius abnegatio. Perinde igitur impium est, & ad creaturæ conditionem deprimere Spiritum, & illum ante Filium aut Patrem, sive temporis, sive ordinis ratione collocare.* Causam affert epist. 43. quod scilicet *Spiritus sanctus hanc personalis proprietatis notam habeat, ut post Filium & cum Filio cognoscatur, atque ex Patre subsistat.* τὸ πνεῦμα τοῦτο γνωριστικὸν τῆς κατὰ τὴν ὑπόστασιν ἰδιότητος σημεῖον ἔχει, τὸ μετὰ τὸν υἱὸν καὶ σὺν αὐτῷ γνωρίζεσθαι, καὶ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ὑφεστάναι. Unde merito scripsit Athanasius in ep. ad Serapion. Spiritum sanctum *talem ordinem & naturam habere ad Filium, qualem Filius habet ad Patrem.* τοιαύτην τάξιν καὶ φύσιν πρὸς τὸν υἱὸν, οἵαν ὁ υἱὸς ἔχει πρὸς τὸν πατέρα. Et Epiphanius hær. 74. πνεῦμα ἅγιον πνεῦμα ἀληθείας ἐστὶ φῶς τρίτον παρὰ πατρὸς καὶ υἱοῦ. *Spiritus sanctus ex Patre & Filio lumen tertium existit.* Ordinem vero illum quem fide in Deo agnovimus, videbat olim Georgius vester Trapezuntius, cum scriberet ad Joannem Cuboclesium, esse triplici maxime ratione necessarium: 1. quia bonum quoddam est, quo carere divinitas non potest: 2. quia in multitudine qualibet si ordo non est, confusio est; quam in personarum divinarum pluralitate vel cogitare nefas est: 3. quia trinitatis nomen tria dicit non disparata, sed ad sese invicem relata; qua relatione si careant, tria sunt, non trinitas. Ergo Filius prius intelligitur esse, quam Spiritus: atque adeo dici non potest, cum gignitur, tum communicari illi Spiritum, qui nondum ratione originis extare concipitur. Deinde, cur ais Filio Spiritum communicari a Patre? An quia communicatur Filio divina natura, quacum Spiritus sanctus unum idemque est? At Pater unum etiam idemque est cum natura. Ergo dicendus quoque Pater est Filio communicari, & Pater esse Filii, qua ratione Spiritus sanctus esse Filii creditur. Rem inspice, atque intelliges non alia ratione communicari Filio Spiritum ab Patre, quam quia vis illum spirandi ipsi communicatur ab Patre, atque adeo id quod ab ipsa virtute procedit, nempe ipse Spiritus sanctus. Et est denique

Spiritus ſanctus Filii Spiritus, quia ab Filio ſicut à Patre natura illi divina transfunditur. Pervicax ſim, inquit *Nicolaus*, ſi tecum ſuper ea re contentionem moveam. Sed quid ad illos qui idcirco Spiritum ſanctum dici contendunt eſſe Filii, quia in Filio eſt & conquieſcit? Reſponſio in promptu eſt, ait *Romanus*. Quid eſt enim Spiritum ſanctum eſſe in Filio? Vel id ipſum eſt, quod Spiritum ſanctum naturæ ſive divinitati Filii eſſe inſitum, eamque cum ipſo habere unam & propriam. Quo ſenſu dici non poteſt Spiritum ſanctum eſſe Filii, aut pariter aſſeras Patrem & Filium eſſe Spiritus ſancti. Eſt enim uterque naturæ Spiritus ſancti inſitus, eamque habet unam eandemque ac propriam. Vel idipſum eſt, quod Spiritum ſanctum eſſe terminum amoris inter Patrem & Filium mutui, qui terminus cum ſit in amante, (amor enim in amante eſt) & Filius ſit ille amans ſicut & Pater, profecto in Filio eſt, ut eſt in Patre. Verum eſſe hac ratione in Filio, hoc eſt ipſum, quod ab illo procedere immanenti voluntatis actione: quare ideo in ipſo eſt, quia ex ipſo. Unde ſolent Patres Græci duo illa conjungere: ex ipſo eſt, & in ipſo. Ut Cyrillus in commentariis ad Joelem: ᾗ μὲν ἐστι Θεὸς καὶ ἐκ Θεοῦ κατὰ φύσιν ὁ υἱός, (γεγέννηται γὰρ ἐκ Θεοῦ καὶ πατρός) ἴδιον αὐτοῦ τε καὶ ἐν αὐτῷ καὶ ἐξ αὐτοῦ τὸ πνεῦμά ἐστι, καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐπ' αὐτοῦ νοεῖται τοῦ Θεοῦ καὶ πατρός. *Qua Filius Deus eſt & ex Deo ſecundum naturam, (gignitur enim ex Deo & Patre) proprius eſt ejus, & in ipſo & de ipſo eſt Spiritus, ſicut utique & in ipſo intelligitur Deo & Patre.* Aderat in cœtu junior quidam monachus, Latinis non parum infenſus, haud alia de cauſa quam ut apud ſuos magis Græcus videretur. Cum audiit tot eximia Cyrilli teſtimonia, quibus tam perſpicue Spiritus ſancti ab Patre & Filio proceſſio comprobatur, tenere impatientis animi motum non potuit, & elata voce, Neſcio, inquit, unde nobis dicta illa omnia devexit bonus ille Cyrillus, planè cum Latinis hodiernis eloquitur vir Græcus. Arriſit *Romanus*, & amice religioſum illum ſacerdotem intuitus, Forte, inquit, aliquis de ipſo exiſtimaverit quod ab viris, credo, non admodum ſobriis de Athanaſio magno dictum eſt, cum legerunt in ejus ſymbolo, *Spiritum ſanctum eſſe ab Patre & Filio, non factum, non creatum, nec genitum, ſed procedentem*; hæc Athanaſium ſcripſiſſe

Spiritum ſanctum conquieſcere in Filio, idipſum eſt, quod ab Filio procedere.


vino captum, & dejectum mente. At tu qui bonum appellas Cyrillum, procul abes ab ista contumelia. Esset enim non bonus, sed nequissimus Cyrillus, si se vir Patriarcha hoc vitio polluisset. Certe loquitur cum Francis, quia cum iis Patres cæteri loquuntur, nec depromunt pro libidine quæ de Spiritus sancti processione Franci profitentur. Acceperunt ea non ab suis modo Patribus, sed a Græcis, & ex ipsis sacrorum codicum penetralibus. Tum *Nicolaus*, Patere, inquit, Romane, rem exhauriamus funditus: superest unum quod audivi nonnullos respondere, *Spiritum sanctum scilicet esse Filii, quia a Filio mittitur.* Pace illorum, reposuit *Romanus*, ego dixerim adstipulantibus mihi Patribus, Spiritum sanctum non ideo esse Filii, quia mittitur ab Filio, sed ab Filio e contra mitti illum, quia ipsius est. Nam quî eum mitteret, qui suus non esset? Huc revoca quæ legunt Græci & canunt in officio Pentecostes, ubi Christum istis inducunt vocibus suos solantem discipulos: *Spiritum meum qui & Patris est, ad vos mittam, qui vobis sit alius quasi ego ipse Paracletus.* Vides ut prius suum esse illum dicit, tum mittendum a se promittit. Sic enarro, quia illos adverto, cum mitti aiunt Spiritum sanctum, missionem eam spectare, qua aliquid in tempore ab Spiritu sancto in rebus creatis efficitur, quod quia fit dante atque una operante Filio, idcirco volunt Filii esse Spiritum. At si missionem illam intelligerent quæ ab æterno & semper est, verum omnino esset, ideo Spiritum sanctum esse Filii, quia ab Filio mittitur, id est, emittitur, profunditur, profluit, procedit & apparet. Quamquam externa illa quæ perficitur in tempore, missio Spiritus sancti, & ab Filio fit, argumentum est emissionis illius sempiternæ, qua procedit ab Filio Spiritus sanctus. Nam mitti aliquis non potest, nisi mittentis vel imperio, vel consilio, vel vi, vel natura: imperio, si dominus est; consilio, si sapientior; vi, si fortior; natura denique, si principium est, unde emanet & effluat. Filius mittit Spiritum sanctum. Hoc de se ipse testatur Joann. c. 15. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre.* Quî porro mittit? An ut dominus? Vetat id utriusque æqualitas. An ut sapiens minus scientem? Non patitur quæ in utroque eadem est sapientia. An vi? quo modo impellitur, vel invitus, qui debilior.

Fieri

Fieri illud non poteſt, ubi eadem eſt in utroque cum poteſtas, tum voluntas. Supereſt igitur ut Filius Spiritum ſanctum natura mittat, ut fons aquam, & lux radium. Dixi ab Filio natura mitti Spiritum, quia ſic didici ab Cyrillo Joannis evangelium commentante, ubi ait : ἀπαράλλακτον τὴν ὁμοιότητα τοῦ υἱοῦ πρὸς τὸ ἴδιον αὐτοῦ καὶ παρ᾽ αὐτοῦ κατὰ φύσιν προχεόμενον πνεῦμα. *Filium ſimilitudinem habere nulla re differentem cum proprio ſui ipſius Spiritu, qui ab ipſo naturaliter profunditur.* Et in epiſt. ad Neſtor. quæ refertur in concil. Epheſ. parte 1. cap. 25. in eundem modum loquitur, ut mox commemorabamus. Quid ſit autem profundi a Patre, docet in hoc ipſo concilio part. 3. cap. 43. καὶ προχεῖται, ἤγουν ἐκπορεύεται, profunditur, id eſt, procedit. Natura ab Filio mitti Spiritum ſanctum aſſerui, ſicut fons aquam emittit, quia ſic aſſeruit Chryſoſtomus in ſermone, niſi fallor, de baptiſmo, ubi quædam ſcripturæ loca explanat. διὰ τοῦτο ὁ σωτὴρ δείκνυσιν ἑαυτὸν πηγὴν ζωῆς, καὶ ὕδωρ ζῶν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Propterea ſalvator oſtendit ſe fontem vitæ, & viventem aquam eſſe Spiritum.* Addidi, & mitti ab Filio Spiritum, ut radius a luce emittitur, quia Græci ſuis in precibus, Patrem ſoli, Filium lumini, radio Spiritum ſanctum procedendi modo ſcribunt ſimilem, 2. quadrageſimæ hebdomada, τῇ πέντῃ εἰς τὸν ὄρθρον. *Filium ex Patre & Spiritum glorifico, ut ex ſole lumen & radium : illum quidem generandi via, quia genitum; hunc vero emittendi, quia emiſſum.* υἱὸν ἐκ πατρὸς καὶ πνεῦμα δοξάζω, ὡς ἐξ ἡλίου φῶς καὶ ἀκτῖνα· τὸ μὲν γεννητικῶς, ὅτι καὶ γέννημα· τὸ δὲ προβλητικῶς, ὅτι καὶ πρόβλημα. Scitis autem a ſole eſſe & lumine radium, qui quotidie & radium ſolis & radium luminis appellatis. Quod cum intelligerent ſancti Patres, viderentque in divinis idem eſſe mitti atque procedere, ſæpiſſime proceſſionem emiſſionis nomine explicant. Et in primis Joannes Damaſcenus in primo de fide orthodoxa libro. Ea dicis, inquit *Nicolaus*, quæ & mihi nondum erant ſatis percepta, & vero videntur proxima. Unum eſt quod difficultatem movet. Quî fieri enim poteſt, ut miſſio idem ſit quod proceſſio, cum hæc ab æterno ſit, illa in tempore, & miſſioni, ut apparet, initium ſit aliquod, nullum proceſſioni ? Rem tibi, reſpondit *Romanus*, facio planiſſimam exemplo ſolis. Finge illum ab æterno exiſtere. Neceſſe tum

erit ut radios ab æterno mittat: continuo nempe illos vi naturæ suæ effundit. Pone terram nondum esse, nihilo ille secius radios emittet; in terram autem non effundet, quam nondum esse cogitavimus. Jam cogita illam a Deo procreari, tum solis ad eam mittentur radii, qui ab æterno emittuntur. Eodem ferme modo ab Patre & Filio Spiritus sanctus mittitur ab omni retro æternitate, cùm æternum ab utroque procedat; non dicitur tamen discipulis missus nisi in tempore, quia ipsi ante tempora non extabant. Cum extiterunt autem, & illapsus in ipsos est Spiritus, & ea in illis effecit quæ amoris divini propria sunt. Missus esse ad eos dictus est, non quod mitti cœperit absolute, sed quod tum illis se primum infudit. Est ergo missio Spiritus sancti, cum spectatur in sese, æterna ac sempiterna; cum vero res creatas in quibus operatur, intuemur, nova videri & esse potest. Hæc demonstrante Romano, meridianæ horæ signum datum est. Tum *Nicolaus*, Deus bone! inquit, quam incitato nobis lapsu fluxerunt horæ! Audiendo vos quidem quievimus præ suavitate dicentis & utilitate dictorum. Sed defatigatum esse oportet Romanum tam erudite & copiose differentem, & opportune hora nunc insonuit, cum exhausta quæstio est. Quare demus respirandi locum. Cætera vero quæ supersunt e nostris petita libris argumenta, vespertinis precibus exolutis pro sua humanitate persequetur. Assurgebant omnes, cum *junior ille monachus*, cujus modo meminimus, Unum, inquit, restat, quod quia paucis exponi potest, illud bona vestra venia Romano objiciam, ne quid mittamus e questione intactum. Cum dicitur Spiritus sanctus esse Filii, ejusque proprius, id attribuitur fortasse Filio, non qua Filius est simpliciter, sed qua Verbum caro factum, & homo est. Tum enim non ad mensuram dedit illi Spiritum Pater, ut enarrat in evangelio Joannes. Arrisit *Romanus*, &, Fuit ergo, fuit, inquit, si te audimus, Filius Dei æternitate tota sine Spiritu, eumque tum demum adeptus est, cum factus est caro. Quam erravit Cyrillus, ubi Spiritum sanctum ab Filio profundi scripsit sicut ab ipso Patre, idque naturaliter & substantialiter! Quam parum vidit Chrysostomus, quando Filium tradidit fontem esse aquæ viventis, & aquam illam esse Spiritum sanctum! neque enim fontem il-

lum credidit arefcentem & vivente aqua vacuum. Quam hallucinati funt Bafilius, Gregorius Nyffenus, Maximus, & Epiphanius, cum ex eo Spiritum fanctum effe Filii docuerunt, quia ab ipfo exiftit & ex ipfo, & per ipfum procedit, ut fuperioribus teftimoniis oftendimus! Sic exiftimo equidem tutius effe cum veteribus illis & fanctiffimis magiftris hallucinari, quam fapere cum novis. Erubuit ad ifta junior ille adverfarius, &, Tecum fum, repofuit, veteres fequi perplacet: pudet diutius obloquendo moleftiam tibi, cæterifque religiofiffimis patribus faceffere.



DIALOGUS III.

Continuatio fuperioris argumenti.

POST peractum vefpere diei totius facrum officium, cœnamque abfolutam, cum iterum colloquii gratia religiofi Patres conveniffent, Romanum cœperunt urgere, ut quæ haberet reliqua e Græcorum libris argumenta proferret, quo quid fentiant de Spiritus fancti proceffione magis ac magis innotefceret. Reluctabatur ipfe, quod fatis fuperque matutinis horis in hanc rem dixiffet, qua de fupereffe dubium jam non poffet omnino ullum, fibi hoc unum incumbere, ut fi qua mentem alicujus difficultas premeret, eam, poftquam effet propofita, depelleret atque difcuteret. Fac neminem, inquit *Nicolaus*, quidquam ex dictis jam vocare in controverfiam poffe. Non nefcis quæ funt etiam conteftatiffimæ veritatis, ea variarum adjunctione rationum & multiplici exemplorum explanatione firmari. Age igitur & ediffere. Ut tibi non obfequar, repofuit *Romanus*, fieri non poteft. Votis tuis debemus, quod res ipfa non exigit; fed paucis perftringam omnia. Ac primum hoc abs te velim, ut falutis ac fidei noftræ fignum, tibi crucem imprimas cum iis quibus utimur verbis: *In nomine Patris & Filii & Spiritus fancti, Amen.* Quod cum feciffet *Nicolaus*, Ecce, pergit *Romanus*, ecce verbis & facto proceffionem Spiritus fancti ex Patre & Filio profeffus es. Quî porro illud, inquit *Methodius?* novum enim hoc &

inauditum hactenus argumenti genus est. Ut ut sit, inquit *Romanus*, validum est, attende. Manum apponis fronti, eoque loci appellas Patrem, quo superius in Trinitate nihil est, quemadmodum in corpore nihil altius est capite. Tum illam ad uterum, prolis scaturiginem demittis, ut Filium quem hic nominas, indices genitum a Patre: ait enim, *Ex utero ante luciferum genui te.* Atque eam demum mediam caput inter sinumque circumfers dicto Spiritus sancti nomine, ut significetur Spiritus sancti ab Patre Filioque processio, quemadmodum ab capite & utero hic manus tuæ motus deductus est. Quin multo amplius vos Græci facitis quam nos Latini. Ab dextera enim ad sinistram progredimini, quando Spiritum sanctum efformata cruce invocatis. Cum autem Filius, ut testantur sacri codices Exod. 15. Deut. 32. Psalm. 117. dextera sit Patris, & probat ex eo Cyrillus Alexand. l. 9. contra Julianum, quod δι' αὐτοῦ ἡ πᾶσα ἐστιν ἐνέργεια τοῦ πατρός, *Omnis operatio Patris per ipsum est.* Cum, inquam, Patris dextera Filius sit, vosque a dextera pergitis ad sinistram, videmini dicere ab Filio procedere Spiritum sanctum, quem hinc derivari signo illo repræsentatis. Derivas tu, reposuit *Methodius*, rem nostram ingeniose in tuum commodum. Sed ut apparet ex ore aspectuque tuo, vim hic non facis. Et certe non ea mente manum ducimus in transversum. Hoc tantùm volumus, formare crucem. Id ipsum omnes volunt, inquit *Romanus*, & Trinitatis præterea mysterium, quo possunt modo describere. Et si Filii processionem manum ab capite ad uterum demittendo exhibetis, fieri non potest ut reliqua actione Spiritus processio non adumbretur. Sed quia te manu cepi, non statim dimittam. Manum explica, & explicando responde. Num vere Filius per quem omnia facta sunt, dextera Dei dicitur. Quis negat, inquit *Methodius*? hoc fateor. Et unde, subjecit *Romanus*, unde exit & existit digitus hic tuus. Cur postulas, inquit *Methodius*, quod oculis patet? e dextera procedit. Tum *Romanus*: Dic modo, quis Dei digitus appellatur? Si audis evangelium, Spiritus sanctus est. Nam quod dixit Christus Luc. 11. c. *In digito Dei ejicio dæmonia*, ipse in Matthæo c. 12. interpretatus est, *In Spiritu Dei ejicio dæmonia.* Ergo si Spiritus sanctus digitus Dei est, & Filius dextera, necesse est, ut

quemadmodum e manu digitus, sic Spiritus e Filio procedat. In hoc vim tecum volo facere. Nos tecum nolumus, inquit *Methodius*; placet audire benevole : jam perge. Dum crucem tibi imprimis, inquit *Romanus*, Patris & Filii & Spiritus sancti nomen effers. Quid est quod *ex mandato Christi*, ut aiunt Patres, Spiritum sanctum appellas ordine tertium, tamque necessario, ut illum mutare ordinem, perinde sit, Basilio teste, atque fidem ejurare. πνεῦμα ἅγιον, quemadmodum tradit Epiphanius hær. 74. πνεῦμα ἀληθείας, ἔστι φῶς τρίτον παρὰ πατρὸς καὶ υἱοῦ. *Spiritus sanctus Spiritus veritatis, tertium ex Patre & Filio lumen est.* Cur tertius & post Filium? Respondet Epiphanius: Quia *Spiritus est veritatis*, id est, Filii, quia *ex Patre & Filio est*. Rationem nullam aliam divini hujusce ordinis reperire est. Filius enim Spiritu sancto prior non potest intelligi vel temporis, vel loci, vel excellentiæ prærogativa, cum sit utriusque æternitas, immensitas, atque amplitudo una. Neque prioritas illa solius est cognitionis, quasi prius, audito Patris nomine, Filii nomen occurrat, quam Spiritus sancti: quia, ut ex Basilio magno retulimus, non petitur ordo ille ab nostra cognoscendi ratione, sed ab ipsa petitur divinitatis natura, & Dei existentia, habetque Spiritus sanctus personalem hanc notam, ut sit post Filium, quo Filius ipse modo post Patrem est. Superest ergo ut origine sola tertius sit, & appelletur: quia scilicet Filius a Patre, & Spiritus sanctus a Patre & Filio est. Dicti auctores habeo sanctissimos impurissimi Eunomii hostes Basilium magnum, & Gregorium Nyssenum. Ac Basilius quidem libro contra Eunomium 3. sic scribit. ἀξιώματι μὲν δευτερεύειν τοῦ υἱοῦ (τὸ πνεῦμα) παρ' αὐτοῦ τὸ εἶναι ἔχον, καὶ παρ' αὐτοῦ λαμβάνον καὶ ἀναγγέλλον ἡμῖν, καὶ ὅλως ἐκείνης τῆς αἰτίας ἐξημμένον, παραδίδωσιν ὁ τῆς εὐσεβείας λόγος. *Dignitate* (originis) *secundum esse ab Filio Spiritum, ut qui ab ipso esse habeat, & ab ipso accipiat, & annuntiet nobis, & omnino ab illa causa dependeat, tradit pietatis sermo.* Mitte hunc locum, inquit *Methodius*, depravatus est, tum multorum additione verborum, tum unius decisione voculæ: sic enim in multis & antiquis legimus. Dignitate secundum esse a Filio Spiritum tradit fortasse pietatis sermo. Non leguntur quæ adjecisti; legitur, quod tacuisti, vox ista *fortasse*. Vox hæc, inquit *Roma-*

nus, quam a me quereris prætermiſſam, extare apud Baſilium non poteſt: & ſicubi in ejus libris apparet, dolo malo huc immiſſam vel qui cæcutit, videat. Nam, ut recte diſputat Petavius, vir e noſtris omni ſcientiarum genere, & forma virtutum ornatiſſimus, Spiritum ſanctum eſſe ab Filio dignitate ſecundum, vel falſum omnino credidit Baſilius, vel verum, vel de eo dubitavit. Si falſum judicaſſet, non ſcripſiſſet, *tradidit fortaſſe pietatis ſermo:* ſed contra, pietatis ſermo id rejicit, & os penitus Eunomio præcluſiſſet colligenti, Spiritum ſanctum natura ſecundum eſſe ab Filio, quod ſecundus dignitate & ordine exiſteret. Negaret enim dignitate ſecundum exiſtere, vimque argumenti ipſo in principio elideret, diceretque pietatis ſermone nuſquam id tradi. Dices dubitaſſe: at non potuit, qui hoc tam aſſeveranter, tam conſtanter docet deſcriptis ſupra in locis. Quod ſi nec falſum exiſtimavit Spiritum ſanctum eſſe ſecundum a Filio, nec dubitavit quin ſecundus eſſet, neceſſe eſt ut veriſſimum judicaverit. Adeoque videtur vocula dubitandi uſus non eſſe. Primo enim ſic vexat Eunomium exprobratione ignorantiæ, qui cum accepiſſe ſe diceret ab Patribus Spiritum ſanctum dignitate & ordine inter perſonas divinas eſſe tertium, horum neminem poterat appellare. Tum ejus carpit audaciam, qui cum non poſſet, quod minus, tentaret, quod majus eſt, ex eo ſcilicet quod Spiritus ſanctus dignitate & ordine tertius ſit, efficere, natura quoque eſſe tertium. Quod poſtremum in divinis dogmatis legi non poteſt. Poteſt autem prius illud. Nam *dignitate ſecundum eſſe a Filio, ut qui eſſe ab illo habeat, & ab ipſo accipiat, & annuntiet nobis, & omnino ex illa cauſa pendeat, pietatis ſermo tradit.* Non hinc tamen tu merito inferas Spiritum ſanctum inferioris cujuſdam eſſe naturæ. Vide quam recte hæc ſeſe conſequantur, quam & apta ſint atque connexa, quamque traditæ aliis in lo.. ab Baſilio doctrinæ conſonent. Verum ſi Baſilius ea re tibi ſatis non facit, ecce tibi frater ejus Gregorius Nyſſenus, quem in Menæo Græci ſuo ad 10. Januarii ardentiſſimum orthodoxæ fidei defenſorem & doctiſſimum pugilem deprædicant. Is primam ſuam contra Eunomium orationem ſic concludit, ut non tantum Spiritum ſanctum ordine poſteriorem eſſe Filio doceat, propterea quod a Filio eſt, ut a principio; ſed etiam

neget Filium inter & Spiritum ſanctum poſſe ullum perſonarum eſſe diſcrimen, niſi hic ab illo ſit & procedat. ὁ δὲ αὐτὸς ἡμῖν καὶ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος λόγος ἐν μόνῃ τῇ τάξει τὴν διαφορὰν ἔχων· ὡς γὰρ συνάπτεται τῷ πατρὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ ἐκ αὐτοῦ εἶναι ἔχων, οὐχ ὑστερίζει κατὰ τὴν ὕπαρξιν. οὕτω πάλιν καὶ τοῦ μονογενοῦς ἔχεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐπινοίᾳ μόνῃ κατὰ τὸν τῆς αἰτίας λόγον προθεωρουμένου τῆς τοῦ πνεύματος ὑποστάσεως. αἱ δὲ χρονικαὶ παρατάσεις ἐπὶ τῆς προαιωνίου ζωῆς χώραν οὐκ ἔχουσιν. ὥστε τοῦ λόγου τῆς αἰτίας ὑπεξῃρημένου, ἐν μηδενὶ τὴν ἁγίαν τριάδα πρὸς ἑαυτὴν ἀσυμφώνως ἔχειν. Qui de Filio, *Idem*, inquit, *& nobis de Spiritu ſancto ſermo eſt, cujus in ſolo ordine differentia eſt. Nam quemadmodum connectitur Patri Filius, & ab illo habens ut ſit; non exiſtit tamen poſterius. Sic rurſus unigenito proxime hæret Spiritus ſanctus, & cogitatione ſola ſecundum cauſæ rationem prius conſideratur, quam perſona Spiritus. Temporum quippe ſpatia, in illa vita, quæ omni ſeculo anterior eſt, locum non habent. Quare ſublata principii ratione nullam ſancta Trinitas habet in ſe differentiam.* Accedat & Joannes Damaſcenus lib. 1. de orthod. fid. c. 11. ubi divinarum diſtinctionem perſonarum tradit ex parte cauſæ & cauſati omnem eſſe. Unde cum diſtinguantur a ſe invicem Filius & Spiritus ſanctus, diſtinctionis ex Damaſceno ratio eſt, quia alius cauſa eſt, alius cauſatus. Porro Filii cauſa non eſt Spiritus ſanctus: ergo Spiritus ſancti cauſa eſt Filius. Et quemadmodum diſtinguitur a Patre Spiritus ſanctus, quia ab ipſo, ut Græcorum more loquar, tanquam ab cauſa exiſtit; ratione non abſimili ab Filio ſecernitur, quia ab Filio exiſtit, ſic tanquam cauſa. Nunc collige omnia. Cum crucem tibi apponis appellata Trinitate ſanctiſſima, Spiritum ſanctum conſtituis ordine tertium. Tertius autem ideo eſt, quia ab Patre & Filio, ut ab cauſa eſt, & Spiritum eundem ſanctum diſtinguis ab Patre & Filio. Diſtingui autem non poteſt, ut aiunt Patres, niſi ipſius principium ſint Pater & Filius: ergo quoties te cruce ſignas, proceſſionem Spiritus ſancti ab Patre & Filio eſſe, ſin minus explicite, at vere & neceſſario profiteris. O miram, exclamavit *Nicolaus*, vim oculorum tuorum & mentis aciem, qui proceſſionem Spiritus ſancti ab Patre & Filio ibi pervideris, ubi latere ipſam nemo forte hactenus ſuſpicatus eſt! Illam, quæ-

so, perge nostris e libris patefacere. Annuit *Romanus*, & accepto in manus Menæo legit quod habetur ad 1. Januarii, ubi memoria S. Gregorii Theologi celebratur. εἰκὼν τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς, ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα πέφηνε. *Filius apparuit*, id est, processit, *imago Patris, Filii vero Spiritus.* Tum cœpit sciscitari in hunc modum. Cur ovum cum sit alteri alicui ovo simillimum, non dicitur imago ejus? aut cur Filius dicitur sui imago Patris, minime vero Pater imago Filii, quamvis a sese invicem nihil vel in forma vel in natura discrepent. Quid dissimulare juvat in re aperta, inquit *Nicolaus?* ovum non est ovorum aliorum sibi persimilium imago, quia non similitudo quælibet imaginis obtinet nomen, sed ea dumtaxat quæ ab re, quam repræsentat, expressa est. Sic ovum pictum vel e marmore excisum ad ovi alicujus formam & modum ejus imago dicitur. Cumque Pater & Filius plane nihil similitudine discrepent, Filius Patris imago est, quia ab illo est; non Pater Filii, quia ab Filio non existit. Sic mihi quidem videtur, subjecit *Romanus*, & visum est olim Augustino nostro, lib. de Gen. ad lit. *Omnis imago*, inquit, *similis est ei, cujus imago est: nec tamen omne quod simile est alicui, etiam imago est ejus; sicut in speculo & pictura, quia imagines sunt, etiam similes sunt: tamen si alter ex altero natus non est, nullus eorum imago alterius dici potest. Imago enim tunc est, cum de altero exprimitur.* Nec aliter sensit Gregorius Nazianz. orat. 36. *Filius*, inquit, *imago est Patris, utpote ipsi consubstantialis, & quia ex illo est, non autem ex hoc Pater.* εἰκὼν δὲ, ὡς ὁμοούσιον, καὶ ὅτι τοῦτο ἐκεῖθεν, ἀλλ' οὐκ ἐκ τούτου πατήρ. Haud scio an vestrum aliquis aliud sapiat. Cum ad hæc nemo e Græcis responderet, ne suis se Patribus opponeret, ipsique rationi, sic ex dictis collegit *Romanus*. Omnis imago ex eo habet originem, cujus imago est, ut ex communi hominum omnium notione Patres edocent. Atqui, Græcis in Menæo suo testibus, Spiritus sanctus Filii imago est, ut Filius Patris: ergo Spiritus sanctus ab Filio habet originem, atque ex eo procedit. Jam vero Spiritum sanctum Filii esse imaginem non legunt Græci in Menæo solo, legunt apud Joannem Damascenum lib. 1. de orth. fid. c. 18. & apud Cyrillum in thesauro, & apud Basilium maxime lib. contra Eunomium 5, ubi perquirens, cur non appelletur

Spiritus sanctus cum sit imago Filii, ab eo procedat necesse est.

appelletur Spiritus ſanctus Filii filius, cum ejus imago ſit, & tamen Chriſtus, quod imago Dei exiſtat, Filii nomen habeat; non reſpondet, quia Spiritus ſanctus a Filio non procedit, procedit vero a Patre Filius. Quod ſtatim repoſuiſſet, ſi vere non procederet. Hoc unum dixit, Spiritum Filii appellationem non eſſe ſortitum, ne Filii iſtius filius alter quæreretur, ſicque fieret in infinitum progreſſio. Adverte autem quam perſpicue & ſcite in allato teſtimonio loquantur Græci. Componunt enim cum Filio Spiritum ſanctum, & illum aiunt eſſe Filii imaginem, ut Filius eſt imago Patris: (conjunctiva enim hic particula comparativæ æquivalet) at Filius eſt imago Patris, quia ab ipſo procedit, eumque repræſentat. Eſt igitur Filii quoque imago Spiritus ſanctus, quia ab ipſo eſt, eumque repræſentat. Quamquam ratio imaginis Filio magis competit, quia ille, quo procedit a Patre, modus, ipſa formalis eſt, ut aiunt, repræſentatio: proceſſio vero Spiritus ſancti non eſt ejuſmodi, ſed inclinatio amantis. Non obſtat hoc tamen, quin ſit imago, quippe qui ſic nihilo minus emanet, ut eum a quo eſt, exhibeat in ſeſe. Nolim hodie tibi, inquit *Methodius*, quidquam concedere, niſi vi ſumma illud a nobis extorſeris. Quare Spiritum ſanctum repono non eo appellari imaginem Filii, quod exiſtat a Filio, ſed quod ipſum in ſe oſtendat, atque manifeſtet: manifeſtat autem, quia ejuſdem omnino naturæ conſors elucet. Vi minime opus eſt, inquit *Romanus*, ut id reſponſi plane evertam. Nam ut ſuperiora huc non revocem, ſi quia ejuſdem cum Filio naturæ eſt Spiritus, idcirco ejus imago dicitur, erit & Pater imago Filii, & Filius Spiritus ſancti: quod Chriſtiano nemini venit hactenus in mentem. Ad rationem quidem ſpeculi, ſatis eſt, ut rem vel oſtendat, vel poſſit oſtendere: ſed eſſe imago non poteſt, niſi ab eo quod oſtendit, ſit expreſſa. Unde omnis quidem imago ſpeculum eſt, ſed non quodlibet ſpeculum imago. Age nunc, ſubjecit *Methodius*, perge: nam ut iſtud, ſic opponimus tibi aliquando quædam non laceſſendi cauſa, ſed experiundi & diſcendi. Alio, inquit *Romanus*, loquendi modo Spiritus ſancti ab Patre & Filio proceſſionem demonſtrant. Patrem enim, ut memini me ſuperiore loco dicere, cum ſole, Filium cum lumine, & Spiritum cum radio comparant. Porro radium ſic

Multiplici exemplo Græci exponunt proceſſionem Spiritus ſancti a Patre & Filio.

esse a sole constat, ut sit etiam a lumine, cujus ἀπαύγασμα & splendor quidam est. Ita canunt e Triodio hebd. 2. quadragesf. τῇ πέμπτῃ εἰς τὸ ὄρθρον, ad matut. υἱὸν ἐκ πατρὸς καὶ πνεῦμα δοξάζω, ὡς ἐξ ἡλίου φῶς καὶ ἀκτῖνα· τὸ μὲν γεννητῶς, ὅτι δὲ γέννημα· τὸ δὲ προβλητῶς, ὅτι καὶ πρόβλημα. *Filium ex Patre & Spiritum glorifico: illum quidem generatione procedentem, quia proles est; hunc emissione, quia emissus.* Aliam adhibent in Octoecho similitudinem. Nam Patrem cum animo comparant; cum verbo mentali, quod ab animo producitur, Filium; & Spiritum sanctum cum amore, qui ab animo & cognitione, sive verbo existit. Ita illi sono 1. τῇ κυριακῇ πρωῒ ἐν τῷ μεσονυκτικῷ ode 1. ἵνα τοῖς ἀνθρώποις ἑνικὴν τὴν τρισαυγῆ σου δηλώσῃς θεότητα, πλάσας πρὶν τὸν ἄνθρωπον κατὰ τὴν σὴν εἰκόνα διεμόρφωσας, νοῦν αὐτῷ καὶ λόγον δὲ πνεῦμα δοὺς, ὡς φιλάνθρωπος. *Ut hominibus unicam tuam Deitatem in tribus effulgentem personis exhiberes, hominem prius formans ad imaginem tuam effinxisti, animum illi & verbum & Spiritum*, id est, amorem, *largitus, ut amator hominum.* Atqui amor, ut diximus, existit ab animo & cognitione seu verbo: ergo & Spiritus sanctus ab Patre & Filio, quorum est amor, procedit. Nempe prius est, intelligendi ordine, Patrem cognoscere se, quam amare se. Cum se cognoscit, generat Filium, in quem gignendo sua omnia transfundit, adeoque & voluntatem amoris, id est, Spiritus, productricem. Quod autem in adducto testimonio πνεῦμα significet amorem, ex eo patet, quod in animo hominis nullus sit sive flatus, sive anhelitus, sive spiratio, præterquam amoris. Amans vero πνεῖ, spirat, suspirat, adspirat ad amatum: ex quo terminus τοῦ πνεῖν seu adspirationis istius dicitur πνεῦμα, spiritus, amor. Quo fit ut apud Græcos, quod erudite notavit Petavius, amator olim εἴσπνηλος aut εἰσπνηλὸς appellatus sit, teste Theocrito in Eidyllio XII. Amatus autem dicebatur ἀΐτης, utraque voce ab spiratione & halitu derivata, priore quidem ἀπὸ τοῦ εἰσπνεῖν, *inspirare*; posteriore ἀπὸ τοῦ ἄειν quod est *flare.* Eandem illam similitudinem Græci in eodem libro laudant sono 3. νοῦν καὶ λόγον καὶ πνεῦμα οἱ θεόλογοι περιφανῶς συμβολικῶς σε καλοῦσιν, ἀπαθῆ γέννησιν ἐξ ἀγεννήτου πατρὸς τοῦ υἱοῦ σημαίνοντες, θεὲ μόναρχα τῶν ὅλων, ἅμα δὲ τοῦ πνεύματος θείαν ἐκπόρευσιν. *Te, o Deus qui re-*

bus universis unus imperas, animum, verbum & Spiritum apte per figuram appellant; quo Filii ab Patre ingenito generationem commotionis expertem, unaque divinam Spiritus processionem significent. Legi olim alia quoque testimonia in Arabicis Græcorum libris, iisque sua vetustate commendandis. In eo, quem librum legis vocitant, ubi mentio habetur synodi œcumenicæ II. Patres definivisse dicuntur Spiritum sanctum e natura Patris & Filii existere: *Men thabiát eláb ou elebn;* vel ut scribitur in alio perantiquo libro, ex substantia Patris & Filii: *Men jouhar eláb ou elebn.* Hoc ipsum tradidit Epiphanius in Ancorato, & Cyrillus lib. comment. in Joann. 10. in hæc verba: *Non enim loquetur a semetipso. Non enim,* inquit, *alienus ab unigeniti substantia Spiritus sanctus intelligitur; procedit vero naturaliter ex ipsa.* πρόεισι δὲ φυσικῶς ἐξ αὐτῆς. Jam vero esse ex Patris & Filii substantia & natura, hoc ipsum est, quod esse ex Patre & Filio: quippe cum Pater aliud nihil sit, quam natura Patris, & Filius idem sonet quod Filii substantia. Testatur hoc Damascenus: μόνος ὁ υἱὸς γεννητός· ἐκ γὰρ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς ἀνάρχως καὶ ἀχρόνως γεγέννηται. *Solus Filius genitus est. Est enim ex substantia Patris sine ullo temporis principio generatus.* Nullum dubitandi locum in suo symbolo Nicæni Patres relinquunt. ubi credere se aiunt: καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τοῦτ' ἔστιν, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός. *Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei genitum ex Patre unigenitum, id est, ex substantia Patris.* Sed nemo apertius loquitur Athanasio: εἰ δὲ ἁπλοῦν τί ἐστιν ὁ Θεὸς, ὥσπερ οὖν καὶ ἔστι, δῆλον ὅτι λέγοντες τὸν Θεὸν καὶ ὀνομάζοντες τὸν πατέρα, οὐδέν τι ὡς περὶ αὐτὸν ὀνομάζομεν, ἀλλ' αὐτὴν τὴν οὐσίαν αὐτοῦ σημαίνομεν. *Si Deus simplex aliquid est, ut est certe, manifestum est, quod cum dicimus Deum & appellamus Patrem, nihil nos quod circa ipsum sit, nominamus, sed ipsam ejus significamus substantiam.* Quamobrem miror reperiri nonnullos, qui Spiritum sanctum esse ex substantia Patris & Filii interpretentur esse ejusdem cum Patre & Filio substantiæ. Perspectum enim est (ut Patrum auctoritati nihil demus) præpositionem *ex* processionis & originis esse notam. Quamquam ex eo, quod sit e Patre & Filio Spiritus, recte consequitur esse ejusdem cum utroque

Athan. de decret. Nic. synod.

ſubſtantiæ, & ejuſcemodi argumento Patres olim Macedonium oppreſſerunt. Verum admirabile eſt quod in alio annorum quingentorum, eoque amplius vetuſtiſſimo libro ad calcem Nicænæ ſynodi œcumenicæ legitur. Ubi enim fidei exponit fundamenta, & ſingulis ſacræ Triados perſonis quæ propria cujuſque ſunt, adſcribit, Spiritum ſanctum docet *procedere ex Patre, atque e Filio emanare. Munbetekq men eláb, ſáder men elebn.* Nolim in iſtis immorari diutius; abunde ſunt quæ ex ipſis Græcorum fontibus protuli. Ut ut ſit, inquit *Methodius*, nos Spiritum ſanctum non alia notione deſcribimus, quam quod *procedat a Patre, & in Filio conquieſcat.* τὸ ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ ἐν υἱῷ ἀναπαυόμενον. Fierine poteſt, ait *Romanus*, ut poſtquam ſuperiora audiiſti, hic hæreas, itaque pronunties. Cum quietem illam Spiritus ſancti in officio Pentecoſtes celebras, num canis in eodem pariter officio, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐξ ἀνάρχου τελείου πατρὸς, καὶ δι' υἱοῦ προερχόμενον, *Spiritum ſanctum ex Patre perfecto principii experte, & per Filium procedere?* Id in Octoecho num repetis? num audis Patres Græcos, toties modiſque tam variis Spiritus ſancti proceſſionem ab Patre & Filio inculcare? an vero cum illum aſſeritis procedere a Patre, & in Filio conquieſcere, dicto iſto uno, alia quæ protuliſtis omnia, quæque accepiſtis a Patribus, vultis confutata & everſa? aut potius iſtud ea ſignificatione occinitis, ut & ſuperioribus pronuntiatis cohæreat, & afferat firmitatem? Mihi plane ſic videtur. Age enim, excute tuam ipſe mentem, & inſpice. Quid illud eſt, emanare ab Patre Spiritum, & in Filio conquieſcere? An quod ita exeat e Patre, ut deſinat in ipſo eſſe, & locum in Filio uno ſuum habeat? Amens ſit & impius qui ſic cogitet. Quia enim una eſt eademque perſonarum trium natura, etſi re ipſa perſonæ diſtinguuntur, non dividuntur tamen, ſed ſunt in ſeſe invicem. Filius eſt in Patre, quia eſt in natura divina. Pater autem natura ipſa divina eſt. Pater eſt in Filio, quia eſt in natura divina, & Filius eſt hæc ipſiſſima natura. Spiritus ſanctus in utroque eſt, & uterque in Spiritu ſancto, quia ipſe quoque natura divina eſt, in qua tum ipſe, tum Pater & Filius exiſtunt. Non tamen Pater eſt Filius, aut Filius eſt Pater, aut Spiritus ſanctus uterque eſt: quia etſi divinæ illæ perſonæ una

Spiritum ſanctum in Filio conquieſcere, id eſt, atque ab Filio procedere.

ſunt atque ipſiſſima natura divina, nec ab ea *realiter*, ut aiunt, diſtinguuntur: non eſt tamen Pater natura divina abſolute ſumpta, ſed natura divina paternitatis modo affecta. Et Filius eſt illa quidem natura, ſed filiationis conſignata modo, ac pariter hæc natura eadem, ubi cum ſpirationis modo intelligitur, Spiritus ſanctus eſt. Quare ut paternitas *formaliter* accepta eſſe filiatio non poteſt, ſic nec Filius eſſe Pater, aut Pater Filius. Et quoniam ſpirans ab ſe ipſo nequit ſpirari, ſic Spiritus ſanctus non poteſt eſſe Pater & Filius, ab quibus ſpiratur & emittitur. Cum igitur perſonæ omnes divinæ ſint in ſeſe invicem, unde eſt, ut potiore quadam ratione Spiritus eſſe dicatur in Filio, aut potius in Filio conquieſcere? Non alia profecto, quam quod ex Filio procedit, eſtque terminus interioris illius, immanentiſque operationis, qua ſeſe Pater & Filius adamant. At terminus cujuſcunque immanentis actionis in eo, a quo procedit, principio conquieſcit: ut viſio in oculo, verbum in mente, amor in amante. Porro Spiritum ſanctum caritatem eſſe ſeu divini amoris terminum non modo dicit Joannes apoſt. epiſt. 1. *Deus caritas eſt.* Non modo Paulus 2. Cor. 13. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & caritas Dei & Patris.* Ubi Athanaſ. ep. ad Serap. Spiritum ſanctum ipſam caritatem eſſe edocet. *Cum ſumus*, inquit, *participes Spiritus Verbi, gratiam habemus, & in ipſo Patris caritatem.* Sed Græci ipſi in Octoecho ſono 4. ἁγίῳ πνεύματι θεολογοῦντες φῶμεν· Σὺ εἶ Θεὸς, ζωὴ, ἔρως, φῶς. *Spiritui ſancto theologice dicimus: Tu es Deus, vita, amor, lumen.* Et illud quoque ratio demonſtrat, cum Deus intellectu ac voluntate præditus ſit, nec facultates in eo iſtæ ſterilitate laborent; quemadmodum producendi verbi vim intellectus habet, ſic & voluntas vim habet amorem exſpirandi. Alias impar erit divina voluntas intellectui divino. Quod nemo dicat, qui Deum novit. Hic autem vide, quam certo Græci ſentiant eſſe ab Filio Spiritum. Nam, ut illum aiunt eſſe in Filio per ſuam a Patre proceſſionem, ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ ἐν υἱῷ ἀναπαυόμενον; ita ipſum eſſe in Patre profitentur per Filium, a quo ſcilicet accipit, ut exiſtat. Aperite Octoechum ſono 2. dom. ad mat. in Anabathmis, antiphona 2. ἁγίῳ πνεύματι ζωαρχία καὶ γέρας· πάντα γὰρ τὰ κτιστὰ, ὡς Θεὸς ὤν, δυνά-

Spiritus ſanctus amor eſt Patris & Filii.

μὴ σωτηρεῖ, ἐν πατρὶ, δι' ὑιοῦ δέ. Spiritui ſancto vita, imperium & honor. Creata enim omnia, ut qui Deus eſt, virtute conſervat in Patre, ut per Filium; a quo ſcilicet virtutem illam cum divinitate accipit. Per Filium eſt in Patre, & omnia conſervat, & Deus exiſtit. Hunc loquendi modum didicerunt a Patribus. Baſilius ep. ad Serapionem: οὐ γὰρ ἐκτός ἐστι τοῦ λόγου τὸ πνεῦμα, ἀλλ' ἐν τῷ λόγῳ ὂν, ἐν τῷ Θεῷ δι' αὐτοῦ ἐστιν. *Non eſt,* inquit, *extra Verbum Spiritus, ſed in Verbo exiſtens, per ipſum in Deo eſt.* Damaſcenus l. 1. c. 18. Θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον μέσον τοῦ ἀγεννήτου καὶ γεννητοῦ, καὶ δι' ὑιοῦ τῷ πατρὶ συναπτόμενον. *Deus eſt Spiritus ſanctus medius ingenitum inter & genitum, & per Filium Patri conjunctus.* Iterum Baſilius lib. de Spiritu ſancto c. 18. ait unum Spiritum ſanctum, δι' ἑνὸς ὑιοῦ τὸ ἑνὶ πατρὶ συναπτόμενον, *per unum Filium uni Patri copulari.* Supereſt, inquit *Nicolaus*, ut declares, cur cum ſit in Patre & Filio, dicatur in Filio quieſcere; non autem, quod ſciam, in Patre. Spiritum ſanctum, reſpondit *Romanus*, dicunt in Filio conquieſcere valde erudite, quia poſt Filium, ut ſcribit Baſilius, & cum Filio cognoſcitur; ſicque ab eo præterea procedit, ut nullam ipſe perſonam, nullum terminum in Deo producat. Neque enim vel ſpirat vel gignit. Filius vero quieſcere in Patre minus apte diceretur, cum dicatur tamen in ipſo eſſe. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* ut ipſe de ſe & Patre Chriſtus loquitur. Nempe Filius ita naturam divinam per generationem a Patre accipit, ut cum ipſo eam ulterius in Spiritum ſuum ſanctum derivet. Nam cum ſe Pater intelligendo cognoſcit, exprimit imaginem ſui vivam, quæ cum in nullo deficiat, ſed infinite completa ſit, habet omnia quæ Pater, naturam ejus, & mentem, & voluntatem, & vitam. Jam cum ſe in imagine illa Pater videat, ipſa quoque illum viva & conſubſtantialis agnoſcit. Eſt enim una utriuſque cognitio. Atque ita cum ſeſe cognoſcunt Pater & Filius ſumme amabiles, non poſſunt non amare ſe amore infinito. Cumque ſe voluntate ament, & voluntas peræque Filii ſit ut Patris, exiſtit ab illa conſubſtantialis amor, qui æque eſt utriuſque, & ab utroque. Amorem hunc appellant ſacri codices Spiritum ſanctum; eſtque unius cum Patre & Filio ſubſtantiæ, quia ipſe ſubſtantia eſt, non accidens, & amor

Cur Spiritus ſanctus dicatur in Filio conquieſcere, non in Patre.

Dei, Deus ipſe eſt. Sed vereor ne pluribus iſta enarrem quam neceſſe ſit. Dixi. Sunt etiamnum, inquit *Methodius*, & alia nonnulla quæ dicas. Placet enim, niſi grave ſit, pauca objicere, quibus ſi feceris ſatis, credo, dabimus manus, tuamque omnes in ſententiam ibimus. Quæro igitur, ſi de Patre & Filio procedit Spiritus ſanctus, cur Filius dixit Joann. 15. *A Patre procedit*, ac de ſe ſiluit. Tibi, inquit *Romanus*, tibi jam dudum reſpondit Auguſtinus tract. 99. in Joann. *Si ergo & de Patre & de Filio procedit Spiritus ſanctus, cur Filius dixit, De Patre procedit? Cur putas, niſi quemadmodum ſolet ad eum referre, & quod ipſius eſt, de quo & ipſe eſt? Unde illud eſt quod ait, Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me? Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non ſuam, ſed Patris; quanto magis illic intelligendus eſt, & de ipſo procedere Spiritus ſanctus, ubi ſic ait, De Patre procedit, ut non diceret, De me procedit? A quo autem habet Filus, ut ſit Deus? eſt enim de Deo Deus: ab eo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus ſanctus: ac per hoc Spiritus ſanctus, ut etiam de Filio procedat, ſicut procedit de Patre, ab ipſo habet Patre.* Hoc tibi primum reponit Auguſtinus, quem ſequi ſe Patres V. ſynodi in urbe Conſtantinopoli habitæ, iique Græci, profitentur. Deinde nego mentionem ſui nullam Filium illic feciſſe. Immo Cyrillus id negat l. 10. in Joann. βλέπε ὡς ἐγρήγορε ἡ φωνή. ὅρα τοῦ λόγου τὴν νῆψιν. προειρηκὼς γὰρ ἥξειν ἐπ' αὐτοὺς τὸν παράκλητον, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας ὀνόμασεν αὐτόν, τοῦτ' ἔστιν, ἑαυτοῦ. αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ ἀλήθεια .·.·. Et paullo poſt: οὐ γὰρ ἀλλότριον τῆς τοῦ μονογενοῦς οὐσίας τὸ ἅγιον νοεῖται πνεῦμα, πρόεισι δὲ φυσικῶς ἐξ αὐτῆς. *Vide ut vigilantem vocem uſurpavit, adverte ſermonis prudentiam. Cum enim prius dixiſſet venturum ad ipſos Paracletum, Spiritum veritatis appellavit ipſum, id eſt, ſui ipſius: eſt enim ipſe veritas .·.·. Non enim alienus ab unigeniti ſubſtantia Spiritus ſanctus intelligitur, ſed ex ipſa naturaliter procedit.* Quoniam igitur ex mente Cyrilli, Spiritus veritatis dicitur Spiritus ſanctus, quia e Filii ſubſtantia naturaliter emanat; cum Chriſtus dixit: *Mittam vobis Spiritum veritatis, qui a Patre procedit;* perinde eſt, atque ſi dixiſſet, qui a mea Patriſque ſubſtantia habet originem. Quin etiam, quod merito admiraberis, hoc ipſo, quo mihi occurriſti, Joannis teſti-

Cur Chriſtus ſe tacito, Spiritum ſanctum dicat a Patre procedere.

monio, ſic elucet Spiritus ſancti ab Filio proceſſio, ut Cyrillus illud exponens probari ab Chriſto velit Spiritum ab Patre procedere, quod a ſe procedat. ἰδοὺ γὰρ ἰδοὺ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τοῦτ' ἔστιν, ἑαυτοῦ, τὸν παράκλητον εἰπὼν, παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτὸν ἐκπορεύεσθαί φησιν. ὥσπερ γὰρ ἐστὶν ἴδιον πνεῦμα τοῦ υἱοῦ φυσικῶς, ἐν αὐτῷ δὲ ὑπάρχον, καὶ δι' αὐτοῦ προϊὸν, οὕτω καὶ τοῦ πατρός. *Ecce*, inquit, *ecce cum Paracletum appellat Spiritum veritatis, id eſt, ſui ipſius, illum ait a Patre procedere. Quemadmodum enim naturaliter Filii proprius eſt in ipſo exiſtens, & per ipſum procedens, ita etiam Patris.* Denique etiam ſi hoc unum Chriſtus dixiſſet, *Mittam vobis Spiritum, qui a Patre procedit*, ſeipſum indicaſſet ſatis. Cum enim ita pronuntiaverit, *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt*; ſi Pater habet, ut a ſe procedat Spiritus, neceſſe eſt ut id ipſum Filius habeat. An vero quia Pater unus in ſymbolo omnipotens appellatur, cælique ac terræ procreator; neque id Filio aut Spiritui ſancto, ſi verbis hæreas, tribuitur: recte aliquis inferat, Spiritum ſanctum & Filium vi illa præpotente carere, nec partem habere ullam in mundi creatione? Minime profecto. Quia perſonis divinis communia ſunt omnia, præter id quo unaquæque conſtituitur in ſeſe, & ab alia diſtinguitur. Unde cum creandi virtute non conſtituatur Pater, aut diſtinguatur ab Spiritu ſancto & Filio, communis eſt illis peræque; ad eum etiam modum ſpirandi vis, cum non ſecernat Patrem a Filio, neque ipſi det eſſe Patrem, communis ſit utrique neceſſe eſt. Qua vi cum differant a Spiritu ſancto, eam non poſſunt cum illo habere communem. Neque enim eſſe ſibi principium, ſeipſum ſpirando, Spiritus poteſt: alias prius exiſteret, quam eſſet, qui ſibi, ut eſſet, tribueret. Quid ergo, ſubjecit *Methodius*, Patres ſynodi II. imperfectum tradiderunt Fidei ſymbolum, cum in eo ſolius ab Patre proceſſionis meminerint? Ego ſic habeo, ſi illa quoque ad Filium pertineret, futurum fuiſſe, ut dilucide id exponerent. Nam ſymbolum illud ea potiſſimum mente ediderunt, ut quæ propria ſunt Spiritus ſancti doceremur. Velim, repoſuit *Romanus*, tu tibi ipſe facias ſatis. Dic enim an I. Nicænæ ſynodi Patres CCCXVIII. ſymbolum nobis propoſuerunt mancum, qui ne proceſſionis quidem Spiritus ſancti a Patre memi-

Cur Patres ſynodi II. Spiritum ſanctum prætermiſſo Filii nomine a Patre procedere ſcripſerunt.

meminerunt. Eo enim uſque illud perduxerunt, *& in Spiritum ſanctum.* Cætera poſtea addita ſunt, quando coacta eſt adverſus Macedonium ſynodus altera. Sic quippe fatemini in Synaxario Dominica illa quam CCCXVIII. divinis Patribus Nicææ congregatis inſcripſerunt majores veſtri. Quid ais? Peccarunt illi, quod ea quæ ad Spiritum ſanctum attinent, omiſerunt explanare? Græci ſapientiſſime reſpondent Patres ultra non fuiſſe progreſſos, quod tum quæ mota eſt quæſtio, minime Spiritum ſanctum impeteret. Hanc tibi reſponſionem accipe. Patres ſynodi œcumenicæ II. procedere e Patre Spiritum dixerunt, tacito Filii nomine, tum quod appellato Patre ſatis intelligi putarent Filium, cujus ſunt omnia, quæ ſunt Patris; tum quod id unum vellent contra Macedonium ſtatuere Deum eſſe, & ab Patre Spiritum; cum vir ille ad omne nefas projectiſſimus, Spiritus ſancti cauſam & originem Unigenito ſoli attribueret. Juvat audire Baſilium teſtem in calce libri contra Eunomium ſecundi. *Cui non patet*, inquit, *quod nulla Filii operatio a Patre diviſa eſt? Nec eſt aliquid in rebus, quod Filio inſit, & ſit a Patre alienum. Omnia, inquit, mea tua ſunt, & tua mea. Quomodo ergo Spiritus cauſam & originem Unigenito ſoli attribuit, & ad ejus accuſandam naturam hujus creationem accipit? Si igitur duo principia in oppoſitum inter ſe ducens hac ait, cum Manichæo & Marcione conteretur. Quod ſi ab uno dependere ac prodire omnia putat, quod a Filio factum eſſe dicatur, ad primam refertur cauſam. Quare etſi cuncta producta eſſe per Verbum Deum credimus, omnium tamen eſſe cauſam Deum univerſorum non negamus. Quo pacto autem dividere Spiritum a Deo non habet manifeſtum periculum? cum partim apoſtolus nobis conjunctim tradat, & Chriſti modo Spiritum appellet, modo Dei. ubi ſcribit: Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. & rurſus: Vos autem non Spiritum mundi accepiſtis, ſed Spiritum qui ex Deo eſt. partim vero Dominus Spiritum veritatis illum dicat, quoniam ipſe veritas eſt, & aſſerat a Patre procedere. At hic in deſtructionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, a Patre quidem Spiritum removet, Unigenito vero ad gloriæ everſionem maxime attribuit.* ἐκεῖνο δὲ τίνι τῶν πάντων ἄδηλον, ὅτι οὐδεμία ἐνέργεια τοῦ υἱοῦ ἀποτετμημένη ἐστὶ τοῦ πατρός; οὐδὲ ἐστί

τι ἐν τοῖς οὖσι τῷ υἱῷ ὑπάρχοι, ὁ τοῦ πατρὸς ἠλλοτρίωται. πάντα γὰρ, φησι, τὰ ἐμὰ σά ἐστι, καὶ τὰ σὰ ἐμά. πῶς οὖν τοῦ πνεύματος τὴν αἰτίαν τῷ μονογενεῖ μόνῳ προστίθησι, καὶ κατηγόρημα τῆς φύσεως αὐτοῦ τὴν τούτου λαμβάνει δημιουργίαν; εἰ μὲν οὖν δύο ἀρχὰς ἀντιπαρεξάγων ἀλλήλαις ταῦτά φησι, μετὰ Μανιχαίου καὶ Μαρκίωνος συντριβήσεται. εἰ δὲ μιᾶς ἐξάπτει τὰ ὄντα, τὸ παρὰ τοῦ υἱοῦ γεγενῆσθαι λεγόμενον, πρὸς τὴν πρώτην αἰτίαν τὴν ἀναφορὰν ἔχει. ὥστε κἂν πάντα εἰς τὸ εἶναι παρῆχθαι διὰ τοῦ Θεοῦ λόγου πιστεύωμεν, ἀλλὰ τὸ πάντων αἴτιον εἶναι τὸν Θεὸν τῶν ὅλων οὐκ ἀφαιρούμεθα. πῶς δὲ οὐ φανερὸν ἔχει τὸν κίνδυνον, διαιρεῖν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ τὸ πνεῦμα; τοῦτο μὲν τοῦ ἀποστόλου συνημμένως ἡμῖν παραδιδόντος, καὶ νῦν Χριστοῦ λέγοντος, νῦν δὲ τοῦ Θεοῦ· ἐν οἷς γράφει, εἰ δέ τις πνεῦμα Χριστοῦ οὐκ ἔχει, οὗτος οὐκ ἔστιν αὐτοῦ. καὶ πάλιν, ὑμεῖς δὲ οὐ τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου ἐλάβετε, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ. τοῦτο δὲ, τοῦ κυρίου τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας λέγοντος, ἐπειδὰν αὐτὸς ἡ ἀλήθεια, καὶ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται. ἀλλ' οὗτος εἰς καθαίρεσιν τῆς δόξης τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἀφαιρεῖ μὲν αὐτὸ τοῦ πατρὸς, τῷ μονογενεῖ δὲ διαφερόντως ἐπὶ καθαιρέσει τῆς δόξης προστίθησι. Ex hoc Basilii eximio testimonio palam est Macedonianæ hæreseos duo quasi capita fuisse, quæ sunt ab CP. Patribus in symbolo eversa atque abscissa. Primo enim Spiritum S. ne cogerentur fateri Deum, negabant a Deo Patre procedere. Contra affirmat symbolum, & Spiritum S. proponit vivificantem Dominum & a Patre procedentem. Deinde sic soli attribuebant Filio, ut vellent eum inferioris ab Filio esse naturæ, quasi procreatus ab illo esset, Contra definit symbolum simul illum cum Patre & Filio adorari & conglorificari. Quid necesse erat, ut Spiritum ab Filio procedere Patres dicerent, quod ultro fatebantur adversarii? Et dicendi si qua tum fuisset necessitas, num significabant satis, cum pronuntiabant eum a Patre procedere? cum *Filius*, teste Damasceno lib. I. de imag. *totum in seipso ferat Patrem, habeatque omnimodam cum ipso identitatem, hoc uno discrepans, quod est a principio.* ὁ υἱὸς ὅλον ἐν ἑαυτῷ φέρων τὸν πατέρα κατὰ πάντα ἔχων τὴν πρὸς αὐτὸν ταυτότητα, μόνῳ δὲ διαφέρων τῷ αἰτιάτῳ. Atque si Eunomii Macedoniani vecordiam merito carpebat Basilius, quod Spiritus causam & originem Unigenito soli attribueret, negaret Patri: cujus tamen, si credimus evangelio, sunt omnia

quæ Filii ſunt; cum pariter quæ Patris ſunt, ſint etiam Filii: quæ illorum incogitantia, pace veſtra ſic loquar, quis ſtupor illorum eſt, qui Spiritus ſancti cauſam & originem Patri ſoli tribuunt, negant Filio, cujus tamen ſunt omnia quæ ſunt Patris? Quamquam quod prætericrunt Patres in ſymbolo, ut minime neceſſarium, non omiſerunt in ſynodo, ut notatu dignum, ſi qua fides libro illi Arabico quem Græci ſacroſanctum habent in Syria, volumenque legis nuncupant. Ubi enim concilium iſtud Conſtantinopolitanum deſcribit, definiiſſe Patres aſſerit, *Spiritum ſanctum ex natura Patris & Filii exiſtere*, uti eſt a me ſuperiore loco memoratum. Atenim, inquit *Methodius*, ſi ab Patre & Filio Spiritus ſanctus eſt, duo erunt Spiritus ſancti principia: ab duabus enim procedet diſtinctis perſonis. Vellem, inquit *Romanus*, abs te viro & ingenioſo & erudito levia iſta non opponi. Vide enim quam nullius ſint momenti. Quid enim, ſi quis tibi eodem probare contenderet argumento tria eſſe mundi principia, quia ab tribus diſtinctis perſonis, Patre & Filio & Spiritu ſancto, conditus eſt; an continuo dictum admitteres, eraderesque e veſtro Octoecchi libro quod legitis, *Deum* ſcilicet eſſe *principium in tribus perſonis unum*, *μίαν τρισυπόστατον ἀρχήν*; & litem intenderes Baſilio, quod lib. de Spir. S. c. 16. unum eorum quæ ſunt, principium eſſe ſtatuat, etſi ab tribus perſonis omnia abſolvantur, quarum primam, quæ Pater eſt, *προκαταρκτικὴν αἰτίαν*, *principalem cauſam* nominat; ſecundam, quæ Filius, *δημιουργικὴν*, *conditricem*; tertiam vero, quæ Spiritus ſanctus, *τὴν τελειωτικὴν*, *perficientem*? Reſponde, Methodi, quid diceres? Patrem & Filium & Spiritum ſanctum tria eſſe mundi conditi principia, an vero unum? Unum dicerem, repoſuit *Methodius*, ne tres ego Deos inducerem, qui unum colo in tribus perſonis ſubſiſtentem. Unum porro eſſe oſtenderem, quia Deus mundum creavit, non quatenus Pater, ſic enim Filium ſolum reſpicit; non quatenus Filius, ſic enim ad Patrem unum refertur; non quatenus Spiritus ſanctus, ſic enim ſpirantem ſpectat, non alium: ſed quatenus poteſt omnia. Vis autem illa omnium effectrix in tribus una eſt, ut & natura; atque adeo unum e tribus mundi producti principium conſtituitur, &, ut loquimur in Octoecho, *μία τρισ-*

Etſi ab Patre & Filio Spiritus ſanctus procedit, non ſunt tamen duo ejus principia.

ὑπόστατος ἀρχή. Bene eſt, inquit *Romanus*; quod oppoſuiſti nobis, egregie evertiſti. Patrem & Filium ſimiliter dicimus μίαν δυνποστατον ἀρχὴν Spiritus ſancti; principium nempe unum in duobus ſubſiſtens divinis perſonis. Neque enim illum ſpirant, quatenus ſunt Pater & Filius, ac paternitatis filiationiſque proprietatibus diſcrepant, ſed quatenus in una ſpirandi virtute conveniunt, & ſunt unum. Quamobrem Gregorius X. pontifex maximus, in concilio Lugdunenſi, ad quod Græci concordiæ inſtaurandæ cauſa convenerant, ſic catholicam fidem explicat: *Fideli ac devota profeſſione fatemur, quod Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre & Filio non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno principio, non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicavit, & docuit ſacroſancta Romana eccleſia mater omnium fidelium & magiſtra. Hoc habet orthodoxorum Patrum atque doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera ſententia.* At ſi duo ſpirant, inquit *Methodius*, quî fieri poteſt, ut ſpiratio una ſit? Dic tu, repoſuit *Romanus*, ſi tres creant, quomodo eſſe poteſt una creandi actio? Num reſpondebis, quia unum in tribus creationis principium eſt, virtus nempe procreatrix una & eadem? Sic & ego tibi affirmo ſpirationem ab utraque perſona unam eſſe, quia ab una utriuſque ſpirandi vi promanat. Mihi venerat in mentem, ait *Methodius*, & hoc tibi objicere, quod validum nonnullis viſum eſt, ſequi ex eo, quod Pater cum Filio dicatur emittere Spiritum, Patris eſſe mancam actionem, quæ Filii idcirco compleri acceſſione debeat: ſed me ſtatim tua illa Dei mundum procreantis ſimilitudine repelleres, diceresque non eſſe mancam Patris creantis actionem, etſi in creando quaſi ſocios habeat Filium atque Spiritum, quia una eſt trium ipſorum actio; ita unam eſſe Patris & Filii, qua Spiritus procedat, ſpirationem; nec poſſe Filii actione actionem Patris perfici, cum utriuſque una eademque actio ſit. Quare alio me verto, aioque: Si Pater & Filius ſunt cauſa Spiritus ſancti, cum ſolus Pater ſit cauſa Filii; magis erit Filii cauſa, quam Spiritus. Rurſum, inquit *Romanus*, ad Dei mundum producentis exemplum te revoco. An, ſi Pater mundum procrearet ſolus, magis eſſet cauſa mundi conditi, quam nunc

Etſi Pater ſpiret cum Filio Spiritum, non eſt ejus actio imperfecta.

Pater non eſt magis Filii cauſa, quam Spiritus ſancti.

eſt, cum illum Filio & Spiritu ſancto ſibi in agendo conjunctis efficit? Minime. Cauſa enim cum ſpectetur in agendi vi, viſque agendi in Deo idem quod ejus ſubſtantia ſit, totamque ſubſtantiam divinam quam habet Filius & Spiritus ſanctus, in ſeſe Pater habeat, nec illa ſubſtantia haberi magis aut minus poſſit; non poteſt etiam magis vel minus potentia poſſideri, adeoque nec dici Pater magis aut minus cauſa eſſe. Quem omnino ad modum etſi Pater cum Filio conjunctim emittit Spiritum, non minus illum emittit, quam ſi illum ſolus effunderet, quia voluntate illum producit; quæ voluntas tanta eſt in ipſo ſolo, quanta & in ipſo Filio: eſt enim eadem in utroque & una. Nec magis eſt cauſa Filii, quam Spiritus, quia ut tota mente gignit Filium, ſic tota voluntate divina Spiritum emittit. Nec enim & in ipſo Filio diviſa eſt, ſed tota in utroque, & in unoquoque tota. Nimirum, ut ait Auguſtinus l. 8. de Trin. c. 1. *neque Pater & Filius ſimul majus aliquid ſunt, quam Spiritus ſanctus, aut ſingula quæque perſona quælibet trium minus aliquid eſt, quam ipſa Trinitas.* Præclare illud quidem, inquit *Methodius*: ſed videtur Spiritus ſanctus Filio futurus inæqualis, tum quia ab duobus erit, Filius autem ab uno; tum quia virtute ſpirandi quam habet Filius, carituгus ipſe eſt. Vix crediderim, reſpondit *Romanus*, hæc abs te proponi ſerio. Nam, amabo te, an minor eſt Patre Filius, quia non generat, & quia ab Patre exiſtit; ipſe autem Pater ab nullo eſt? An neſcis tantum eſſe in illa ineffabili Trinitate generari & ſpirari, quantum generare & ſpirare; & cum perfectio omnis in natura ſubſtantiaque poſita ſit, perſonas omnes divinas æquali perfectione gaudere, quippe quæ ſingulæ ſeorſim, quemadmodum omnes conjunctim, naturam divinam totam poſſideant? Spiritus ſanctus non eſt Filio inæqualis, quia quod ipſe a duobus accipit, idem omnino eſt, atque quod habet ab uno Filius; totam ſcilicet Deitatem uterque exhaurit. Caret virtute ſpirandi, ſed non perfectione ulla ſpirantis perſonæ, cum qua unus eſt in natura. Neque *ſpirari* minus in illo quiddam eſt, quam *ſpirare* in Patre & Filio, quia diverſus ille habendæ naturæ modus non facit, ut minus in ipſo uno ſit, quam in utroque alio, natura divina. Dependentia vero perſonæ alterius

Spiritus ſanctus non eſt Filio inæqualis.

ab altera in Deo nulla est, nisi quæ *correlatorum, qua correlata sunt.* In quo mira est æqualitas, cum ab sese invicem pendeant, id est, unus esse, quin sit alter, non possit. Namque ut Pater dat Filio, ut Filius sit; ita habet a Filio, ut sit Pater: neque enim pater esse sine filio quis potest. Et cum tribuit uterque Spiritui sancto, ut sit Spiritus sive spiratus, accipit vicissim ab illo, ut sit spirans. Verum, inquit *Methodius*, vel valet solus per se Pater Spiritum spirare, vel non valet. Si valet, frustra illi adsciscitur ad operationis societatem Filius. Si non valet, imperfectum illum constituis. Nescisti, reposuit *Romanus*, quo valde profeceras, mundi creati exemplum. Vel enim solus per se Pater procreare illum potest, vel non potest, nisi Filio & Spiritu sancto sibi adjunctis. Responde, & tuum in rem nostram confer responsum; satis ipse tibi continuo feceris. Id abs te responsum velim, inquit *Methodius*. Neque enim theologiam vel de limine salutavimus. Tum Romanus, cum explanasset fore imperfectum Patrem, si per se solus mundum crearet, quia tunc ageret sine sapientia quæ Filius est, & sine amore qui Spiritus sanctus; non posse pariter dixit suum sine Filio spirare Spiritum, quia temere ac sine cognitione & sapientia amare non potest. Mundi creatio divinæ potentiæ opus est, quæ cum una sit in tribus personis, quidquid potentia fit, ab ipsis tribus conjunctim existit. Spiratio Spiritus divinæ actio est voluntatis, quæ cum Filio Patrique una inesse & communis ante intelligatur, quam emanet Spiritus, voluntate profundi non potest, quin ab utroque exeat. Vix occurrit quod arguam, adjunxit *Methodius*, nisi quod hæc qui admittat, fateatur quoque necesse est processionem Spiritus sancti esse quid Patri & Filio commune & proprium. At si commune, quî proprium est? Fatetur hoc Gregorius Nyssenus, inquit *Romanus*, in epist. ad Ablavium, & ipsi fatentur adversarii, posse aliquid sic proprium esse, ut commune sit tamen. Nam proprium esse volunt Filio & Spiritui, ut a Patre sint, & utrique commune. Denique ratio ingeniti Patri & Spiritui sancto num propria est, eademque communis? Communis est, cum Pater & Spiritus inter sese cogitando componuntur; propria est, si cum Filio conferuntur, qui ea re ab illis differt, quod non sit ingenitus.

Pater non potest sine Filio spirare Spiritum sanctum, quia perfectus est.

Notio in Trinitate aliqua potest esse propria & communis.

Victum hac parte me sentio, inquit *Methodius*; sed alia te jam aggredior difficiliore. Quid enim ad auctoritatem Joannis Damasceni respondeas, qui l. 1. de fid. orthod. c. 11. in hæc verba scribit: *Spiritum sanctum tam ex Patre esse profitemur, quam Patris appellamus Spiritum; ex Filio autem Spiritum non dicimus, sed eum Filii Spiritum nominamus.* Multa sunt, reposuit *Romanus*, quæ hic proferam. Ac primum fac sentire Damascenum, ita Spiritum sanctum ab Patre solo existere, ut minime a Filio procedat. Magnus est, fateor, & merito illum dixeris aureum doctrinæ flumen, qui tam copiose, tam admirabiliter de divinis arcanis edisserit. Sed ut tantus sit, quantus, amabo, quantus est, si eum unum cum Basilio, Athanasio, Cyrillo, Epiphanio, Maximo, Joanne Chrysostomo, Gregorio Nysseno, aliisque Patribus, tum Græcis tum Latinis, composueris, qui cum dilucide pronuntiarunt, tum e sacris codicibus demonstrarunt, Spiritum sanctum ab Patre Filioque procedere? An ab illis omnibus ad unum Damascenum transvolabis, atque ut ab uno stes, omnes aspernaberis? Sapuit scilicet hic unus recentissimus omnium, errarunt illi antiquissimi ecclesiarum magistri? Verum neque exciderunt ipsi a vero, neque ab illis Damascenus dissentit. Aliud enim est τὸ *ex Filio Spiritum non dicimus*; aliud τὸ *ex Filio Spiritum esse non credimus.* Quemadmodum & aliud est τὸ *virginem sanctissimam non dicimus Christi matrem*; aliud τὸ *virginem sanctissimam non credimus Christi matrem.* Utrumque hoc Joannes Damascenus scripsit: *Virginem sanctissimam non dicimus Christi matrem*; & istud: *Ex Filio Spiritum non dicimus.* Sed quod non scripsit, credidit; virginem beatissimam esse Christi matrem, & ex Filio esse Spiritum. Non dicebat sanctam virginem Christi matrem, quia, ut testatur ipse lib. de orth. fid. 3. c. 12. hoc idem dicebat impurus ille & reprobus, & fide Judæus, & ignominiæ vas Nestorius, quo illam *Deiparæ* appellatione spoliaret. Credebat tamen Christi matrem, *de qua nemo nescit natum esse Jesum qui vocatur Christus.* Quam omnino ad normam non dicebat, *ex Filio esse Spiritum*, quia hæc erat execrandi Macedonii vox, quo Spiritum sanctum ab Patris substantia excluderet. Credebat tamen esse a Filio, idque multis modis docuit. Primo cum tradidit personas divi-

Ioannes Damasc. non negat Spiritum sanctum ab Patre & Filio procedere.

nas non alia quam *cauſæ* & *cauſati* ratione diſtingui. Diſtinguitur autem a Spiritu Filius: ergo neceſſe eſt ejus cauſa ſit, ut cauſæ nomen uſurpem cum Græcis. 2. Cum ſcribit cap. 8. lib. 1. de orthod. fide, *Filium per omnia eſſe Patri ſimilem, hoc unum ſi excipias, quod Pater eſt ingenitus.* Quod unum qui excipit, certe non excipit vim ſpirandi. 3. Quoties Spiritum ſanctum a Patre per Filium procedere tum in primo orthod. fid. libro, tum in ſuis ad Jordanem litteris profitetur? At procedere per Filium non poteſt, quin a Filio procedat; quod pluribus expoſuimus. Sed vide quam agere tecum liberaliter velim. Sume hoc tibi, Damaſcenum non modo non dicere, ſed nec credere *ex Filio Spiritum.* Nos quoque nec dicimus nec credimus *ex Filio* procedere Spiritum: at dicimus & profitemur Spiritum ſanctum, non ſimpliciter *ex Filio*, ſed *& ex Filio* eſſe. Non enim a Filio ſolo, ſed *a Patre Filioque procedit.* Præterea cum hæc particula *ex*, ἐξ, ut recte advertit e Græcis magiſtris Demetrius Cydones, mentem ſiſtat, neque ad cauſam ulteriorem aliquam inveſtigandam avocet; *per* autem ſive διὰ, principalem aliquam indicet, ab qua ſit hæc quaſi interjecta & media. Veritus eſt Damaſcenus Spiritum *ex Filio* dicere, ne videretur ipſum unum Spiritus ſancti facere cum Macedonio cauſam. *Per Filium* vero dixit, ut oſtenderet ita eſſe a Filio, ut eſſet principaliter a Patre, a quo illius producendi vim cum natura ipſa divina Filius accepit. Atque hanc eſſe Damaſceni mentem ex his patet illius verbis: *Filii Spiritus eſt, non tanquam ex ipſo, ſed quod per ipſum ex Patre procedat. Solus enim Pater principium eſt.* καὶ υἱοῦ δὲ πνεῦμα, οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον· μόνος γὰρ αἴτιος ὁ πατήρ. Quorum verborum hæc ſententia eſt. Quia ſolus Pater cauſa ſive principium eſt, non dicimus Spiritum ſanctum eſſe ex Filio. Videndum ergo quo ſenſu ſolus Pater principium eſt. Eo enim ſenſu mens Damaſceni eſt, Spiritum ſanctum non eſſe ex Filio. Principium autem modo non uno dicitur. Nam principium aliud eſt, quod ab nullo eſt, & a quo ſunt cætera omnia; idque merito appellatur pure ac ſimpliciter principium: aliud eſt a quo quidem multa derivantur, ſed ipſum ab alio deductum eſt; atque hoc non pure ac ſimpliciter principium eſt,

eſt, ſed principium ex principio. Jam dici ſenſu omni non poteſt, quod ſolus Pater principium ſit. Nam ut creatas cauſas miſſas faciam, ſingulæ Trinitatis perſonæ principium ſunt, quatenus ad res effectas referuntur. Unde Damaſcenus in Octoecho, ſono, niſi fallor, primo, Trinitatem vocat *μίαν τρισυπόστατον ἀρχὴν*, principium in tribus perſonis ſubſiſtens. Et quatenus ſeſe invicem perſonæ illæ ſpectant, non diſcrepant inter ſe niſi ratione cauſæ & cauſati, ut aiebat modo idem Damaſcenus, & nominatim Gregorius Nyſſenus libro I. contra Eunomium, citato loco. Spiritum proxime hærere Filio dixit, Filiumque conſiderari & conſtitui ante Spiritum, ratione dumtaxat principii; id eſt, idcirco ſolum, quia ipſe Spiritus ſancti principium eſt. *τοῦ μονογενοῦς ἔχεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐπινοίᾳ μόνῃ κατὰ τὸν τῆς αἰτίας λόγον προθεωρουμένου τῆς τοῦ πνεύματος ὑποστάσεως.* Sunt ergo principia præter Patrem aliqua, ſed nullum eſt pure ac ſimpliciter principium præter Patrem. Solus enim ab nullo eſt, & ab eo ſunt cætera omnia, atque etiam ipſe Filius. Nunc ut iſta iis accommodentur quæ diſputamus: conſtat Filium non eſſe pure principium, ſed principium e principio; adeoque Spiritum ſanctum non eſſe ex eo tanquam principio, cujus alius nullus principium ſit. Eſt tamen *per Filium*, id eſt a Filio, ſed qui non eſt illius pure ac ſimpliciter principium, quia & ipſi Pater principium eſt. Præterea cum in creatis particula *ex* cauſam effecti primam, qua non ſit ſuperior alia, oſtendat; præpoſitio vero *per* cauſam interpoſitam & mediam, ut ſi mandatum ex rege dicas per præconem emanaſſe; & viderit Damaſcenus Filium Patrem inter & Spiritum quaſi quid medium: ſe judicavit accuratius dicturum, ſi ex Patre per Filium procedere Spiritum ſanctum diceret. Quæ modo profers, inquit *Methodius*, haud ſcio an ſuperioribus probe conſentiant. Tunc enim ponebas Patrem & Filium Spiritui ſancto principium eſſe unum, nunc vero affirmare videris non eſſe unum. Nam quo pacto unum ſit, principium quod a nullo eſt, & principium quod non eſt a nullo. Audi me, o Methodi, ſubjunxit *Romanus*, noli pergere. Vereor ne ſtatim tres nobis inducas in Deo naturas. Videbitur enim fortaſſe non eſſe una eademque natura, ea quæ eſt communicata,

qualis est divina in Filio, per generationem; & ea quæ nullo communicationis modo accepta est, qualis in Patre; ac denique ea quæ spirandi via, non generandi derivata est, qualis in Spiritu sancto. Fide tamen constat naturam divinam in tribus personis, utut sint illius habendæ modi, esse plane unam, ut nihil magis. Principium Spiritus sancti vis spirandi est, quæ in Patre & Filio una eademque intelligitur, sed conditionem sequitur naturæ, cujus unitati non obstat in Filio esse communicatam, non esse vero in Patre. Fateor hoc, inquit *Methodius*: vel nobis eripis Damascenum tam idoneis & eruditis responsis, vel cogis neutrum esse. Verum habeo e libris nostris unum qui clarissime edocet non procedere e Filio Spiritum. Verbis enim explicatissimis Spiritum sanctum affirmat ἐκ μόνου τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ex Patre solo prodire. Quæsivit *Romanus*, cujusnam esset hic liber, quove nomine vocaretur. Synaxarion est, respondit *Methodius*, Nicephori Callisti Xanthopulo geniti. Cum ultra rogasset *Romanus*, ecquis esset ille Nicephorus, quove dignitatis gradu, unusne aliquis ex antiquis ecclesiæ Patribus, an e patriarcharum numero, an certe sacerdos, vel e clero: Nosti illum, inquit *Methodius*; sentio te per ironiam & ex arte percontari. Omnino, reposuit *Romanus*, & quasi in cute penitissime illum novi, ejusque librum. Absit codicem hunc ecclesiæ Græcæ libris connumeres, adeo scatet vitiis. Librum dicito, si placet, laici unius recentioris, cui venit in mentem de rebus theologicis, ut sutori ultra crepidam, disserere, nec male nonnunquam, cum de alieno, id est, e sanctis Patribus, quæ scribit, prædatur; insulse & aliquando pessime, cum depromit de suo, quale est quod a te modo de processione Spiritus sancti propositum, & alia multa, quæ nata occasione arguemus. Casaubonus vir doctus & acris judicii, quidquid apud ipsum etiam in historicis, ubi magis eminet, legitur, non pluris faciebat quam folia farfari. Ex eruditis alii autorem συγγραφέα nolunt, sed μύθων καὶ λήρων ῥαψῳδόν, fabularum & futilium rerum consarcinatorem jubent appellari. Qui magis illi favet Philippus noster Labbeus, multas illum fabulas & quisquilias undecunque collectas queritur rebus interdum selectis attexuisse. Sed fac Nicephorum istum Basilio

Nicephorus Callistus Xanthopulus quantæ autoritatis.


lib. de script. ec. l. s.

& Cyrillo & Patribus cæteris omni ex parte majorem esse, & autoritatem ejus ratione omni superiorem, hoc est, si fas dicere, parem divinæ: nihil attendamus qua mente scripserit, pacisne, an schismatis studio. Verba ipsa, ut jacent, expendamus. *Spiritus sanctus*, inquit, *a Patre solo procedit.* Hinc tu ratiocinando efficis: Ergo non procedit etiam a Filio. Quanto sic colligeres magis, si scripsisset in hunc modum: *Spiritus sanctus non a Filio procedit, sed a solo Patre.* Male tamen & hinc & inde concluderes, non esse ab Patre & Filio Spiritus sancti processionem. Paradoxum, exclamavit *Methodius*, paradoxum, Romane, proponis, quod nemo satis intelligat aut solvat. Intelliges, inquit *Romanus*, tuque ipse solves. Hæc est argumentatio tua prior: Spiritus sanctus a solo Patre procedit: ergo non procedit a Filio. Si pugnas recte id consequi, jam non erit apud te vel Filius Dei immortalis, vel Pater Deus aut Dominus, vel ulla præter Deiparam fœmina benedicta. Dicis enim, & ex Paulo dicis in officio vigiliæ Pentecostes in adoratione prima quæ Patri addicta est, *ipsum solum habere immortalitatem.* Deinde oratione Cherubica, quæ recitatur in Basiliana missa, sic Filium compellas: Tu solus, o Domine, Deus noster es, cælestium dominus ac terrestrium, sedens supra thronum Cherubim, princeps Seraphim, rex Israel unus sanctus. Continuo ne argues, quod e dicto Nicephori expressisti: Ergo Pater non Deus aut Dominus, aut rex Israel sanctus est. Denique in quinta glorificatione ex iis quas Græci Arabes psalmis inserunt, traduntque ab S. Joanne Damasceno esse compositas, ut alia testimonia omittam; sic orant beatam Virginem: *Serva tuos ab omni angustia famulos, o tu quæ sola es benedicta.* Ergo, si licet modo tuo disputare, nec Lia uxor Jacobi, nec Anna Samuelis mater, nec Ruth, nec Debora, neque Jahel, benedictæ sunt, quantumvis id afferant sacri codices. Vexant nos; inquit *Nicolaus*, quæ nobis e sinu nostro exempla advehis. Nam, cum dicimus Patrem solum immortalem, nihilo credimus minus pari Filium eademque immortalitate gaudere: & cum Filium vocamus Deum nostrum solum, non excludimus a divinitate Patrem: neque etiam carere benedictione mortales cæteros affirmamus, cum solam Virgi-

nem profitemur benedictam. Expone quo hæc omnia pacto sibi consentiant. Exponam, ait *Romanus*: sed ut magis rem capias, quamvis Nicephorus ex autoritate quam illi immerenti alia omni superiorem animi gratia tribuimus, sic pronuntiasset: Spiritus sanctus non procedit ex Filio, sed ex Patre solo; non liceret propterea ab profundendo Spiritu Filium ablegare. Alias sequeretur nescire Filium qua die & hora excidium orbis & commune judicium futurum est. Christus enim Matth. 24. sic contestatur: *De die illo & hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus Pater.* & disertius apud Marc. c. 13. *De die illo & hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.* Deinde respondere Nicephori autoritati, tantæ scilicet tamque necessariæ, possemus, quo respondimus modo Joannis Damasceni sententiæ, Spiritum sanctum non procedere ex Filio tanquam ex principio, puro nimirum & principii experte, qua ratione ab Patre solo Spiritus sanctus effunditur, ab quo & Filius accepit vim communem Spiritus exspirandi. Adde quod, cum in Deo unum idemque omnia sint, ubi non intercedit oppositio relativa; vox ista, *solus,* quando personæ e divinis alicui adscribitur, alias non excludit, si materia subjecta nullam ad ullum relationem inferat. Ut cum solus Pater habere immortalitatem dicitur, non opponitur immortalitas relative vel paternitati, vel filiationi, vel spirationi; adeoque neque Filium, neque Spiritum sanctum ab illius dotis communione removet; ac potest sic exponi dictum illud: Solus Pater, & qui cum eo unum est, habet immortalitatem. Ita si quis e Patribus dixisset, quod dictum ab nemine illorum est, Spiritum sanctum ab Patre solo procedere; vis effati esset, ipsum a Patre solo, eoque qui unum quiddam cum ipso in virtute spirandi extat, emanare. Denique in sacris literis vulgo omnia ad Patrem referuntur, qualis est cognitio illa diei extremæ, & doctrina Christi, quam Christus non suam, sed Patris asserebat esse: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*; & alia hujuscemodi, quæ personis tribus divinis peræque conveniunt. Referuntur autem ad Patrem, quia ipse est πηγὴ κ͵ ῥίζα; *fons & radix*, ut loquitur Octoechi liber, sono 2. *ut qui principium sit ejus quæ in Filio & Spiritu sancto est divinitatis*, ὡς αἴτιος

τῆς ἐν υἱῷ καὶ ἁγίῳ σου πνεύματι συμφυοῦς θεότητος. Quamobrem Patrem Basilius vocat τὴν προκαταρκτικὴν αἰτίαν, *principalem causam*; & Eunomium arguens lib. contra ipsum 2. quod Spiritus causam & originem attribueret Unigenito, negaret Patri, ostendit vel ideo maxime deferendam Patri, quod Unigeniti esset. *Si enim*, inquit, *ab uno dependere ac prodire omnia existimat; quod a Filio factum esse dicitur, ad primam refertur causam. Quare etsi cuncta producta esse per Verbum Deum credimus, omnium tamen esse causam Deum universorum non negamus.* Præclare de Nicephoro, inquit *Nicolaus*, tuis hisce interpretationibus meritus es, & Synaxarii dictum vindicasti penitus ab errore. At dictum illud haud scio an Nicephori sit: suspicio est, per fraudem esse injectum; quibusdam enim in codicibus non extat. Jam perge. Hic se absolvisse significavit Romanus, ac cœpit eos urgere qui aderant, ut si quid esset difficultatis super, afferrent in medium. Cumque significassent omnes sibi factum satis, & multis illum laudibus commendarent, agerentque gratias, ipse tenuitatem suam professus, & excusans, Id, inquit, quod minime sum meritus, audire pergrave est, etsi acceptissimam habeo benevolentiam vestram. Hoc unum velim ex auditis vos colligere, eos qui Spiritus sancti ab Patre Filioque processionem negant, non esse omnino Græcos. Quî enim Græcus esse possit, qui ecclesiæ Græcæ divinum illud dogma, toties, tam variis modis, & sanctorum Patrum tot ac tantorum ore affirmanti, obstinatius refragetur, nulla de causa? Nobis, inquit *Ignatius*, nobis, credite colendissimi patres, qui adversantur, Græci non sunt; & ut verbis Joannis 1. epist. c. 2. v. 19. utcunque utar, ex Græcis prodierunt, sed non erant ex Græcis: nam si fuissent ex Græcis, permansissent utique cum iis. Ego pace vestra dixerim, Nestoriani sunt, Photiani sunt, Marcistæ sunt. Deus bone! ait *Nicolaus*; quibus eos nominibus appellas? Sic eos appello, reposuit ille, quia desertis ecclesiæ Græcæ Patribus, Nestorium, Photium & Marcum sequuntur autores. Postularunt qui aderant, id ne gravaretur pluribus explanare. Sed cum protractus jam esset sermo in multam noctem, essetque quod rogabatur, prolixioris operæ; petiit rem differri in diem crastinum. Quod cum accidisset pergra-

tum omnibus, in suam se quisque ædiculam quietis gratia recepit.



DIALOGUS IV.

De additione facta symbolo, & historia schismatis.

POSTRIDIE peracto divino, ut moris est, officio, convenerunt Franci hospites cum religiosis cœnobii viris in consuetum locum, & post exhibitam redditamque ex lege urbanitatis mutuam salutem, exorsus est Methodius dicere. Tuum est, inquit, Ignati, promissa præstare, & controversia illa de Spiritu sancto, unde fluxerit, quave tenus sit progressa, exponere. Verum antequam seriem rei omnem enarres, velim abs te dubium nobis evelli quod ex dissertatione hesterna reliquum est. Nam, ut vera sit Francorum de Spiritus sancti processione doctrina, quam profecto insimulare falsi argumenta & testimonia heri ab Romano prolata minime patiuntur; peccasse tamen videntur gravissime, qui vocem hanc, *Filioque*, Patrum symbolo autoritate sua, inconsultisque fratribus inseruerint, & absolutissimum illud fidei nostræ compendium judicaverint emendandum. Atque id contra quam ab synodis sanctissimis sancitum est non semel, ac maxime ab Ephesina illa percelebri, in hæc verba: *Definivit sancta synodus fidem alteram nemini licere proferre, præter eam quæ definita est a sanctis Patribus Nicææ congregatis cum Spiritu sancto. Qui autem ausi fuerint vel componere fidem aliam, vel proponere, vel offerre, ad agnitionem veritatis converti volentibus, sive ex gentilitate, sive ex Judaismo, sive ex qualicumque hæresi, hos quidem, si sunt episcopi & clerici, alienos esse, episcopos ab episcopatu, & clericos a clericatu decrevit; si vero laici fuerint, anathemate subjici.* Cum verum sit, inquit *Ignatius*, Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, nefasne duxeris, quod verum est, palam dicere & profiteri in symbolo? Profiteri licet, reposuit *Methodius*: at non licet symbolo addere, cum sit id ab synodo œcumenica vetitum. Quid enimvero illa præscribit, ait *Ignatius*, non componi aut offer-

ri *aliam fidem* præter eam quæ definita eſt ab ſanctiſſimis Nicææ Patribus? An offerimus fidem alteram? Offertis ſaltem, ait *Methodius*, ſymbolum aliud, ac fides illa nova, quam vetat ſynodus componi, aliud nihil eſt quam novum ſymbolum. Graviſſimo igitur, repoſuit *Ignatius*, in errore verſantur Græci, & nobis peccandi viam exemplo ſuo ſtraverunt. Nam ſynodus II. Conſtantinopoli adverſus Macedonium collecta, fidem alteram, ſi fidei nomine ſymbolum intelligis, præter eam quæ definita eſt ab ſanctis Patribus Nicææ congregatis, edidit, conſcripſit, ac protulit. Teſtatur enim Synaxarion veſtrum Nicænos CCCXVIII. Patres eo uſque dumtaxat ſymbolum produxiſſe, *Et in Spiritum ſanctum*; fuiſſe vero alia in ſecundo concilio adjuncta. De quo memorandum eſt Gregorii Nazianzeni teſtimonium ad Cledonium. Ἡμεῖς, ſcribit, τῆς κατὰ Νίκαιαν πίστεως τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐκεῖσε συνελθόντων ἐπὶ καθαιρέσει τῆς Ἀρειανικῆς αἱρέσεως, οὐδὲν οὔτε προετιμήσαμεν ποτὲ, οὔτε προτιμᾶν δυνάμεθα, ἀλλ' ἐκείνης ἐσμὲν τῆς πίστεως σὺν Θεῷ καὶ ἐσόμεθα, προσδιαρθροῦντες τὸ ἐλλιπῶς εἰρημένον περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Nicænæ nos fidei quæ ſanctorum Patrum ibi pro extirpanda hæreſi Ariana congregatorum fuit, nihil præpoſuimus unquam, nec præponere poſſumus; ſed hujus ſumus & erimus, Deo bene juvante, fidei, quod non erat de Spiritu dictum integrè, integrum facientes.* In aliis quoque ſynodis propoſita ſunt ſymbola alia, quibus erumpens hæreſis cohiberetur, quidque eſſet contra ſentiendum, grex Chriſti intelligeret. Et noſtris hiſce temporibus quoties Epiſcopum Græci conſecrant, cum ille recitat ſymbolum, quanta addit de Deo uno & trino, & Filio incarnato? Tanta certe, ut tumultuatum propterea Conſtantinopoli olim fuerit Joanne Cantacuzeno & Joanne Palæologo imperatoribus. Habitum eſt concilium a Calixto Patriarcha magna epiſcoporum & principum frequentia adverſus Barlaamum & Acyndinum: quo adducti turbarum autores criminati ſunt factam huic, quod Epiſcopi legere jubentur, ſymbolo additionem. Accipe quid reſponderit ſynodus: Ἐπὶ τούτοις ἡ θεία σύνοδος, πρὸς ἣν φατ-δυσχεραίνειν, φησὶ, προσθήκην, ἥτις οὐδὲ προσθήκη ἂν καλοῖτο δικαίως, ὡς ἀνάπτυξις οὖσα τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς ἕκτης συνόδου, οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν ἡ ἀποκήρυξις Βαρλαὰμ τε καὶ Ἀκινδύνου, ἣν οἱ

μεμφόμενοι δῆλοι πάντως τοῖς γε ὁποσοῦν συνιεῖσιν τῶν τοῦ Βαρλαὰμ καὶ Ἀκινδύνου ἀντιποιούμενοι. *Ad illam quam asseritis ferre vos æquo animo non posse additionem, sic divina synodus de his pronuntiat, non esse, si recte & merito appelletur, additionem, sed sanctæ & œcumenicæ sextæ synodi explicationem, eamque aliud nihil esse quam Barlaami & Acindini abdicationem, quam qui arguunt, eos, etiam illi qui non sunt oculatissimi, manifesto vident à Barlaamo & Acindino stare.* Cui, inquit *Romanus*, non sit permirum tantum sibi Græcos assumere, ut licere sibi velint multa addere symbolo quibus explicetur; licere nobis nolint vel unam voculam; eos damnent, qui propter illa multa moliebantur, discessionem facere; se ab culpa liberent & absolvant, qui propter voculam unam plenissimam veritatis immane in Christi ecclesia schisma fovent ac propagant? Quod narras, subjecit *Methodius*, animadversione summa dignum est, eoque valde moveor, ut tecum sim: opponam tamen alia nonnulla. Symbolum illud episcoporum quod recitant consecrandi, non est commune symbolum, quale vestrum effecistis, adeoque illi verba quibus explicetur, licet adjungere. Utut sit, reposuit *Ignatius*; sed symbolum est, & aliud symbolum præter id quod ab Nicænis Patribus compositum est: synodus autem tertia in universum edicit, neque privati aut communis symboli discrimen notat. Charisius Philadelphiæ presbyter confectum a Nestorio symbolum veneno infectum, cui hæretici pœnitentes subscriberent, obtulerat. Quid egit synodus, ne egressi ab hæresi una se darent in aliam præcipites? Symbolum hoc depravatissimum, atque ab Nicæna fide alienum rejecit, vetuitque ne reciperetur aut ederetur deinceps hujuscemodi. Non vetuit vero, quin pro emergente temporum & hæreseon necessitate symbolum recitaretur aliquod, ut fere in aliis conciliis factitatum est, atque usuvenit etiam apud Græcos, uti dixi, quoties episcopo initiando manus imponunt. Porro quod negas commune esse symbolum, haud scio an satis defendere id valeas, cum illud palam in templis, solemni missæ tempore, clara altaque voce pronuntietur, quo ab omnibus audiatur, habeaturque commune totius populi testimonium, consecrandum antistitem recta de Deo & religione sentire. Licere autem professioni

fioni antiquæ & Nicænæ vocem addere aliquam declarationis gratia, qua exortus error comprimatur & vitetur, non ab Græcis modo quos appellavi, didicimus, sed etiam ab sanctissimo martyre Maximo, cujus verba ita describit Josephus Methonensis in sua pro Florentina synodo defensione. Πάντες οἱ μετὰ τὴν Νικαέων θεόκλητοι πατέρες, καὶ πᾶσα σύνοδος ὀρθοδόξων, καὶ ἁγίων ἀνδρῶν, οὐκ ἄλλον πίστεως ὅρον διὰ τῆς ἐπεισαγωγῆς τῶν οἰκείων ῥημάτων παντελῶς ἐπεισήγαγον, ὡς ὑμεῖς ἀποφαίνεσθε, πλεῖστον παραληροῦντες, καὶ τὸ ὅλον μαινόμενοι· ἀλλ' αὐτὸν, ὡς πρῶτον καὶ μόνον τὸν ἐκ τῶν τιή. πατέρων νομοθετηθέντα βεβαίως ἐκύρωσαν τρανοῦντες αὐτὸν καὶ οἷον ἐπεξηγούμενοί τε καὶ ἐπεξεργαζόμενοι, διὰ τοὺς ἐκεῖνον καὶ τὰ ἐκείνου δόγματα πρὸς τὴν οἰκείαν κακῶς ἐκλαμβάνοντας καὶ παρεξηγουμένους δυσσέβειαν. *Omnes post Nicænam synodum a Deo electi Patres, & omnis orthodoxorum sanctorumque virorum synodus, non aliam fidei definitionem induxerunt omnino, cum de verbis suis aliquid invexerunt, ut vos asseritis, delirantes maxime, ac penitus insanientes; sed eam quæ ab* CCCXVIII. *Patribus constituta est, ut primam & unicam habuerunt ratam ac firmam, exponentes eam, ac velut clarius explicantes, propter illos, qui ipsam ejusque dogmata ad suam perverse impietatem detorquent.* Fas fuerit id quidem, ait *Methodius*, antequam Ephesina synodus addi prohiberet; at postea, nefas. Ergo, reposuit *Ignatius*, nefas Constantinopolitanæ fuit Nicæno symbolo, quæ de Spiritu sancto exposuit, adjungere. Id enim tam prohibitum ab Sardicensi synodo, quæ Nicænæ appendix est, quam ab Ephesina, si Athanasium audimus. Ἠξίωσάν τινες, inquit, ὡς ἐνδεῶς ἐχούσης τῆς κατὰ Νίκαιαν συνόδου γράψαι περὶ πίστεως, καὶ ἐπεχείρησαν προπετῶς. ἡ δὲ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν Σαρδικῇ συναχθεῖσα, ἠγανάκτησε, καὶ ὥρισε μηδὲν ἔτι περὶ πίστεως γράφεσθαι, ἀλλ' ἀρκεῖσθαι τῇ ἐν Νικαίᾳ παρὰ τῶν πατέρων ὁμολογηθείσῃ πίστει, διὰ τὸ μηδὲν αὐτῇ ἐλλείπειν, ἀλλὰ πλήρη εὐλαβείας εἶναι. καὶ ὅτι μὴ δεῖν δευτέραν ἐκτίθεσθαι πίστιν, ἵνα μὴ ἡ ἐν Νικαίᾳ γραφεῖσα, ὡς ἀτελὴς οὖσα νομισθῇ, καὶ πρόφασις δοθῇ τοῖς ἐθέλουσι πολλὰ γράφειν καὶ ὁρίζειν περὶ πίστεως. *Æquum esse quidem judicarunt, quasi non sufficerent, quæ Nicæna synodus tradiderat, de fide scribere, idque temere sunt aggressi. At sancta, quæ Sardicæ coacta est, synodus graviter*

tulit, ſanxitque, ne quid de fide ultra ſcriberetur: ſatis eſſe fidem eam, quam erant Nicææ Patres profeſſi, cum nihil in ea deſit, ſed plena ſit pietatis: non eſſe ſcribendam fidem ſecundam, ne quæ Nicææ ſcripta eſt, veluti imperfecta cenſeatur, deturque occaſio multa ſcribere de fide ac definire volentibus. Nec ſatis habuit Conſtantinopolitana ſynodus voculam ſymbolo Nicæno inſerere; ſed multa detraxit, adjecit plura, ut jam ſymbolum unum exiſtimari cum Nicæno, Conſtantinopolitanum non poſſit. Et vero in conſecutis ſynodis utrumque quaſi quid diſtinctum recitatum eſt. At noſtrum nihil a Conſtantinopolitano differt. Neque enim acceſſio vocis unius, cujus vis in proxima Patris appellatione continetur, immutare illud dici poteſt. Dicatur tamen, ſi ita lubet, ſic ab Conſtantinopolitano differre, ut Conſtantinopolitanum a Nicæno. Cum potuerit ante Epheſinam ſynodum fidem in ſymbolo explanare Eccleſia, quam ob rem poſt Epheſinam nequeat? Cur non valeat quam tum legem idoneis de cauſſis condidit, eam poſtea neceſſariis de cauſſis commutare. Definierat in Epheſino concilio, eos, quos tum damnaverat, reſtitui in gradum non debere; definivit in Chalcedonenſi reſtituendum Theodoretum act. 8. & reſtituit. Unde eſt ut non valeat ſimiliter manente eadem fidei ſententia verbis quibuſdam locupletare & illuſtrare ſymbolum? Ut poſſit, inquit *Methodius*, hujuſcemodi aliquid in ſymbolo tolerari, non debuit tamen privata autoritate fieri; ſed Græcis Latiniſque in unum coactis, quærendum de re fuit, & communi calculo ſtatuendum. Commune enim hoc ſymbolum eſt. Prius, inquit *Ignatius*, quam reſpondeo, unum te rogo. Quid cauſſæ eſt quod ante Photium cum caneretur auctum vocula, *Filioque*, ſymbolum, Græcorum nemini ſubiit in mentem, ſeſe propterea ab Latinis abſcindere? Non quia neſcirent id fieri, quorum ſcilicet in partibus tot commorabantur Latini, quique apud Latinos tanto ipſi numero degerent? Hoc tum videbatur minime malum, quia æquis amantium oculis inſpiciebatur: viſum eſt poſtea, cum invaluerunt odia, non ferendum; quia pleni ſunt iniquitatis odientium oculi. Nunc verò tibi ut faciam ſatis, mitto ſummi Pontificis & conciliorum oſtentare dignitatem, decretaque effer-

re. Hoc unum aio. Si privata quadam autoritate Latini Ecclesiam omnem jussissent voculam illam veri explanatoriam in symbolum immittere, esset forte Græcis expostulandi caussa nonnulla. Verum cum ab ipsis imperiose nemo exigat, ut illam adjiciant; quid queruntur? Canant in templis pro veteri & patrio more, *Qui a Patre procedit*; sed credant ex vetere Apostolorum ac Patrum doctrina, Spiritum divinum a Patre Filioque procedere. Licere sibi putant in episcoporum consecratione proponere symbolum verbis pluribus fusissime expositum; liceat nobis illud dicere vocula una adjecta paullo explicatius. Fidem catholicam non immutat hæc vocula, illam demonstrat; voculam hanc non ab Latinis modo Patribus, sed etiam a Græcis accepimus; non poterat commodiore ac nobiliore loco reponi; & prout tum ferebant tempora, tempore magis necessario. Nam factum illud est, cum Ariana repullulante vesania, ut scribebat Ratramnus Corbeiensis monachus Photii ætate, Spiritum sanctum esse etiam Filium, ex eo conarentur efficere, quod a Patre, ut ipse Filius, procedere diceretur. Hanc enim blasphemam vocem ut excluderent ab Ecclesia, magistri in symbolo scripserunt Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere. Quo tempore id symbolo intextum sit, in dubio est. Constat hoc longe ante Ratramni & Photii tempora admissum. Sic enim recitabatur in Galliis imperatore Carolo magno, & Leone III. summo pontifice, ut refert Ado in Chronico. Usurpatum paullo post secundam œcumenicam synodum tradunt Manuel Calecas & Josephus Methonensis episcopus, & ad symbolum fuisse a Damaso papa adjectum contra hæreticos alios, qui non fratrem Filii Spiritum sanctum, uti superiores, sed filium Filii & nepotem Patris esse garriebant. Testimonio utuntur, Calecas quidem cujusdam historici quem Σκυλίτζην nominat: Josephus vero Georgii Arestini. Additum in concilio I. Toletano legimus anno Christi CCCCXLVII. apud Baronium cardinalem contra Priscillianistas, qui Patris & Filii & Spiritus sancti personam esse unam statuebant. Non esse eandem Patris & Filii, satis patebat ex symbolo: aliam quoque esse Spiritus sancti, aliam Patris, hinc constabat, quod a Patre diceretur procedere.

Supererat, ne Filius cum Spiritu ſancto in unam confunderetur perſonam, ut ab ipſo etiam procedere Spiritus ſanctus pronuntiaretur. Idque factum Leonis magni aſſenſu: certe acceptum ab ea illius epiſtola XCIII. qua ad refellendum Priſcillianiſtarum errorem ſynodo exponit Spiritus ſancti ab Patre & Filio proceſſionem. Quod cum viſum eſſet variis poſtea in Occidente Eccleſiis ad ſervandam fidei integritatem peropportunum, ab una in aliam, & in omnes denique tranſmiſſum eſt. S. Maximus Homologeta in ſuis ad Marinum preſbyterum Cypri litteris hanc additionem refert ante ſynodum VI. fuiſſe in uſu, & ab S. Martino papa in ſynodicis perſcriptam. Verum, ut vobiſcum agam non liberaliter modo, ſed prodigè, ponamus initio quidem ab quibuſdam Eccleſiis privatis, non ex neceſſitate ulla gravi, ſed ex ſolo veritatis amore adſcriptam fuiſſe ſymbolo voculam illam, *Filioque*, toties laudatam. Peccarint illæ in facto: non eſt enim Eccleſiæ cujuſlibet quidlibet moliri, etiamſi appareat bonum & commendandum. Unde merito reprehendit illas Leo III. pontifex maximus. Sed poſtquam conſuetudo hæc recitandi ſymboli ad plures propagata eſt, neceſſitas id admittere compulit, ne ſi prohiberetur, periclitaretur ipſa veritas. Nam ſi quoſdam apud vos reperire eſt, qui quoniam non ſcriptum eſt, *ex Filio*, negant ex eo procedere ſpiritum divinum, aut potius Spiritum Deum; quid fuiſſent dicturi, ſi vocem illam ſciviſſent ab Eccleſia deletam? Quamobrem cogente neceſſitate vel inſerta eſt, vel relicta. Age nunc, inquit *Methodius:* nobis enarra controverſiæ totius hiſtoriam, unde nata, quî graſſata, quo denique pertinebit; non enim quod ultra de dogmate opponam, mihi occurrit. Faciam, repoſuit *Ignatius*, quod jubes, conaborque, juvante Deo, nihil, niſi Græcis teſtibus, memorare. Græcorum nemo jam inde ab Chriſti Domini temporibus Spiritus ſancti ab Patre & Filio proceſſionem vocavit in dubium, ad eam uſque ætatem, qua prodiit nefandus Neſtorius, & fidem corrupit. Immo affirmarunt illam omnes, & comprobarunt luculentiſſimis rationibus, ut conſtat ex iis quæ ſuperiore loco attulimus Athanaſii, Baſilii, Gregorii utriuſque, Nyſſeni & Nazianzeni, Cyrilli, Chryſoſtomi, atque Epiphanii teſtimoniis. Primus litem de

illa movit, qui ſtabat ab Neſtorii partibus, Theodoretus, Cyrilli magis odio, quam ſtudio religionis. Negavitque cum Neſtorio in ejus gratiam, ut ex actis Epheſinæ ſynodi accepimus, ex Filio vel per Filium Spiritum ſanctum exiſtere. Scripſerat Cyrillus atque explanaverat capitibus duodecim orthodoxam fidem, tandemque anathematiſmis fœdiſſimos Neſtorii errores perculerat. Succenſuit illi Theodoretus, editoque libello in Cyrillum irrupit, & in confutatione anathematiſmi noni, in quo definierat S. Cyrillus Spiritum ſanctum eſſe Filii, quod, excepta paternitate ſola, quæ Patris ſunt, ea ad Filium quoque pertineant, pronuntiavit ipſe blaſphemam hanc & impiam eſſe ſententiam, ſi ea ſignificaret Spiritum ſanctum ex Filio eſſe vel per Filium; ſecus, ſi ejuſdem communionem ſubſtantiæ in Filio & Spiritu ſancto indicaret. Verum Cyrilli anathematiſmos & capita XII. ſuſcepit Eccleſia, & in IV. V. VI. & VII. ſynodis probavit. Theodoreti autem librum repulit, & gravi anathemate eos omnes, qui illum admitterent, damnavit. Trecentis & amplius poſtea annis ad tempora Conſtantini Copronymi imperatoris, nuſquam iſta Spiritus ſancti ab Patre Filioque proceſſio vocata eſt ab ullo in controverſiam. Tum vero occaſione forte quorumdam S. Joannis Damaſceni dictorum, quibus emiſſionem Spiritus ſancti ſubobſcure explicat, ut mox a nobis audiebatis; aut potius occaſione adjunctæ ſymbolo voculæ, quod quibuſdam factum non placuit: quæſtio illa mota eſt anno Chriſti DCCLXVII in Gallia, ut memorant Ado & Adelmus in Chronicis. Sed facile definita eſt. Etſi enim Græci Patres aperte Spiritum ſanctum a Patre Filioque profundi docent, apertius tamen Latini. Et diſſertiſſime concilium Toletanum primum, cum conſequentibus aliis, jam dudum in aſſertione fidei ſic edixerat: *Credimus Spiritum quoque eſſe paracletum, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed a Patre Filioque procedens.* Ita ſentiebant, ita loquebantur Græci & Latini, dum prodiit Photius ſpado, & deturbato per vim & nefas S. Ignatio Conſtantinopolitanam invaſit ſedem, ſeque ejus loco patriarcham intruſit. Eum enim cum ab fidelium communione & patriarchali gradu ob immenſa ſcelera amoviſſent tum ſummi pon-

tifices Romani Nicolaus & Hadrianus, tum maxime Græci ipsi antistites in œcumenicam synodum ab Hadriano papa & Basilio imperatore congregati Constantinopolim, qui in ipsum etiam intincto in Christi sanguinem calamo damnationis sententiam scripserunt: ille vehementi percitus iracundia cœpit quærere, quî posset acceptam injuriam ulcisci, & Romanam apostolicam Ecclesiam in odium vocare. Ei varia objecit, eaque futilia & absque caussa, atque inter cætera Romanos arguit, quod Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere affirmarent. Cum vero multos haberet partium suarum, quos scilicet largitione munerum & ecclesiasticorum graduum collatione depravaverat, illos omnes commovit in pontificem & Romanos, eorumque opera viam schismati & errori aperuit. Obiit denique vir, ut mitissime dicam, de Christi Ecclesia pessime meritus, exilio ab imperatore mulctatus, anathemate percussus ab synodo catholica. Videbatur cum ipso hæc extincta opinio. Certe vix ullæ propter eam audiebantur in Oriente, turbæ dum post annos circiter CL. emersit Constantino regnante Michael Cerularius Constantinopolitanus patriarcha, & Latinam Ecclesiam pleno nugarum & inanitatis scripto vexavit, adjutore Niceta Studiensi monacho. Sed valide ab Leone papa IX. repressus uterque est. Nam & dicta retractare compulsus est Nicetas, & pertinacior Michael publice damnatus. Antiochenam sedem tum temporis obtinebat Petrus, vir fama meritoque celeberrimus. Hunc per litteras Cerularius ut secum in belli contra Latines suscepti societatem vocaret, nihil non movit, nihil non scripsit, aut exprobravit. Flagitii teterrimi loco Romanæ Ecclesiæ vertit, quod jejunii quadragesimalis tempore *Alleluia* non canat, quod ejus sacerdotes sibi barbam attondeant, quod salis aliquid in baptizandi os immittant, quod episcopi ferant digito annulum. Quid plura? nihil Deum, nihil homines veritus, ab Latinis Basilium & Chrysostomum contemni mentitur. At Petrus Cerularium consilio meliore litteris suis ab schismate inducendo deterrere summopere contendit. Ostendebat Latinos Græcis esse fratres, nihil occurrere, quo periculum sit vel majestatem lædi divinam, vel fidem labefactari: minime probare se additam ab Latinis sym-

bolo voculam, unde multorum consecuta est offensio; sed neque probare se Græcorum Constantinopolitanorum factum, qui papæ commemorationem in missa omiserint, cum ante annos XLV. teste se, ejus nomen perhonorifice efferrent: frustra illum tentare Romanorum gentem adeo nobilem & diffusam, a propriis dimovere consuetudinibus, qui nec in Studiensi monasterio revocare diaconos sibi subditos ab gerendis cingulis non potuerit; ex quo existere turbæ istæ in Ecclesia cœperunt, exundasse in orbem calamitates omne genus, easque in dies singulos passim augeri: advolvere se ejus pedibus supplicem, & obtestari, de vehementiore studio remittat, & ad pacem fratrumque amorem potius inclinet. Nihil effecit æquissimis illis postulatis Antiochenus, nec frangere Cerularii contumaciam potuit. Damnato Michaele Cerulario spes erat firmioris concordiæ; sed qui superseminat in agro dominico zizania, pacem non destitit, quacumque data occasione, incidere. Auxerunt valide iniquissimum schisma ortæ Francos inter Græcosque principes contentiones bellicæ. Ac Græcorum quidem, pudeat dicere, sic exarsere odia, ut Latini cum ad sacra loca ex Sarracenorum manibus recuperanda convolarunt, nullos experti fuerint acerbiores hostes. Constat Manuelem Comnenum, ne quid de Alexio referam, cum fidei nostræ infensissimis adversariis in Latinorum exitium conjurasse. Notum est Andronicum Manuelis patruelem Latinos omnes Constantinopoli immanitate incredibili trucidari jussisse: cujus flagitii pœnam & vivus tulit. Nam ab plebe per summam ignominiam camelo per urbis compita circumductus, confosso oculo & abscissa manu tandem discerptus est. Latini injurias tam atroces ulturi bellum ingens adversus Græcos habuerunt, Constantinopolim expugnant, sibique vindicant imperium. Cum tam inflammata arderent odia, nullus esse concordiæ locus poterat, & cum maxime, ut plurimum, soleant victi odisse victores, volebant e Græcis non pauci vel ipsam Latinorum religionem odisse, & negare esse suam. Verum Latinorum, cum ipsis regnarent, moderationem experti, nullam esse dissentiendi in fide caussam pacatis oculis viderunt, & in Lateranensi IV. synodo sub Innocentio papa

III. cum Romana Ecclesia pacem inierunt; quam tantum abest, ut infringeret recuperata Constantinopoli Michael Palæologus, ut operam omnem ipsi firmandæ adhibuerit. Obstitit illi vehementer Josephus patriarcha, &, qui tum florebat vir in primis doctus & eloquens Joannes Beccus seu Veccus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ chartophylax. Parum imperatori videbatur habere sibi consentientes antistites, nisi secum & ipse Beccus esset. Hunc, cum sibi adjungere ratione nulla potuisset, detrusit in carcerem. Nec ea re illum inflexit, donec libros Nicephori Blemmydis ad eum misit. Erat apud Græcos magni nominis hic Blemmydes monachus omni genere doctrinæ & virtutum excultissimus. Is est qui Marcesinam Ducæ imperatoris concubinam monasterii sui & templi aditu prohibuit, ejusque in os portas occlusit, ne quæ Spiritus sancti templum corpus suum polluerat, cœnobium quoque & ædes sacras præsentia sua commacularet. Quod cum ipsa ægerrime ferret, deque injuria apud imperatorem maxime conquereretur & vindictam peteret, negavit ille id facere se posse, aut cum tantæ probitatis viro habere contentionem. Eximius ille vir quo circiter tempore Constantinopolitani Græci cum Latinis in Lateranensi concilio instaurarunt concordiam, doluit illam repudiari ab multis, qui imperatoris Theodori Lascaris Nicææ in Bithynia sedem habentis, partes sequebantur: duosque libros de Spiritu sancto ad imperatorem scripsit, quibus demonstrat Spiritum sanctum dici a sanctis Patribus e Filio & per Filium extare. Hos tanti viri libros Michael imperator, ut mox narrabam, Becco chartophylaci misit. Obstupuit ille, visis tot tamque insignibus Patrum testimoniis, & libros ipsos sanctorum Patrum petiit, ut probaret num illa Blemmydes summa fide descripsisset; spoponditque si ea vere apud sanctos Patres extarent, nihil moræ futurum, quin Romanæ se Ecclesiæ totis animis adjungeret. Rem accuratissime perscrutatus, comperit convenire vere ac perfecte singula. Errorem confessus est suum, & quam vehementer veritati obluctabatur antea, tam valide postea ejus sibi defensionem sumpsit; & librum grandem Blemmydis exemplo e Patrum ac scripturæ testimoniis concinnavit, quo Spiritum sanctum

ſanctum demonſtrabat à Patre Filioque procedere. Movit illum in primis Photii procacitas & perfricta frons, ut refert Georg. Pachymer. hiſt. lib. 7. c. 9. cum legeret Photium quidem fateri Romanos Patres Ambroſium, Auguſtinum & Hieronymum docuiſſe verbis apertiſſimis Spiritum ſanctum ab Patre Filioque procedere, ſed negare audiendos illos, quod Romani eſſent, non Græci. Quæ putida & fatua exceptio ſapientiſſimum virum offendit, quaſi id ipſum eſſet errare in fide, quod eſſe Romanum. Et Hieronymum quidem noverat ab S. Damaſo edoctum & S. Baſilii coætaneum: Auguſtinum vero Hypponenſem in VI. ſynodo inter eccleſiæ magiſtros habitum: Ambroſium denique in eccleſia Græca coli, ut ſanctitate & doctrina maximum. Ubi Græci in concordiam conſpirarunt, ad Gregorium X. pontificem maximum viros principes, illius inſtaurandæ gratia, cum exquiſitiſſimis muneribus allegarunt, Germanum Marcuzam, qui patriarcha ante Conſtantinopoli fuerat, Theophanem metropolitam Nicænum, & ex aulicis Georgium magnum logothetam Acropolitam, protoveſtiarium Panaretum, & magnum interpretem Berœotam. Pervenerunt Lugdunum in Franciam, ubi tum habebatur ſacra ſynodus, litteras antiſtitum Græcorum & imperatoris tradiderunt, ac in ipſo patrum cœtu Spiritum ſanctum e Patre Filioque procedere, & pontificem Romanum D. Petri ſucceſſorem toti præeſſe eccleſiæ ſunt profeſſi. Singulare fuit eccleſiæ gaudium, & laudarunt patres eximiam præſulum Græcorum & imperatoris fidem. Confecta pace Joſephus patriarcha cum nollet contumaciam ponere, depoſitus eſt, & in ejus locum ſuffectus Beccus. At novem poſt annis Michaële imperatore vita functo, filius ejus Andronicus reſcidit pacem, peſſumque dedit omnia. Dejectum patriarcham ſedi reſtituit, & Catholicos dire & atrociter vexavit. Conjectus in vincula Beccus cum ſuis, in quibus eminent Georgius Metochita & Conſtantinus Meliteniota chartophylax. Beccus annos XIV, Meliteniota XXIV, Metochita XLV. exegerunt in carcere, immania paſſi omnia, ac tandem ſiti, fame, morbis & vexationibus obtriti, fidem orthodoxam conſtantiſſime profeſſi, mortem obierunt. In deſertis prophaniſque locis ſanctiſſimorum hominum abje-

ctum est corpus, dum animus ad cælum incontaminatis æternisque donandus honoribus evolavit. De Georgio Metochita insigne est, quod ex Plethone Demetrius Raules Cabaces ad filium Manuelem scribit. Cum senuisset, & quasi contabuisset in carcere, viri tanti miseratione provocatus imperator ex principum consilio, in quibus erat Georgii hujus nostri filius Theodorus, jubet eum ad se educi, ratus animum calamitatibus fractum facile, quo vellet, inflectendum. Georgium suavissime admissum, & agnitione filii (quem præ diuturnitate absentiæ jam amplius non noverat) recreatum, sic imperator affatus est: Sentis, magne logotheta, in quantum tibi res præteritæ exitium evaserunt. Visum est e re cum publica, tum tua, præclare te facturum, si in eandem nobiscum circa ecclesiæ dissidia sententiam venias. Id mecum filius hic tuus expetit; & nobis si morem gesseris, vulnera tua omnia quæ sunt necessitate temporis inflicta, persanabimus. Tum Georgius ad imperatorem conversus, *Dicta*, inquit, *percepi, sanctissime domine; sed longe æquius est, ut domini mei parentis tui amplectaris sententiam, & filius meus D. Theodorus meam, quam ego vestram.* Et nihil ultra locutus tacuit. Fuit omnibus admirationi viri invicta constantia; quem tamen imperator retrusit in carcerem, ubi vitam omnem reliquam finiit. Verum qui schisma in Christi regnum invexit infelicissimus Andronicus, discindi suum vidit, rebellante quem imperii hæredem instituerat, nepote suo, ab quo post captam Constantinopolim abdicare imperium compulsus est. Hinc cœperunt Græcorum res in deterius ruere. Et dum divelli ecclesiam principes patiuntur, mutuis inter sese dilacerantur odiis, & infensissimi christianæ religionis hostes maximam imperii partem armis distrahunt, sibique invadunt. Pœnam peccato similem infligente Deo, eamque acerbissimam, ut dilectam Græcorum gentem ad ecclesiæ pacem revocaret, qua abrupta tot in illam incommoda ac damna profluxerunt. Sensit hoc Joannes Palæologus imperator, & qui ecclesiæ Constantinopolitanæ præerat Josephus patriarcha, & communibus studiis reparandæ concordiæ operam dederunt. OEcumenicam haberi synodum ab Eugenio papa IV. efflagitant. Is non modo votis annuit, sed etiam Græcis

deligendi loci poteſtatem facit, & pecuniarum ſuſcipit in ſeſe expenſas omnes. Deligitur ab Græcis Ferraria: eo maxima multitudine appellunt; excipiuntur ut fratres ſingulari ubique munificentia, & amore incredibili. Habita eſt ſynodus annis M CCCC XXXVIII. & XXXIX. Adfuerunt Græcorum imperator & CP. patriarcha per ſe ſe, patriarchæ cæteri per legatos. Quidquid erat in Græcia doctiſſimorum & ſanctiſſimorum antiſtitum huc convenit. Interfuit quoque per ſe pontifex maximus. Summo otio, ac majori libertate, quod erat in controverſia, diſcuſſum eſt. Græcis ut faverent ſupra modum Latini, rem omnem ex SS. Patrum Græcorum teſtimoniis dijudicari voluerunt. Tandem Florentiæ, quo ſynodus, ob ſævientem Ferrariæ peſtem, tranſierat, in unam omnes ſententiam convenerunt, & pax auctore Spiritu ſancto compoſita eſt, cui unus in omnibus Marcus Epheſiorum epiſcopus noluit aſſentiri: Patres reliqui omnes ſubſcripſere. Marcus in patriam redux vires totas impendit reſcindendæ concordiæ, multoſque a fide & obedientia avertit. Deus bone, quantum patriæ ſuæ nocuit! Qui enim pacem eccleſiæ noluerunt admittere, illi peccato ſuo bellum accerſiverunt in patriam, quo funditus Chriſtianorum in Oriente deletum eſt imperium. Atque hoc Conſtantino imperatori Nicolaus papa vaticinatus fuerat, cum futurum ſcriberet, ut Deus ſchiſmaticorum pervicaciam ferret nonnihil, quo eos patientia ſua ad obedientiam vocaret, quemadmodum agri dominus in evangelio ficum paſſus eſt annos tres; & ſicut ſuccidi illam tribus elapſis annis, quod nihil fructus faceret, juſſit; ſic fore, ut tribus ab hac admonitione elapſis annis, imperium Deus everteret, ſi ejus ſubditi animos obſtinare contumaciter pergerent, neque vellent pacis & obſequii fructum edere. Ut prædixit, ſic evenit. Obſederunt Turcæ Conſtantinopolim, & quod nemo ſatis miretur, viam ſibi ope & proditione Chriſtianorum aperuerunt, muros everterunt, fecerunt impreſſionem; & quæ ſcelerum tum facies non admiſſa! exclamat e veſtris orthodoxus doctiſſimuſque Allatius, Non dignitatis, inquit exercit. XVII. in Creyghthonum, non ſexus, non ætatis habita ratio. Stupra cædibus, cædes ſtupris additæ. Ex nobilitate plurimos ferreis manicis

& compedibus alligatos, & funibus vinctos extra urbem deducunt plebeii: mares & fœminæ virtute & conditione præclari, miserum in modum multis injuriis affliguntur: heroinæ ut meretriculæ in lupanari prostitutæ, itáque tractatæ, ut nec bruta animalia, quæ sine rubore fari minime quis valeat: pueri puellæque a parentibus disclusæ divenditæ: infantes coram genitoribus velut agniculi mactati: principes & domini bubulionum porcariorum homuncionumque mancipia facti: intra decennium pueri ad ritus perfidæ sectæ compulsi: omnes passim arma ferentes contrucidati: matronæ ac virgines, in quibus aliquæ libidinum illecebræ apparebant, ad fœdissima commercia reservatæ: omnes captæ urbis anguli, aut Christianorum sanguine funesti, aut turpissimarum voluptatum detestabiles objectis. Et quotquot naturæ reverentia ab obsequio tantorum scelerum abhorrere videbantur, mox pro cujusque arbitrio, quibus permissu Mahometi toto triduo nihil in ea civitate illicitum erat, suppliciis afficiebantur. Jugulabant alios, alios verubus affixos torrebant, quibusdam detracta cute, exuviis de humero suspensis, fame atque inedia consumebant: nonnullorum vulnera saliebantur, ut diutissime cruciatibus torquerentur. In summa, quisque contra alterum aliis atque aliis tormentorum generibus excogitatis contendebat. Et sic crudelibus omnia suppliciis impleverant, ut tota urbs non sedes imperii, sed unum quasi Christianorum carnarium videretur. Et ut paullatim numerus captivorum, qui maximus erat, minueretur, nunquam a mensa discedebat Mahometus, quin sanguine & vino ebrius nobilium aliquot virorum suppliciis æstuantem furore animum explevisset: quod tandiu ut fieret præcepit, donec aliquis ex nobilium captivorum numero superesset. Ex civium uxoribus & liberis delectu habito formosas virgines pulcrosque pueros sibi sepositos archieunuchi curæ ac diligentiæ custodiendos mandavit. Tum demum urbis incolæ in castrorum tentoriis conspecti sunt. Cum rediret classis in suas provincias, tanto onere gravata erat, ut parum abfuerit, quin aquis hauriretur. Erant vero onusta navigia vestibus pretiosis, vasis aureis, argenteis, æneis, stanneis, libris etiam infinitis, captivis quoque tam sacerdotalis, quam laici ordinis,

monialibus ac monachis. Nec minor erat præda in castrorum tentoriis, in quibus cernere erat, hunc sacco pontificali indutum, illum collari aureo præcinctum, eoque canes alligatos ducentem: equos jumentaque centonum & stragulorum vice, stratis auro intextis substernere. Inter epulandum in discis sacris appositis, fructibus vesci variis quidam conspiciebantur, & merum sacris calicibus haurire. Libros quoscunque innumeris curribus impositos per Orientem & Occidentem disperserunt. Uno nummo volumina decem Aristotelis & Platonis, theologica, cæterarumque scientiarum & artium vænierunt. Vin plura? Templa fandis infandisque sceleribus dedecorata sunt, & sordibus omnis generis repleta. Sacrosancta altaria numini, ejusque sanctis consecrata conculcata, suffossa: martyrum reliquiæ & ossa canibus suibusque projecta: libri evangelici & sacri lacerati, deturpati, flammis absumpti: vestes sacerdotales reliquaque ecclesiæ ornamenta ad indumenta sua & ornatus diducta vel vili pretio divendita: vasa sacro Dei cultui dicata ad nefarios & spurcissimos usus translata: imagines Christi, Virginis & aliorum sanctorum cœno aliaque illuvie infuscatæ, conspurcatæ, destructæ. Et, quod vel auditu est horrendum, sacrosanctum sanguinem & corpus Christi in terram effusum & projectum. Intra S. Sophiæ adyta & super sacras mensas edebant & potabant, & incestas libidines suas cum virginibus & pueris explebant. Aiunt ipsum Mahometum apud summam aram propalam, videntibus omnibus, nobilissimam virginem & fratrem ejus adolescentem regalis sanguinis constuprasse, necarique deinde jussisse. Christi crucifixi imaginem, addito in fronte titulo, *Hic est Christianorum Deus*, militum suorum conviciis objecerunt, & per præconem præeunte tympano exercitui conspiciendam, omnique contumeliarum genere afficiendam propinarunt. Constantinus imperator cæsus est, & universa illius stirps ferro fere deleta. Narrant ejus uxorem, filias & alias nobiles fæminas, jussu Mahometi inter epulas & convivia post contumelias & tantæ majestatis deformationem dissectas. Ferunt alii hunc imperatorem, postquam sacra mysteria liberis suis & imperatrici, & multis consanguineis & propinquis impertivisset, hos

omnes obtruncari jussisse, ne in hostium potestatem vivi inciderent. Cæsi ipsius caput abscissum, clavis affixum in Augustii columna ad vesperam usque spectaculo fuit, tum ludibrii caussa pilo affixum, & in castris circumlatum. Pellis detracta, paleaque referta per Persarum Arabumque principum aliorumque Turcarum ditiones, ut victoriæ symbolum exportata. Tanti fuit ecclesiæ pacem respuisse! Sic Græcorum imperio finis accidit, & coacti sunt servitutem Turcis servire. Hanc porro deplorandam eversionem circa Pentecostes festa Spiritui sancto devota evenisse commemorant, quo intelligerent omnes factum id in illorum pœnam qui illius ex Patre Filioque processionem negabant. Noli vero, hæc cum audis recitare me, Græcorum ecclesiam existimare deletam. Ut enim de plebe nihil dicam, multi e patriarchis & episcopis mites & humiles corde exemplo Christi boni pastoris, & e clero quotquot doctrina & virtute præcelluerunt, adhæserunt ad hodiernam usque diem Petræ illi, cui fides & christiana veritas innixa est, tamque arcte affixa, ut portæ inferi non sint adversus eam prævalituræ. Execrantur schismatis auctores & erroris. Quod ore pronuntiant in templis, dum orant pro conjunctione ecclesiarum & pace, id toto corde & votis omnibus a Deo postulant. Nolunt in gratiam spadonis Photii, Michaëlis Cerularii, Marci Ephesini & nonnullorum non absimilium, gratia divina excidere, sempiternaque se in supplicia immittere. Sciunt ecclesiam unam esse, unam esse apud Græcos & Latinos fidem; solis ritibus hos & illos discrepare. Et hi ritus eximii sunt in Græcorum natione, in ea Latinorum non inferiores, cum utriusque ritus auctor sit, qui regit ecclesiam Spiritus Dei. Latinos amice & officiose, ut facitis, apud se excipiunt, & Latini pariter Græcos orthodoxos. Audeo dicere, quod experientia probavi multiplici, Græcorum neminem sese ab Latinis in fide abjungere, nisi vel ex odio, vel ex arrogante ignorantia. Qui probi sunt, a nobis sunt, si Deo placet, magno numero. Patres enim Græcos perinde atque Latinos sequuntur duces, quorum nullus Spiritum sanctum a Patre secluso Filio procedere docuit, plerique ex Patre & Filio esse scriptis tradiderunt, crediderunt omnes. Sed jam faciendi

finis hora est. Hora quidem est, inquit *Nicolaus*, tibi quiescendi, quem libenter dies totos audiremus, adeo sunt eximia, selecta & utilia quæ refers. Habemus hic non longe distantem hortum arborum varietate amœnissimum, quo te & Romanum socium tuum ornatissimum pomeridianis horis ad quietem invitamus. Est & ad ejus ingressum ædicula B. Virgini in cælum assumptæ sacra, imaginum elegantia celebris, quam forte non pœnitebit vidisse. Placuit consilium, cœtusque solutus est.

DIALOGUS V.

Sanctos statim a morte homines summa beatitate donari, & Deo perfrui.

VIx effluxerat hora post meridiem altera, cum accessit ad religiosos sacerdotes Latinos Nicolaus abbas, ut eos in cœnobii hortum relaxandi animi gratia deduceret. Aderant e monachis digniores qui præteritis collocutionibus interfuerant, & exeuntes Latinos in honoris amorisque argumentum sunt omnes gradu uno assectati. Postquam ad hortum perventum est, occurrit statim ædicula beatissimæ Deiparæ virginis. Eo se primum contulerunt, & persolutis Deo pro more precibus non prolixis, cœperunt multitudinem ac varietatem imaginum admirari. Erat enim omni ex parte depicta, ut ne in superiori quidem fornice locus ullus vacuus ab pictura & imagine extaret. Quin & pavimentum ipsum marmoreum opere Mosaico insigne flores omne genus suis coloribus impressos incedentium pedibus substernebat. Hinc religiosi viri in hortum interiorem progressi ad fontem virentibus undique arboribus circumseptum assederunt. De ædicula primum ultro citroque habitus sermo, & quisque quod sibi magis arridebat in opere, deprædicabat. Dixerant omnes, & tacebat *Ignatius*, dum rogatus quid sentiret ipse, Omnia, inquit, sum admiratus: sed nihil æque placuit ac tabellæ duæ, quarum altera virginem Deiparam exhibet in cælos assumptam, altera epulonem divitem

misere in inferis ab æstu cruciatum. Placuit autem non tam id quod ex arte perfectum est, quam quod ex veritate depictum. Quippe cum a teneris annis innato quasi amore propendeam ad Græcos, quorum divinos Patres, ex quo cœpi legendo intelligere, delegi mihi magistros. Quamobrem ubi reperio quo ipsos ab ignorantium hominum calumniis vindicem, hic incredibiliter exulto. Quid vero, inquit *Nicolaus*, in istis imaginibus pervidisti, quo nos defendas? Vidi, reposuit *Ignatius*, vidi sanctissimam Deiparam supra angelorum choros in cælum evectam, vidi epulonem divitem infra dæmonum catervas in tartara detrusum. Et hoc apud Græcos, contra quam multi de ipsis narrant. Quid porro narrant, inquit *Methodius*? Græcos, reposuit *Ignatius*, ita de hominum post mortem statu sentire: sanctos quidem nec induci in cælum, nec beatitatem assequi, quæ in Dei intuitione posita est; sed certo quodam & amœno loco concludi ad diem usque judicii extremi, quo die corpore & anima rursum conjunctis cælos ascendent, & Dei potientur suavissimo aspectu. Sceleratos verò homines, nec detrudi ad inferos, nec torqueri tartareis incendiis, donec finiente mundo reviviscant in corpore, & ab judice Christo ad æterna inferorum supplicia expellantur: interea obscuris quibusdam & tristitiæ plenissimis locis contineri. Si ita narrant, inquit *Methodius*, merito narrant & vere. Sic credunt Græci. Non tamen, subjecit *Ignatius*, sic pingunt, ut vides in istis imaginibus, neque sic scribunt, si eorum consulis libros. Mihi crede, qui sic fabulantur, pseudo-Græci sunt. Ego sane, inquit *Romanus*, nunquam Græcorum nomine censebo esse dignos, qui sic loquuntur. Mihi Græcus est, qui quod tradunt Græci patres, quod canit in templis Græca ecclesia, id amplectitur & profitetur. Patrum autem & ecclesiæ una vox est, sanctorum animas hominum, cum puræ ab peccato & pœnarum omnium debito absolutæ hinc emigrant, statim efferri in cælum & Deo frui: impiorum vero qui e vita excesserint rei, ac minime pœnitentes, demergi in tartara, neque mora interposita ulla protinus excruciari. Mittamus, inquit *Methodius*, de imaginibus dicere, quarum est futura perinde repræsentare, ut præterita. Expone autem quonam

nostro

nostro in libro hoc scribitur quod affirmas. Num satius, ait *Nicolaus*, rem differre in crastinum: venimus relaxationis caussa, non disceptationis. Quæ amice disceptantur, reposuit *Ignatius*, recreant, non vexant. Patere, quæso, quandoquidem huc devoluta est quæstio, pertractetur: a Romano, cujus nunc sunt partes differendi, audietis, quibus vehementer lætabimini. Quis enim non efferatur gaudio, cum novit paratos sibi statim ab obitu triumphos & felicitatem nullo fine terminandam? An vero, inquit *Nicolaus*, sic libri nostri & patres asserunt? Affirmant, respondit *Romanus*, &, quantum dici hoc potest, dicunt. Aiunt enim *sanctorum animas, quæ quidem ab omni peccatorum labe ac debito puræ sint, statim conscendere in cælum, atque illic angelorum & Christi ipsius convictu & societate gaudere, fruique totius boni præmio, cujus nec modus ullus, nec finis, in ipsum Deum præsentem facie ad faciem contuentes.* Haud dubie, inquit *Nicolaus*, qui sic pronuntiant, sanctorum animas profitentur divina atque æterna felicitate nunc potiri. At ubi librorum nostrorum testimonia? Ubique sunt, reposuit *Romanus*. Ac primum, quod spectat ascensum animarum in cælum, statim atque corporibus exolvuntur, nec illis persolvenda pro peccatis pœna ulla superest; num occinitis in Menæo ad 3. Septembris *S. Anthimo Nicomed. episcopo*: *In cælis tuorum mrecedem laborum invenisti.* ἐν τοῖς οὐρανοῖς εὗρες μισθὸν τῶν καμάτων σου. Et infra: *Nunc aperte cum gaudio cælos es ingressus:* νῦν σαφῶς οὐρανοὺς ἐμβατεύεις γηθόμενος. Et iterum: *Ad angelorum ordines pervenisti:* τῶν ἀγγέλων ἔφθασας τὰ τάγματα. Num refert ad XIII. Februarii, *Sanctos Aquilam & Priscillam e terra translatos, cælestem patriam habitasse:* καὶ οὕτω μεταστάντες τῶν ἐπὶ γῆς κατοικοῦσι τοὺς οὐρανούς. Et Martii 7. *Paulum simplicem in cælestes domos vita functum abiisse:* ἀπῆλθε πρὸς οὐρανίους μονάς. Tum in exequiarum officio sic orat sacerdos: *Martyres fortissimi, o Christe, in cælestibus thalamis te assidue deprecantur:* ἐν οὐρανίοις θαλάμοις διηνεκῶς οἱ γενναῖοι μάρτυρες δυσωποῦσί σε, Χριστέ. Locus ille, inquit *Methodius*, sanctis animabus ad diem usque judicii continendis destinatus cum sit in cælorum aliquo, etsi non est in supremo illo, ubi angeli, ut ait in evangelio Christus *Sanctorum animæ in cælo sunt sive paradiso.*

Dominus, semper vident faciem Dei, & infinita ex divinitatis intuitu suavitate gaudent, non immerito illæ dicuntur, cum e corporibus abscedunt, deferri in cælum. Velim te, inquit *Romanus*, mentem advertere ad Synaxarii verba, continuoque intelliges, non significari cælum aliud, præter supremam totius beatitatis sedem. Locus enim ille amænissimus, in quo pseudo-Græci, liceat mihi sic eos sine convitio appellare, reservant animas ad judicii usque diem, cælorum regnum esse non potest, cum sit potius animarum e cælorum regno exilium, & carcer paulo fortasse hoc nostro, in quo vivimus, jucundior. Locum illum, subjecit *Methodius*, sic fere cælorum regnum nuncupant, quo Christus modo ecclesiam suam etiam hic in terra positam dicit esse regnum cælorum, hoc saltem sensu, quod Deus gratia sua iis regnat, qui ad summum cæli regnum vocati sunt. Rem minime attingis, inquit *Romanus*. Nam cælorum illud regnum dicitur in Synaxario *patria cælestis*, *æternumque domicilium*. Locus autem ille peramænus, quo recludunt animas, nec patria est, nec æternitatem habet. Patria enim locus est quem vel pater tuus incolit, vel unde tibi origo est, vel ubi statuisti semper degere. Originem porro a Deo ducimus, quem, etsi immensus est, in cælorum tamen summo semper spectamus; nec æternum sanctis domicilium ullum est, nisi locus ille omnium supremus, in quo beatitatem summam assequuntur. Ille vero, quem sibi fingunt, temporalis est, & finem habet, unde nimirum cum resurgent sancti, exituri sunt; atque adeo non est domicilium æternum. Quæro abs te, o Methodi, quænam angelorum sit civitas, ubinam novem distributi in ordines ante Christi thronum assistunt, ubinam sancti laborum mercedem inveniunt, & adepta hæreditate perfruuntur. Fassus est Methodius cælorum supremum beatitati summæ addictum vocibus istis notari. Nota ergo, inquit *Romanus*, quod e Triodii vestri codice refero, τῇ ε΄ ἑσπέρας τῆς τυροφάγου, feria v. Dominicæ illius, quæ ab comedendi casei facultate nuncupatur, sic legitis: οἱ τὸν ἐπίγειον ἀπόλαυσιν μὴ ποθήσαντες ἀθλοφόροι οὐρανίων ἀγαθῶν ἠξιώθησαν,

Sancti cum angelis in cælo sunt.

καὶ ἀγγέλοις συμπολῖται γεγόνασι: *Martyres cum terrenas voluptates non expetierint, digni bonis cælestibus habiti, & concives ange-*

lorum ſunt effecti. Item feria VI. hebdomadæ ejuſdem, τῇ παρασκευῇ τῆς τυρινῆς, ubi ſanctorum omnium, qui vitæ religioſæ virtutibus illuſtres extiterunt, memoria celebratur; ita viros eximios orando compellatis: ὅσιοι πατέρες, εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος τῶν κατορθωμάτων ὑμῶν. διὸ ἐν τοῖς οὐρανοῖς εὕρατε μισθὸν τῶν καμάτων ὑμῶν, τῶν δαιμόνων λύσαντες τὰς φάλαγγας τῶν ἀγγέλων ἐφθάσατε τὰ τάγματα. *Patres ſancti, terram in omnem exivit ſonus factorum veſtrorum laudabilium: quamobrem in cælis inveniſtis mercedem, & diſſipato dæmonum exercitu ad angelorum ordines perveniſtis.* Vis aliquid luculentius? Dabit tibi ſabbatum primum τῶν ἁγίων νηστειῶν, ubi ſic affantur B. Theodorum: στεφανοφόρε ἅγιε, παρεστὼς σὺν ἀγγέλοις τῷ τοῦ Χριστοῦ νῦν βήματι καὶ φωτὸς τοῦ ἐκεῖθεν πληρούμενος πρέσβευε. *Ora, o ſancte, qui corona donatus redimituſque cum angelis ante thronum Christi adſiſtis, & impleris hinc promicante lumine.* Et feria III. hebdomadæ primæ: οἱ μάρτυρές σου, Χριστὲ, ἐπιλαθόμενοι τῶν ἐν τῷ βίῳ, καταφρονήσαντες καὶ τῶν βασάνων διὰ τὴν μέλλουσαν ζωὴν, ταύτης κληρονόμοι ἀνεδείχθησαν, ὅθεν καὶ ἀγγέλοις συναγάλλονται. *Martyres tui, o Christe, vitæ præſentis obliti, & propter futuram vitam aſpernati ſupplicia, ejus hæredes facti ſunt, & cum angelis exultant.* Præterea feria IV. palmarum τῇ δ' τῶν βαΐων ἐν τῷ ὄρθρῳ, in hunc modum ad martyres habetur ſermo: ὑμᾶς, πανεύφημοι μάρτυρες, οὐ θλίψις, οὐ στενοχωρία, οὐ λιμὸς, οὐ διωγμὸς, οὐδὲ μάστιγες, οὐ θυμὸς θηρῶν, οὐ ξίφος, οὐδὲ πῦρ ἀπειλοῦν χωρίσαι θεοῦ δεδύνηνται, πόθῳ δὲ μᾶλλον τῷ πρὸς αὐτὸν ὡς ἐν ἀλλοτρίοις ἀγωνισάμενοι σώμασι, τὴν φύσιν ἐλάθετε θανάτου καταφρονήσαντες. ὅθεν καὶ ἐπαξίως τῶν πόνων ὑμῶν μισθὸν ἐκομίσασθε, οὐρανῶν βασιλείας κληρονόμοι γεγόνατε. *Vos, o celeberrimi martyres, non tribulatio, non anguſtia, non fames, non perſecutio, non flagella, non furor belluarum, non gladius, neque ignis minitans, potuerunt ſeparare a Deo: ſed potius illum deſiderantes quaſi in alienis certantes corporibus, naturam obliti eſtis morte contempta. Quocirca pro merito laborum veſtrorum mercedem accepiſtis facti regni cælorum hæredes.* Hinc Synaxarii liber ad XI. Septembris B. Theodoram, cum vivere deſiit, tradit ingreſſam eſſe cum gaudio ad ſponſum ſuum deſiderabilem & expetitum, id eſt, Chriſtum Dominum, qui

Sancti in cælo cum Christo ſunt.

Sancti acceperunt in paradiso coronam gloriæ.

virginibus ſponſus eſt: ἀπῆλθε χαρᾷ πρὸς ποθεινὸν νυμφίον. Et ad diem Februarii XIX. narrat SS. Eugenium & Macarium oraſſe, ut vitæ hujus vinculis ſolverentur, & eſſent cum Chriſto, cui poſtulato Dominus annuit: ᾐτήσαντο διὰ προσευχῆς οἱ μακάριοι ἀναλῦσαι, καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι, καὶ τῆς δεήσεως αὐτῶν ἐπακούσας ὁ κύριος μετάστησεν ἀμφοτέρους. Sed revoco te ad Triodium in ſabbato, non jam memini quo ſabbato, ſed εἰς τὸν ὄρθρον ſic legitis: πᾶσα πόλις καὶ χώρα τιμᾷ ὑμῶν τὰ λείψανα, ὦ ἀθλοφόροι μάρτυρες· ὑμεῖς γὰρ νομίμως ἀθλήσαντες στέφανον οὐράνιον ἐπελάβετε. *O præmio donati martyres civitas omnis & regio veſtras veneratur reliquias: vos enim legitime certantes coronam cæleſtem accepiſtis.* Et in ſabbato mediæ in quadrageſima hebdomadæ: πᾶσαν ἰδέαν αἰσχισμῶν διελθόντες καὶ γόνυ τῷ Βάαλ μὴ πεισθέντες κλῖναι στεφάνους δόξης ἤρασθε ἐκ Θεοῦ, Χριστομάρτυρες. *O qui omnem dedecoris ſpeciem deſeruiſtis, Chriſti martyres, quique eo nunquam potuiſtis induci, ut genu inflecteretis Belial, tuliſtis a Deo coronam gloriæ.* Et feria IV. ſecundæ in quadrageſima hebdomadæ, his iterum vocibus Græci martyribus gratulantur. πανεύφημοι μάρτυρες, ὑμᾶς οὐκ ἡ γῆ κατέκρυψεν, ἀλλ' οὐρανὸς ὑπεδέξατο, ἠνοίγησαν ἡμῖν παραδείσου πύλαι, καὶ ἐντὸς γενόμενοι τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς ἀπολαύετε. *O celeberrimi martyres non vos terra abſcondit, ſed cælum ſuſcepit. Vobis paradiſi portæ apertæ ſunt, & in ejus penetralia ingreſſi fructu vitæ perfruimini.* Denique in paracleticis ſabbato in ἤχῳ β'. ἔδειξας ἡμῖν τοῦ δυσμενοῦς θανάτου τὰς διεξόδους ὡς ἀθάνατος τῇ θείᾳ δυνάμει σου, τὰς εἰσόδους δὲ ἐγνώρισας τῆς ζωῆς ἀθάνατε, ἥσπερ οἱ μάρτυρές σου νῦν ἐπαξίως ἐπέτυχον. *Divina virtute tua, mortis inimicæ tranſitum, ut immortalis, & ingreſſus manifeſtaſti vitæ, quam merito martyres tui nunc conſecuti ſunt.* Hic Romanum interpellavit *Ignatius*, &, Dies, inquit, te deficiat, Romane, ſi quæ in hanc ſententiam e Græcorum libris peti poſſunt, adducas in medium. Plura dixiſti, quam opus ſit. Nam ſi ſanctorum animæ, ut comminiſcuntur quidam, amæno tantum in loco ad beatitatem futuram reſervantur, falſum eſt ſanctos eſſe in civitate angelorum, perveniſſe ad Chriſtum, cum angelis throno Chriſti adſiſtere, ſuorum laborum percepiſſe mercedem, hæreditatem cæleſtem & gloriæ coronam adeptos fuiſſe, & fructu

vitæ, qui Deus eſt, perfrui: quod affirmant ubique Græcorum libri. Quippe in loco illo jucundo bona illa omnia præſtolantur, neque ea, ſi autores illos audias, niſi perfecto communi judicio aſſequentur. O rem admirabilitatis plenam, exclamavit *Nicolaus!* Si legunt aſſecutos fuiſſe, cur dicunt nondum aſſecutos, ſed aſſecuturos poſtea? Quod mireris magis, ait *Romanus*, non legunt modo beatitatem adeptos eſſe qualemcunque, ſed abſolutam & ſummam qua nulla ſit major, qualis eſt quam ſanctis tribuunt in Menæo ad xxix. Martii ſub finem, dum illis ſic gratulantur & ſupplicant: *Nunc cum angelis, o ſancti, throno gloriæ adſiſtentes continuo, & triſolaris claritatis*, ſanctiſſimæ ſcilicet triados, *ſplendoribus illuſtrati, omnes illuminate qui cum fide veſtram ornant lucidam celebritatem*: ἤδη μετ᾽ ἀγγέλων, ἅγιοι, παρεστηκότες θρόνῳ τῆς δόξης πάντοτε, καὶ ταῖς ἀστραπαῖς τῆς τρισηλίου λαμπρότητος αὐγαζόμενοι πάντας φωτίσατε τὴν φωσφόρον ὑμῶν γεραίροντας πανήγυριν. Hærebat toto animo cogitabundus Methodius, cum hæc audiret, quæritabatque qua ſe via ex his adeo conſtringentibus laqueis extricaret & eriperet. Invenit tandem, ut ſibi videbatur, ſatis idoneam, & ait minime dubitare ſe, quin ſancti ſtatim a morte conſecuti ſint beatitatem, & ſcelerati infelicitatem ſummam, non re quidem ipſa, ſed merito. Quem in modum princeps cum præmium ei qui in ſtadio vicerit, propoſuit, ſi quis pugiles alios ſuperaverit, hoc ipſo dicitur præmium adeptus, quamvis illud nondum manu ceperit, ſed ipſum ſit poſt aliquot dumtaxat dies accepturus habiturusque. Utar, inquit *Romanus*, exemplo tuo, Methodi, atque illud in rem præſentem transferam. An qui vicit in ſtadio, præmium dici poteſt accepiſſe, quo nondum donatus eſt. Enimvero poteſt, repoſuit *Methodius*, ut ſi princeps ſic edicat. Qui vicerit, ſit v. g. conſul altero vertente anno. ſi quis vincat, hoc ipſo conſequentis anni accipit conſulatum, quem tamen ipſa re nondum gerit. Non abſimili ratione ita ſanxit Deus: Vincenti æternam vitam dabo fruendam. Vincit, qui moritur Deo gratus, æternam accipit vitam, quamvis puriſſima ejus voluptate non ſit, niſi poſt luſtra aliquot, potiturus. Non patiar te effugere, inquit *Romanus*. Dic, amabo. An accepit vitam æternam, qui eam nec habuit unquam, nec jam habet. Fa-

Sancti adepti ſunt beatitatem æternam non merito ſolo, ſed re ipſa.

teor posse aliquem vitam illam immortalem accipere, etsi non est ejus voluptate, nisi postea, fruiturus, quia voluptas aliud, aliud vita est, sed accipere vitam non potest, quin habeat vitam. Victor autem ille tuus, cujus meministi, non accipit anni alterius consulatum: quis enim accipiat quod nondum est? accipit quod est, jus scilicet consulatus suo tempore possidendi. Cum aderit autem notatus annus, tum vero consulatum accipiet, eritque & appellabitur consul. Revoca hic in memoriam quæ mox attulimus testimonia, saltem ultimum: palam erit non merito solo & spe secura, sed reipsa ab sanctis beatitatem haberi. Enimvero non tantum ait paradisi portas fuisse martyribus apertas, sed ipsos in interiora ingressos, eoque quod majus est, frui ligno vitæ, id est, ipso Deo, in quo scilicet vita est, & omnium vita. Explicatius tibi vis aliquid & validius? Inspice Menæum ad Junii diem 11. ubi sic sanctum Nicephorum Constantinopolitanum patriarcham compellatis:

Sancti nunc in Deum facie ad faciem intuentur.

εὗρες τὸ μακάριον τέλος ὑπεξελθόντων τῶν ἐσόπτρων καὶ τῆς ἀληθείας φανείσης τῇ θεωρίᾳ τοῦ ἀκηράτου κάλλους. *Invenisti beatum finem, subductis jam speculis & manifestata veritate, intuitu immortalis & incorruptæ pulcritudinis.* Et ad diem ejusdem mensis XXIX. ubi in illud Philipp. c. 1. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, sic Paulum alloquimini: νῦν ἀνάλυσας, ἀπόστολε, πρὸς τὸν ὑπὸ σοῦ ἀενάως ποθούμενον, αὐτῷ τε ὡς θεράπων συναυλιζόμενος, ἀπαύστοις ἱκεσίαις τοὺς σοὺς ἱκέτας πρὸς σὲ ἕλκυσον. *Nunc* (ad hanc primam vocem adverte, Methodi, præsens enim tempus indicat, nihil futuri commonstrat) *Nunc exolutus es, o apostole, & ad eum quem desiderasti jugiter, pervenisti, cum ipso, uti minister ejus, versaris; eos ad te trahe qui tibi assidue supplicant.* νῦν οὐδαμῶς ἐν αἰνίγματι οὐδὲ ἐν ἐσόπτρῳ Χριστός σοι ὀπτάνεται· πρὸς πρόσωπον δὲ μᾶλλον ὁρᾶται πρόσωπον, τελείως σοι τὴν γνῶσιν ἀποκαλύπτων τῆς θεότητος. *Neque se tibi videndum* nunc *præbet Christus per speculum & in ænigmate, sed eum intueris facie ad faciem, & tibi perfectissime conspiciendam ostendit divinitatem.* Ad diem vero Septembris XXVI. ita S. Joanni Evangelistæ gratulamini. νῦν οὐκ ἐν αἰνίγματι πρὸς πρόσωπον δὲ πρόσωπον, τῆς τρυφῆς τὸν χειμάῤῥουν ὁρᾷν σε ἠξίωσε, καὶ τὸν ποταμὸν τῆς εἰρήνης, καὶ τὴν πηγὴν τῆς ἀθανασίας, ἣ

νῦν ἀρδευόμενος ἀπολαύεις τῆς θεότητος. *Te Deus dignum effecit, qui* nunc *aſpicias non in ænigmate, ſed facie ad faciem, torrentem gaudiorum, fluvium pacis, fontem vitæ æternæ, quo tu perfuſus divinitate frueris.* Eximium eſt etiam quod legitis v. Decembris de S. Saba; νῦν ἐν οὐρανοῖς τῶν ἐσόπτρων λυθέντων, μακάριε, καθαρῶς ὑποπτεύεις τὴν ἁγίαν τριάδα ἐντυγχάνων ἀμέσως, ὑπὲρ τῶν πίστει καὶ πόθῳ τιμώντων σε. *Tu nunc, o beate, in cælis es, & remotum a te eſt ſpeculum, videſque plane ac pure Trinitatem, & ſine interpoſito medio pro iis rogas, qui cum fide ac reverentia te colunt.* Audiiſti ſanctos facie ad faciem, ſine ſpeculo & ænigmate, *nunc* intueri perfectiſſime in Deum, & divinitate *nunc* frui. Nimium urges, o Romane, inquit *Methodius*, & iis me armis verberas, quæ exoſculari compellar, & admittere toto ſinu. Sunt tamen qui reſpondeant, ſanctos eo dici *nunc* perveniſſe ad beatitatem perfectam æternamque, non quod jam reipſa pervenerint, ſed quod ita ſecuri ſint & certi illius poſſidendæ, atque ſi jam illam eſſent conſecuti. Nihil eſt, repoſuit *Romanus*, nihil omnino hac reſponſione futilius, quæ ſi valeret, & eſſet vera, verum quoque eſſet te, quamvis vivas, ſanoque ſis & vegeto corpore, nihilo tamen minus mortuum eſſe, putidum eſſe & horrendum cadaver, ſcatere vermibus, & jacere in ſepulcro. Nam ſine dubitatione ulla poſt paullo hic te ſtatus excipiet. Et, ſi ad iſtorum normam ratiocinari fas eſt, licebit quoque aſſerere nunc prodiiſſe in lucem & adeſſe Anti-chriſtum, factum mundo finem, & mortuos homines omnes ad commune judicium, factorumque præmium vel pœnam ſurrexiſſe. Id enim nos expectamus, certi fore aliquando, & pari neceſſitate futurum, qua futurum iſti dicunt, ut ſancti e quietis loco temporali in æterna felicitatis domicilia traducantur. Quare hoc reſpondendi & dicendi genus ſi probamus, nihil jam ſupereſt in religione certi. Nam ſi cum dicuntur in cælum appuliſſe ſancti, accepiſſe gloriæ coronam, nuncque in ſanctiſſimam Trinitatem facie ad faciem intueri, his vocibus nihil ſignificatur aliud, quam id boni expectari ab ſanctis ſumma certitudine futurum. Qui legit in evangelio veniſſe Chriſtum, & ſalutem hominibus attuliſſe, eodem poterit jure dicere

iis vocibus intelligi venturum certissime Christum Dominum, & allaturum salutem, quod ista sic expectentur, ut nihil dubii sit quin sint futura. Quo dicto incidimus in Judæorum maledictum errorem & immane flagitium. Audiebat unus e monachis vir simplicior & valde bonus, nec satis capiebat, quo hæc pertineret disputatio. Is ad Methodium conversus, Itane, inquit, mi pater, Græci asserunt sanctos nondum in beatas sedes invectos, nec Deo frui? Ubi ergo panagia Deipara, ubi apostoli, ubi S. Georgius? Certe nullum e Græcis vidi sanctos orantem, qui non attolleret ad cælum oculos, eoque illos mente & cogitatione adiret, consideretque, sibi bene illorum intercessione futurum, quod Deo amico & benevolo adsistant. Præterea tu ipse nuper cum mecum solatii gratia inviseres dominum Theodorum, cui præreptus est morte filius, hanc ipsi afferebas solatii caussam, quod a terra ad cælum transvolasset, ab hominibus ad Deum, unaque cum angelis bono immenso frueretur. Nemoque est, quod sciam, Græcorum, qui non hæc verba ad consolandum afferat. Visus est hac boni viri argumentatione nonnihil impediri & interturbari Methodius: arrisit tamen, &, Bene est, inquit, mi frater: liceat tibi inter orandum oculos, quo soles, efferre. At modo sine venerandos patres orationem prosequi. Vim habet non modicam, inquit *Ignatius*, hæc carissimi fratris animadversio, & certe mos hic orandi & consolandi antiquior est isto nescio quo loci festivi aut potius amæni carceris commento, ubi quiescere animas fabulantur, dum corporibus redditæ judicium commune subeant, & evolent in cælum. Non erat, inquit *Romanus*, meo quidem judicio philosophiæ aut spiritalis vitæ peritus, qui locum hunc in quo exulant tum a terra, tum a cælo sanctorum animæ, dixit esse quietis locum. Neque enim nisi in possesso Deo potest conquiescere animus, sed acus magneticæ ad instar, motu perpetuo Deum ut polum suum postulat, nec moveri desinit, dum ipsum visu attingat, eique adhæreat. Atque anima cum impeditur, quominus se conjungat Deo, gravius hoc illi molestiusque accidit, quam igni, cum non sinitur sursum efferri, vel plumbo pondo c. quod a lapsu per vim prohibes. Nimirum quo

Nullum quietis locum ani-æ esse possenisi adepto Deo.

res

res creatæ perfectione præstant aliis, eo majore inclinant impetu, vehementiusque in propositum sibi finem moventur. Quamobrem quiescere animæ non possunt, quibus obvelatus est Deus, maxime cum sunt corporibus exolutæ,& ab omnibus depravatæ naturæ impedimentis liberæ. Neque propter spem & expectationem suam conquiescunt. Ut enim recte vidit sapiens Salomon Prov. 3. *Spes quæ differtur, affligit animam.* Si affligit ea quæ de bono modico & creato est, quantum excruciat quæ est de increato & summo? Neque propter sacratissimas illas voluptates quibus forte in amœno illo loco perfunduntur, conquiescunt: quin eorum gustu laticum, augetur desiderium perveniendi ad fontem, unde emanant, & vexat. Neque etiam quies esse potest propter voluntatis creatæ cum divina consensionem: hæc enim esse non potest, nisi vim sibi anima faciat, seque vincat in appetitu innato,& maxime naturali, quo semper impellitur ad bonum illud immensum, cujus amore necessario æstuat & exardescit. Ut eloquar quod res est, inquit *Methodius*, aut fallor, aut nullus ex iis libris, quos in ecclesia legimus, mentionem habet loci hujus ad quietem animarum destinati, nisi unum Nicephori Xantopuli Synaxarion: sed ut recte die hesterna est a te animadversum, nullius est in ecclesia momenti laici unius viri, & viri quidem non valde docti, autoritas, eo maxime sæculo scribentis, quo vigebant odia, & placebat ab Romanis per fas ac nefas discrepare. At nonnulli cum eo, ne mentiar, nunc loquuntur Græci, &, si possunt ecclesiasticis suis libris confutari, non facile tamen eos arguas vel rationum momentis, vel sacrorum codicum autoritate, vel sanctorum patrum effatis. Hoc primum, reposuit *Romanus*, abs te velim, o Methodi, ne Græcos appelles eos, qui cum ecclesia Græca nec sentiunt, nec loquuntur. Deinde quod ais, ægre refelli eos, quantum habeat veritatis agnosce. Cautum est divina lege Lev. c. XIX. ne quis operario, cum absolvit laborem, mercedem differat. *Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane.* Quis credat, Deum legi ab se per summam æquitatem positæ prævaricari, nec propositam mercedem homini, qui illam suo sæpe sanguine, in-

Operario, cum absolvit laborem, statim merces tribuenda.

credibili certe labore commeritus est, nisi post annorum plura millia conferre? Homo dum moritur, operi & merito suo finem imponit. Est enim mors nox illa, de qua Christus in evangelio: *Venit nox, quando nemo potest operari.* Tum cadit ille ut *arbor, quæ ubicumque ceciderit, sive ad austrum* paradisi, *sive ad aquilonem* gehennæ, *illic erit.* Unde monebat Galatas Paulus c. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Et Corinthios sic hortabatur: *Tempus breve est: ergo qui habent uxores, tanquam non habentes sint,* &c. Et, *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Cum igitur opera, quibus proposita a Deo merces fuit, perfecerit homo, cum animam agit: cur mercedem statim Deus non tribuat? An homines, quos jussit mercenariis statim ab opere absoluto condictum solvere, se ipso vult æquiores? An vero animæ ab corporibus sejunctæ recipiendo præmio non sunt idoneæ? sunt enimvero maxime. Quippe constitutum homini præmium Deus ipse est, in quem intuentes beati sumus. At solius est animæ in divinitatem intueri, ipsamque aspectu beatissimo possidere. Eo nihil conducit corporis cum ipsa conjunctio: neque enim corporatis oculis incorporatus ille & ab omni concretione secretissimus spiritus videtur. An forte arduum Deo sit præmio statim animas donare? Id vero quî veniat in mentem? *Facile est*, ait Ecclesiasticus cap. 11. *facile est coram Deo, in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* Quo loci jubet, inspirante Deo, sapientissimus ille vir, in prosperis suppliciorum meminisse, præmiorum in adversis: quæ Deus præmia vel supplicia retribuet, non in die solum judicii extremi, sed in ipso obitus die. Neque obstabunt prospere viventium opes atque potentia, aut miserorum tenuitas & abjectio, quia coram Deo nihil non facile est. Quod si Deus neminem pœna vel præmio afficeret, nisi peracto communi ultimoque judicio, frustra hic & inepte notasset obitus diem, satisque erat tum supplicii, tum mercedis habere mentionem. Adde hoc se modo Deum opt. max. cum angelis gessisse, ut statim finita merendi via beatitatem illis summam contulerit. Nec diem illum judicii supremi expectavit; quo die angelos nihilominus, unaque ho-

Angeli finita via sunt statim beatitatem consecuti.

mines judicabit. Angelos autem nunc Deo frui restatus est ipse Christus, dum parvulos commendabat, vel hoc nomine, quod ita sint Deo cari, ut custodiendos tradiderit angelis, *qui semper vident faciem Patris qui in cælis est.* Quod si angelis id concessum a Deo est, quis neget datum homini? cum jus beatitudinis accipiendæ in homine, majus sit jure omni angelorum; tantoque majus, quanto Christus præstat angelis. Nam meritum hominis per Christum redempti, ipsum Christi meritum est nobis attributum. Præterea moram illam in persolvenda mercede tam diuturnam cum summo Dei erga sanctos amore & infinita benevolentia qui concilies? Prov. 3. *Ne dicas amico tuo, Vade, & revertere, & cras tibi dabo; cum statim possis dare.* Occurrunt mihi non pauca, inquit *Methodius*, quæ hic tibi respondeam. Ac primum, ut admittam vim habere apud Deum qui lege omni superior est, quod præcipitur Levit. c. 19. ne scilicet differatur operario condicta merces: aio minime illam a Deo differri, cum eam proposuerit non a morte statim reddendam, sed in die judicii duntaxat. Audi ex evangelio Matth. c. 16. tunc reddendam esse mercedem: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Audi ex Paulo Rom. 2. *Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei.* Mirum est, reposuit *Romanus*, hæc abs te acuto viro proferri. Nam quid hinc arguis? Nemo negat, in die judicii communis & extremi mercedem cuilibet esse reddendam. Etsi enim potiore sui parte jam sit reddita, quandoquidem suam percepit anima; non est tamen reddita ex toto, cum sua nondum mercede corpus gaudeat. Audi tu Paulum 2. Cor. cap. 5. *Omnes nos oportet stare ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Deinde etsi fateor venturum Christum in gloria Patris sui in die illo judicii extremi, mihi constat in ipso etiam judicii privati die, eadem in gloria cum angelis apparere, tumque animæ cuilibet iram suam justumque judicium suum revelare. Venire autem Christum, sive illi nos adstare, cum morte defungimur, judicandos, si mihi non as-

Deus, cum summe sanctos adamet, præmium illis non differt.

In hora mortis anima Christo sistitur judicanda.

ſentiris, aſſentire libro tuo, aſſentire evangelio. Liber ille legitur apud Græcos in Syria, eſtque e dictis S. Joannis Chryſoſtomi compactus, ejuſque concionum nomine circumfertur: ſic habet concione LXII. *Fe elladi la yalam hai yeſafer elyoum aou gâdé, aou elán, aou elſaah elátié kayf youjad mehmelan oufaſchelan? támmal ya hada qaoul ſayedak esharou elán: fecnkom ma talamoun fi ay ſaah yati rabbkom. Qui non novit an hodie ſit profecturus, an die craſtina, an hoc ipſo temporis puncto, an conſequente hora, quî fieri poteſt, ut negligens ſit ac deſes? Expende, o tu quiſquis es, & conſidera Domini tui dictum, Vigilate, neſcitis enim qua hora Dominus veſter ſit venturus*, id eſt, qua hora ſitis morituri & ſiſtendi Chriſto ad judicium. Lucæ quoque cap. 12. ſic monet ipſe Chriſtus: *Hoc ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam; & vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Reddi autem tunc mercedem diſce ex Paulo 2. ad Timoth. cap. 4. *Ego*, inquit, *jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Vides Paulum in illa reſolutionis, id eſt, mortis ſuæ die coronam accepturum. Adde quod ex Eccleſiaſtico mox referebam, *facile Deo eſſe in die obitus retribuere cuique ſecundum vias ſuas.* Velim, inquit *Methodius*, & hoc etiam tibi dare, quod poſtea ad diſceptandum iterum revocabimus, operarium ſcilicet, ubi primum impoſuit labori finem, ſuo eſſe afficiendum præmio. At minime neceſſe eſt toto ſimul donari: poteſt enim conferri per partes; quod tute ipſe oportet fatearis, cum reſervatam corpori in futurum gloriam aſſeveres. Ita dixerit aliquis animam ſanctam, cum primum diſceſſit a corpore, mercedis ſuæ accipere nonnihil. Nam & ſegregatur ab impiis, & conſtituitur in amœniſſimo quietis loco, & ſingulari perpetuaque divinarum rerum contemplatione fruitur, & incredibili perfunditur voluptate, qua prægustat beatitatem æternam. Contra accidit ſceleratæ animæ, quæ in tenebricoſam detruſa carceris ſpecum, mœrore perpetuo conflictatur. Unde merito affirmat ſacratiſſimus codex

Dominum in die obitus unicuique secundum vias suas retribuere. Quæro abs te, inquit *Romanus*, si cui rex deberet in præmium sexcenta aureorum millia, solveretque dimidiam obolum; an ille cui solvitur, dici posset mercedem promeritam accepisse? Sic habeto voluptates illas omnes amœni loci, quas esse nullas superiore loco declaravimus, etiamsi veræ essent, cum summa tamen felicitate collatas, ne dimidiæ quidem oboli habere pretium. Sic enim differunt, ut discrepat ab creatis rebus possessis creator ipse possessus. At unde nosti non dari ante commune judicium nisi particulam illam & umbram felicitatis æternæ, cum angelis, ut dixi, constet simul esse collatam ab initio totam, atque ut homini conferatur, multa exigant, quæ sunt a nobis commemorata superius. Discrimen est immensum, respondit *Methodius*, homines inter & angelos. Hi enim cum sint spiritus ab omni corporis societate secreti, se solis sunt beatam vitam promeriti. At homines cum communi animæ & corporis conatu, evaserint felicitate æterna digni, non est ex æquitate, ut socius socium, anima carnem in illius consecutione præeat. Deinde angeli una omnes, non alii post alios sunt commeriti præmium, & illud omnes sunt simul adepti: at homines cum alii nascantur ex aliis, & sint aliis posteriores alii, non possunt simul beatitatem assequi, nisi a prioribus posteriores expectentur, & merces communi omnibus loco & tempore tribuatur. Facit enim Deus quod paterfamilias, qui cum multos ad epulum invitavit, mensam non prius offert, quam omnes convenerint: sic nimirum expectat ipse, dum electorum numerus sub finem mundi compleatur, tum scilicet convivio omnes cælesti simul recreabit. Quod discrimen, inquit *Romanus*, tu petis ab arctissima corporis & animæ in agendo communione, nihil te admodum juvat. Neque necesse est, ut anima ad percipiendam felicitatem corpus suum præstoletur. Quidquid enim fuit meriti, totum animæ fuit, cujus unius est bonum vel malum dijudicatum amplecti. Corpus autem sæpe merito nocuit, dum *aggravabat animam, & deprimebat sensum multa cogitantem*, ut ait Sapiens. Vel si profuit, eo juvit modo, quo hostis, qui victoris, cum vinci-

Decet animam in accipienda felicitate corpori præire.

tur, meritum auget. Quare corpus nihil ex sese habet meriti, neque præmium sibi exigit. Quod vero consequetur pulcritudinis & voluptatis, cum surget e tumulo, hoc illi anima sua commerita est & postulat. Nulla ergo fit injuria corpori, cum anima ante felicitate donatur, quam ipsum corpus suæ compos sit. Dic corpus animæ instrumentum esse. Quis instrumenti & artificis parem esse rationem statuat, neque præmio affici debere artificem, quin sua etiam instrumento remuneratio eodem temporis puncto concedatur? Dic corpus animæ famulari. Quis afferat non prius induci ad epulas dominum debere, quin accesserit famulus; ipsique assideat? Sed fac suum etiam corpori esse meritum, proprioque sibi jure exposcere mercedem: an existimas graviter ipsum ferre, si sua sibi anima præeat, cumque illa idcirco, quod æmuli solent, de dignitatis gradu contendere? Corporis meritum, si quod est, merito animæ longe inferius fuit. Nam præterquam quod nihil efficitur ab corpore, cujus potiores partes non vindicet sibi anima, ab qua movetur ipsum & regitur: multa sunt ab anima præclare facta, quorum in societatem venire corpus non potest, ut sunt virtutum omnium pure spiritualium actiones, quales fidei, spei, & charitatis, aliarumque plurimarum, quæ placent ipsæ per se se, & sine quibus nihil potest, quod corporis geratur consortio, Deo placere. Cum ergo meritum animæ, corporis merita immenso intervallo superet, quid mirum, si in percipienda felicitate corpori anteeat? Adde quod, cum corpus in rerum natura prius extiterit quam anima, æquum sit ut anima primas sua quoque vice habeat: cum corpus prius in terra apparuerit, prior ipsa in cælo effulgeat. Denique quandoquidem anima semper in agendo prævivit corpori, merito illud in accipiendo præmio præcedit. Vim ego non facerem, inquit *Nicolaus*, in illa corporis & animæ societate: nihil enim dictis tuis videtur opponi posse; sed aliud quod est a Methodio allatum exemplum, valde urget & præclarum est. Vim ejus quod spectat, reposuit *Romanus*, facile illa potest infringi. Nam pater ille familias, quos invitavit ad convivium, non prius jubet assidere mensæ, quam omnes convenerint, quia non habet

horis singulis apparatos cibos quos offerat, nec semper prostat ferculis delicatioribus mensa onusta, nec decorum est ciborum reliquias amicis venientibus exhibere. At in cælo convivium æternum est, nec exhauritur vel minuitur divinus ille, qui editur, cibus: tantus erit post spatia annorum infinita, quantus fuit jam inde ab primis retro sæculis: totus sumitur, & totus manet. Deinde, ut vestris te Methodiumque verbis constringam, num in amœno illo quietis loco suavissimis animæ pascuntur voluptatibus, quas ipsis quasi in convivium Deus exhibet? Ecce convivio illas prius admittit, quàm adsint omnes: ecce anima beatitate saltem inchoata jucundissime fruitur, dum corroditur a vermibus corpus meriti socium, desinitque in fœdissimum pulverem. Minime igitur necesse est ad habendam felicitatem, ut adsit corpus, vel ii conveniant simul omnes, qui sunt ipsa donandi aliquando. Atenim, subjecit *Methodius*, sic edocet apostolus Heb. c. 11. *Hi omnes*, inquit, quorum scilicet in illo capite fit mentio, *testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Audis sanctos non accepisse repromissionem? Quos, inquit *Romanus*, quos sanctos, quam repromissionem, quo tempore non acceperunt? Librum consule. Legere Romanus cœpit caput illud xi. epistolæ ad Hebræos, jussitque omnes advertere quod palam est, non alios hic appellari sanctos, quam qui sub lege veteri floruerunt. Non accepisse illos *repromissionem* tradit; túmne, cum *fidei testimonio probati* obierunt, an vero ad hoc usque tempus, quo nos vivimus? At satis innuit loqui se de repromissione consummatæ beatitudinis, *ut non sine nobis*, inquit, *consummarentur.* Consummata autem seu absoluta beatitas duobus intelligi modis potest. Est enim illa beatitudo perfecta, qua totus homo corpore & anima beatur. Est etiam beatitas illa perfecta quâ hominis sic beatur animus, ut summum bonum possideat. Vis ab Paulo eo loci affirmari nondum sanctos illos testamenti veteris, vel hoc nostro tempore accepisse beatitudinem repromissam? Dabo hoc tibi liberaliter; sed intelligendum dicam de consummata totius hominis beatitudine, quæ beatitudo

Quo modo sancti nondum acceperunt repromissionem.

tum vere consummatur & absolvitur, cum corpori suo anima reddita, suam etiam in illud felicitatem transfundit. Quam ob rem non ait Paulus sanctos non esse sine nobis beandos; asserit hoc duntaxat non esse consummandos. Verum alia mihi videtur mens apostoli. Hic enim instrumentum vetus cum novo confert, Christianosque cum antiquis hominibus virtute insignibus. Christianos docet præ cæteris, vel in hoc, a Deo dilectos, quod veteres illi, etsi tantum Dei caussa conati & passi essent, non statim tamen a morte consequerentur felicitatem promissam; Christiani vero, postquam occlusas Adami peccato paradisi januas Christus reseravit, sine mora, si digni sunt, assequantur. Atque hoc est *melius* illud quod nobis esse a Deo provisum Paulus testatur. Si enim ad habendam beatitatem, perinde ut veteres illi, expectamus commune extremumque judicium: qua in re superiores illis sumus, quove pacto nobis Deus in accipienda beatitudine *melius providit?* Vides, o Methodi, quamlibet in partem dictum Pauli interpreteris, minime favere adversariis, immo plane a nobis esse, si posteriore illud sensu, quo verior nullus est, admittas. Mihi perplacet, inquit *Nicolaus*, sensus ille posterior; neque eum vererer amplecti, si hoc mihi per Chrysostomum liceret: istum enim apostoli locum cum interpretatur hom. 28. negat sanctorum quemquam fuisse hactenus coronatum. *Præcesserunt*, inquit, *in certaminibus, sed non præcesserunt in coronis: fratres enim expectant.* Coronatos hic negat, reposuit *Romanus*, hom. 28. quos asserit coronatos hom. 4. *Dic mihi*, inquit, *quid sibi volunt lampades, cerei, & hymni in funeribus mortuorum. Gratias scilicet agimus, quod eum, qui excessit, jam coronaverit, quod a laboribus liberaverit, quod exemerit metu, & apud se habeat:* εὐχαριστοῦμεν ὅτι λοιπὸν ἐστεφάνωσε τὸν ἀπελθόντα, ὅτι τῶν πόνων ἀπήλλαξεν, ὅτι τῆς δειλίας ἐκβαλὼν ἔχει παρ' ἑαυτῷ. Et quoties vos ipsi in Triodio & Menæo jam coronatos esse dicitis? An in sese incurrit Chrysostomus, seque evertit? an vos illum impellitis? Coronatos negat, asserit coronatos. Idque verè, nondum sunt coronati ex toto, & solemni in oculis omnium ritu: coronati sunt ex parte; coronam enim suam & beatitudinem animus accepit. Vellem, subjecit *Nicolaus*, alio

in

in loco diserte pronuntiaret apostolus, sanctorum animas, dum excedunt e corpore, in cælestem Jerusalem transmigrare ad Deum. An excidit e memoria, reposuit *Romanus*, quod ex Pauli ep. 2. ad Tim. c. 4. aliisque locis recitavimus? Sed ne dicta huc revolvam, habes in ejusdem ad Hebræos epistolæ capite 12. præclarum testimonium. Ait enim, in cælesti Jerusalem, quæ Dei viventis civitas est, habitare angelos, & spiritus justorum perfectorum, cum mediatore testamenti novi Christo JESU. *Accessistis*, inquit, *ad Sion montem & civitatem Dei viventis Jerusalem cælestem, & multorum millium angelorum frequentiam, & ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cælis, & judicem omnium Deum, & spiritus justorum perfectorum, & testamenti novi mediatorem* JESUM. At forte, objecit *Nicolaus*, descripsit hic apostolus Dei civitatem, non quali nunc conditione est, sed quali futura est post extremi judicii diem. Minime omnium, respondit *Romanus*: in illa enim cum Christo & angelis nequaquam collocat justorum corpora animabus conjuncta, sed ipsorum duntaxat spiritus. Deinde primitivos ait esse in cælis conscriptos, id est, admissos. Postremo hortatur ad studium bonorum operum christianos, quod per ea accedant non ad terribilem montem, ut Hebræi veteres, ubi Deus non videbatur; sed ad cælestem Jerusalem, ubi angeli & sancti, ubi Christus & Deus est. Paulus idem magister orbis ad Philipp. c. 1. scribit: *Coarctor à duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos.* Quid ais? hic exclamat Chrysostomus serm. 4. *Cum hinc abiens sis in cælum emigraturus, & futurus cum Christo:* μέλλων ἐντεῦθεν πρὸς τὸν οὐρανὸν μεθίστασθαι, καὶ μετὰ Χριστοῦ εἶναι: *ignoras quid eligas. Neque hoc tantum, sed etiam hic manere eligis. ..... Ecquis mercator navem habens sexcentis thesauris refertam, cum licet in portum subire, & quiete frui, mari adhuc jactari malit? Quis athleta, cum licet accipere coronam, pugnare postulet, & caput concidendum objicere? Quis dux, cum liberari a bello potest cum gloria & trophæis, & cum rege in regia conquiescere, adhuc & sudare præoptet, atque instructa acie dimicare?* Est etiam locus egregius 2. Cor. c. 5. *Sci-*

Probatur scriptura testimoniis sanctos in cælo summa felicitate nunc frui.

O..

mus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur. Quid scis, o Paule? quid futurum est? scisne te transferendum ad amœnum quietis locum, ad diem usque judicii extremi, unde postea in cælum evoles? hoc nescit Paulus. *Scimus*, inquit, *quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* Non novit Paulus nisi domos duas, domum mundi hujus, & domum cæli. Addit, *si tamen vestiti & non nudi inveniamur.* Nam de hominibus sanctis sermonem habet. Domus alia tertia Paulo nusquam visa est. Inferorum & purgatorii non meminit, vel quia domus non sunt, sed carceres, vel quia, ut dixi, de hominibus vestitis, id est, sanctissimis ibi loquitur. Expende quod adjungit: *Scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Quid est? Num etiam dum extra corpus est, peregrinatur à Domino, in illo scilicet jucunditatis & tranquillitatis loco? Nondum hoc Paulus a Nicephoro Xanthopulo & summis hujuscemodi magistris didicerat. Credebat tum se præsentem Domino futurum, si peregrinaretur à corpore. *Bonam*, inquit, *voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Ubi Chrysostomus hom. 10. *Non extinguit vitam nostram, qui nos oppugnat & occidit. Noli timere. Confide, dum te obtruncat: non enim solum a corruptione & gravi pondere te liberat,* ἀλλὰ καὶ τῷ κυρίῳ σε παραπέμπει ταχέως: *sed ad Dominum te confestim transmittit.* Jam postquam Paulum audiisti, ausculta Pauli magistrum & Deum. Quibus JESUM vocibus compellabat in cruce latronum ille fortunatissimus? *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum. Et dixit illi* JESUS: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Paradisum igitur latro eo, quo mortuus est, die assecutus est. Hoc pueros ipsos Græci docent in Octoecho minore: Διὰ ξύλου ὁ Ἀδὰμ παραδείσου γέγονεν ἄποικος, διὰ ξύλου δὲ σταυροῦ ὁ λῃστὴς παράδεισον ᾤκησεν. *Per lignum Adam exul e paradiso factus est: per lignum vero crucis latro in paradiso habitavit.* An solus id privilegii est adeptus? *Ascendens Christus in altum*, inquit beatissimus apostolus Eph. 4. *captivam duxit captivitatem.* Id

Explicatur qualem in paradisum beatus latro sit admissus.

eſt, veteres ſanctos patres, qui captivorum in morem in locis terræ inferioribus detinebantur, Chriſtus eduxit, cælumque cum ipſis ingreſſus eſt victor. Niſi bene explano, peſſime errant Græci in Octoecho. *O Chriſte,* inquiunt, *vitæ largitor, ſponte propter mortuos es paſſus, & deſcendens ad inferos, ut præpotens, hinc eduxiſti eos qui adventum tuum expectabant, eoſque e manu fortis eripiens, dediſti eis, loco inferorum, paradiſum incolere.* Ζωοδότα Χριστὲ, ἑκουσίως πάθος ὑποστὰς διὰ θνητοὺς, ἐν ἅδῃ δὲ κατελθὼν, ὡς δυνατὸς, τοὺς ἐκεῖ τὴν ἔλευσιν μένοντας τὴν σὴν, ἀφαρπάσας ὡς ἐκ χειρὸς κραταιοῦ παράδεισον ἀνθ᾽ ἅδου οἰκεῖν δεδώρησαι. Conſtat igitur, ſi Græcos audimus, quotquot e ſanctis hominibus Chriſtus ex inferis eduxit, id eſt, homines omnes, qui morte ſancta ante Chriſti ætatem perfuncti ſunt, in paradiſum evectos eſſe. Verum, inquit *Methodius*, paradiſus ille hoc ipſum eſt, quod amœnus ille locus quem rejicis. Unde habes ſummæ felicitatis ſedem eſſe? Quæro ego abs te, inquit *Romanus*, unde tu habes locum illum eſſe peramœnum, ubi exulant a Deo animæ, & ea, quam ardentiſſime exoptant, beatitudine carent? Cum hoc ſuum dictum probare Methodius non poſſet, voluit Romanum priore loco quod affirmarat demonſtrare, pollicitus ſe poſtea facturum ſatis. Latronis, inquit *Romanus*, orationem contemplatus Chryſoſtomus ſerm. de Chriſto & latrone, & reſponſum Chriſti admiratus, *Nullus rex*, ſcribit, *patiatur unquam hominem latronem, aut alium e famulis aliquem ſecum confidentem in urbem ingredi. At iſte hominum amantiſſimus Dominus hoc fecit: in ſacram enim ingreſſus patriam, latronem ſecum induxit.* εἰς τὴν ἱερὰν γὰρ εἰσιὼν πατρίδα τὸν λῃστὴν μεθ᾽ ἑαυτοῦ εἰσφέρει. Quem paradiſum non hic modo patriam Chriſti vocat, ſed etiam τὴν οὐρανῶν βασιλείαν, *cælorum regnum*. Et Ambroſius, *Uberior eſt*, inquit, *gratia, quam precatio: ſemper enim Dominus plus tribuit, quam rogatur. Petiit ſcilicet latro, ut ſui Chriſtus meminiſſet in regno ſuo; plus fecit, illum regni ipſius fecit compotem.* Regnum autem & patria Chriſti, niſi fallor, ſummæ felicitatis paradiſus eſt. Et vero niſi eductos ex inferis antiquos patres ad ſummam paradiſi felicitatem tranſtulit, quid adepti ſunt boni mutato loco? Cum enim a corporum

conditione immensum absint spiritus, perinde ipsis est deorsum sint vel sursum, si nihilo Deum magis intueantur. Ubicunque demum locorum sint, dum fruantur beato illo aspectu, non desinunt esse in carcere & exilio. Denique quid paradisi intelligatur nomine, Græcos ipsos volo judices. Repete quæ supra exposuimus ex ipsorum libris testimonia, quibus constat sanctorum animas in beatitatis summæ cælo positas, nullo interjecto medio in Dei vultum intueri, & divinitate perfrui. Quo sensu etiam in Paracliticis in ἤχῳ α'. τῇ β'. sic legunt: ἤδη παρελθόντες μάρτυρες τῶν πειρασμῶν τὸ ὕδωρ τὸ ἀνυπόστατον καὶ τῶν αἰκισμῶν τῶν χαλεπῶν τὸ κλυδώνιον πρὸς λιμένα σαφῶς κατηντήσατε, τῆς ἄνω βασιλείας θείας γαλήνης ἀπολαύοντες. Eodemque loci iterum: φέγγους ἀνεσπέρου μάρτυρες φωτοειδεῖς γενόμενοι, ἠξιώθητε, καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων εὐφραίνεσθε; καὶ ἀγγέλων χοροῖς ἀγάλλεσθε. *O martyres, e tentationum aqua fundo carente, & difficilium injuriarum fluctibus egressi, portum regni cælestis jam attigistis, & divina tranquillitate gaudetis, digni effecti, qui lumine illo, quod nescit occasum, illuminati fueritis, & in ecclesia primitivorum delectamini, & cum angelorum choris exultatis.* Ubinam angeli exultant, ubi est primitivorum ecclesia; ubi lumen illud quod occasum nescit, ubi denique cæleste regnum, quo jam appulisse dicuntur sanctorum animæ? Sicubi est, certe in Dei beatorumque paradiso est. Nostris nos libris, inquit *Methodius*, nimio plus torques, o Romane. At, amabo, parabola zizaniorum agri quid fiet? Hanc enim Christus edisserens, plane ostendit *in consummatione* duntaxat *sæculi* tradendos igni flagitiosos homines, probos autem in cælo beandos. Volebant servi zizania ab tritico secernere: non passus est homo, qui seminavit bonum semen in agro suo, nisi tempore messis id fieri. Messis porro tempus consum-
Matth. 13. matione sæculi definivit. *Sic erit*, inquit, *in consummatione sæculi: mittet Filius hominis angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.* Tunc, ait, in consummatione nempe sæculi. Quod si sanctos statim a morte in cælum Deus admittat, ut doces; improbos

autem peccati reos demittat in tartarum: facta secretio est, quam vetuit Deus fieri ante sæculi consummationem. Si vero, subjecit *Romanus*, sanctos statim à morte Deus in amœnum quietis locum inducat, & malos in mœstissimum carcerem detrudat: nonne peræque facta erit utrorumque ab invicem secretio discessioque? Et parabola ista zizaniorum quid fiet? Dicam, inquit *Methodius*, eodem in loco proborum improborumque animas versari atque agere permixtas, hoc uno discrimine, quod improbi perpetuo degant in mœrore, intuitu futuræ pœnæ; probi vero semper gaudeant, certi futuræ beatitatis. Ecce, reposuit *Romanus*, iterum secretionem affers, luctus gaudiique discrimine, & pessime sanctis consulis quos eodem cum improbis loco concludis & detines. Cumque sanctorum locus, vel te ipso teste, paradisus sit aliquis; nam latroni ab Christo dictum est, *Hodie mecum eris in paradiso:* necesse erit, si quis te audiat, ut sint etiam in paradiso improbi, quos tamen eduxisse ab inferis Christus non legitur, cum inde probos secum evexit. Quid ergo, inquit *Methodius*, hac Christi parabola futurum est? quid alia, ubi missis in vineam operariis tempore diverso, jubet eodem tempore mercedem tribui? Arrisit *Romanus*, &, Noli vereri, ait: parabola utraque optime futurum est. Nam primum missi diversis horis in vineam operarii nihil possunt facessere negotii. Nemo enim eorum est, qui statim ab opere absoluto non acceperit mercedem: ita nemo homo est, qui statim ab finito per mortem labore præmium felicitate summa non acquirat. Parabola vero superiore hoc tantum Christus edocet, fore ad consummationem usque sæculi, malos bonis permistos in orbe terrarum, neque futuram utrorumque secretionem, nisi in mundi occasu. *Tunc justi*, qui anima sola nunc beati sunt, *fulgebunt sicut sol*, ob assumpti corporis lucem *in regno patris eorum*. Dixi tibi quid futurum parabolis tuis: enarra tu mihi vicissim, nisi ipsa in morte hominum animæ præmio vel pœna afficiantur pro meritis, quid fiet Lazari & divitis epulonis historia: divitem enim Christus refert inferorum in flammis, ubi mortuus est, sepultum, cum jam Lazarus in

Qualis in fine mundi futura sit proborum & improborum secretio.

ſinu Abrahæ, quo deportatus ab angelis fuerat, conquieſceret. Ac ne putes repræſentari ab Chriſto futuram hominum poſt judicium commune conditionem: vel hinc deſcribi præſentem intellige, quod dives non fratres ſuos modo commemorat, tum vitam in terra agentes; ſed eorum numerum, quos moneri vult de inſtituenda ſanctius vita, ne ſecum ad ſupplicii ſui augmentum in flammas devolvantur. Atenim, inquit *Methodius*, hæc parabola eſt, non hiſtoria. Hiſtoriam eſſe Patres fere omnes inſinuant, probant non pauci: liquet & ita Græcos ſentire ex dominicæ, quæ eſt quadrageſimalis quinta, officio. Hic enim ea de divite epulone & mendico Lazaro recitantur, quæ niſi hiſtoria eſſet, minime dicerentur. Sunt etiam in ſancti hujus Lazari memoriam ædificata templa, & ipſum Chryſoſtomus aperte ſanctis annumerat homil. 71. in caput 5. Joan. *μὴ κακόν τι νομίζωμεν πενίαν. καὶ γὰρ φρονήσεως καὶ καρτερίας καὶ πάσης φιλοσοφίας διδάσκαλος ἡμῖν ἡ πενία. ἐπεὶ καὶ Λάζαρος πενίᾳ συνέζη καὶ ἐστεφανοῦτο, καὶ ὁ Ἰακὼβ ἄρτου μόνου ἐπιτυχεῖν ἐπεθύμει, καὶ ὁ Ἰωσὴφ ἐν ἐσχάτῃ πενίᾳ ἐγεγόνει, καὶ οὐχὶ δοῦλος μόνον ἦν, ἀλλὰ καὶ δεσμώτης. Ne quid mali eſſe paupertatem arbitremur: nobis enim prudentiæ, tolerantiæ & philoſophiæ totius paupertas eſt magiſtra. Quandoquidem & Lazarus vitam pauperem duxit, & coronatus eſt, & Jacob panem ſolum optabat reperire, Joſeph quoque in extremam adductus inopiam, non ſervus modo, ſed & vinctus erat.* Divitis ipſius nomen prodit Euthymius, aitque Nineuſim fuiſſe appellatum, cujus etiam domus veſtigia in hanc uſque diem Jeroſolymis videntur, & oſtenduntur peregrinis. Sed fac eſſe parabolam meram, quæ certiſſima hiſtoria eſt. Non neſcis ſic effingi ab ſapientibus viris parabolas, ut, ſi non exhibeant, quod eſt reipſa vel fuit, nihil ſaltem contineant, quod e veritate eſſe non poſſit. Quare ſi nemo, dum nunc vivimus, flammis inferis crucietur, nunquam dixiſſet Dominus divitem epulonem his torqueri pœnis, cum fratres ejus viverent, eoque eſſent rerum ſtatu, ut acta pœnitentia effugere illas poſſent. Qui enim parabolas enarrant, ſic eas recitant quaſi rei geſtæ hiſtoriam, atque ita illas concinnant apte, ut nihil præ ſe ferant quod falſi formam habeat. Quemadmo-

Divitis & Lazari parabola, rei geſtæ hiſtoria eſt.

dum si quis de filio prodigo parabolam institueret, referretque ipsum facta fame optasse saturari de ferro & saxis quæ porcis dantur in cibum; & cum domo convivioque a patre exceptus est, illum rogasse, ut his quoque epulis quinque fratres suos vita functos juberet simul adesse: merito repelleretur cum suis nugis. Neque enim porcorum cibus est ferrum aut saxa. Neque mortui homines ad edendum vel invitantur vel conveniunt. Quare nisi cruciarentur in inferno ante judicium extremum improbi, nunquam dixisset, vel in parabola, Christus divitem nunc torqueri. Parabolam hanc, inquit *Nicolaus*, audiebam nuper ex Cyrillo lib. 1. adversus Anthropomorphitas c. 16. historiam esse, sed non se tota, extitisse reipsa Lazarum & divitem Christi ætate, ut tradunt Hebræi, quorum futuram sortem Dominus, quasi si jam illam adepti essent, depingit, cum eam tamen non sint, nisi peracto communi judicio, subituri. Imo absurde facere illos scribit, qui aliquibus bonorum vel malorum operum retributionem ante factam fuisse cogitet, quam mortui ad vitam omnes surrexerint, & Christus e cælo judex descenderit. Non nego, respondit *Romanus*, ita dicere Cyrillum: at si his illius verbis pertendas evinci, ne animæ quidem hominum vita functorum factam esse retributionem; videris tu, an Cyrilli verba non satis explanata, disertissimis sacrorum codicum, & ecclesiasticorum, qui vobis in usu sunt, librorum verbis, quibus facta esse animæ retributio traditur, præponenda sint. Videris quî Cyrillum cum Cyrillo concilies, qui de exitu animæ, περὶ ἐξόδου ψυχῆς, conscriptus est, vulgoque extat typis excusus in Horologii calce. Exponit eximius ille doctor terrores illos primum, quibus afficitur anima ad aspectum terribilium, immanium, immitium, & sævissimorum dæmonum, *ὧν καὶ ἡ αὐτὴ ἡ ἰδέα μόνη, χαλεπωτέρα ὑπάρχει πάσης κολάσεως*, *quorum vel forma sola supplicio omni acerbior est.* Et in manibus angelorum, quibus ipsa detinetur & portatur sistenda judicio, ubi quidquid boni gessit vel mali, fit propalam. Deinde, *Si digna*, inquit, *extiterit, assumunt eam angeli, & ab dæmonum erepta furore, ad illud evolat gaudium, quod nulla potest oratione declarari. Si vero peccati rea comperi-*

Cyrillus secum ipse conciliatur de felicitate sanctorum.

tur, deserunt illam angeli, & nigris horrendisque dæmonibus permittitur, qui illam immisericorditer verberant, & constrictam vinculis æternis, quæ nulla vis effringat, detrudunt in terram caligine obscuram, in inferiores partes, in carcerem tartareum, ubi sceleratorum hominum qui ab ipso mundi exordio mortui sunt, animæ vinctæ in tenebris densissimis delitescunt, & pœnis perpetuis excruciantur. Illic væ, væ continuo, illic eheu, illic vociferantur, nec est qui succurrat; clamant, nec ullus est qui liberet. Non potest illa rerum angustia explicari, non possunt loquendo explanari dolores jacentium illic & conclusorum animorum: neque ullo hominum ore metus ille, & terror describi potest, neque ulla dicendi copia illorum conditio & ploratus exponi. Æternum gemunt; sed qui misereatur, nemo est. Exclamant ex imo; sed non est qui eos exaudiat. Lamentantur, nullus liberat. Invocant & plangunt: at qui commoveatur, nemo prorsus est. Hæc Cyrillus. Idemque libro 12. commentariorum in Joannis caput 19. v. 30. *Sic existimandum est, & merito valde,* ὅτι τῶν ἀπὸ γῆς σωμάτων αἱ τῶν ἁγίων ἀποδημοῦσαι ψυχαὶ, *sanctorum animas, postquam e terra velut in manus amantissimi patris excesserint, bonitati Dei ejusque misericordiæ* μονονουχὶ *commendari. Neque ut infidelium aliqui opinati sunt, circa monumenta versantur, sepulcrales expectantes inferias, neque, ut peccatorum animas, in immensi supplicii locum, hoc est, inferos detrudi,* εἰς τὸν τῆς ἀμέτρου κολάσεως καταχομίζονται τόπον; *sed potius in manus patris omnium properare & servatoris nostri Christi, qui nobis hanc viam instauravit. Tradidit enim in patris manus animam suam, ut & nos initio in illa & per illam sumpto, claras spes habeamus, firmiter sentientes atque credentes, nos carnis mortem perpessos in manibus fore Dei, & longe potiori statu, quam eramus in carne. Quocirca sapiens nobis Paulus scribit, melius esse dissolvi, & esse cum Christo.* Atque ita qui sentiat fieri in animæ exitu, an docere is potest nullam nisi peracto communi extremoque judicio boni vel mali futuram mercedem? Si nullam tradit factam hactenus, negat factam homini toti, id est, corpori & animæ: non negat animæ ipsi concessam, ut ex allatis ejus verbis mox audiebas. Negare nempe non potest, nisi tum sibi, tum aliis

patribus

patribus bellum moveat, quo bello victoria caderet. Nam quid unus adversus omnes, imo & adversum se? Si qua, inquit *Nicolaus*, patrum in hanc rem testimonia huc modo proferres, causam videreris omnino vicisse. In promptu sunt, reposuit *Romanus*. Aures præbe Chrysostomo S. Philogonium episcopum exornanti in hæc verba: *Beatum eapropter virum hunc sanctum prædico, quia etsi translatus est, & civitatem, quam nos incolimus, deseruit, transiit in aliam quæ Dei est, & digressus ab hac ecclesia, in illam pervenit, quæ est primogenitorum in cælis conscriptorum, atque his festis relictis ad celebritatem transvolavit angelorum. Quod enim sursum civitas sit, & ecclesia & celebritas, audi Paulum dicentem: Accessistis ad civitatem Dei viventis Jerusalem cælestem, & primogenitorum ecclesiam conscriptorum in cælis, & frequentiam millium angelorum. Non solum autem propter multitudinem cælestium virtutum, sed etiam propter bonorum copiam, & continuum gaudium & lætitiam, hæc omnia quæ hic sunt, celebritatem & frequentiam appellavit. Neque enim aliud solet celebritatem facere, quam multitudo convenientium, & mercium venalium copia, cum triticum, hordeum & frugum species omnes, & greges ovium, & boum armenta, vestes, aliaque id genus plurima importantur, vendentibus aliis, aliis ementibus. Sed quid horum, quæris, in cælis est? Horum nihil; sed his multo excellentiora. Non enim sunt illic triticum, hordeum ac frugum variæ species: sed illic, nempe in paradiso, ubique fructus spiritus. Gaudium, benevolentia, bonitas, pax, ac mansuetudinis summa exuperat copia. Non enim ovium greges, non boum armenta, sed spiritus justorum perfectorum, animarum virtutes, vitæque recte facta, in omni cælo videre licet: non vestes aut amictus, sed coronas quovis auro pretiosiores, tum bravia certaminum præmia, aliaque bona innumera iis reposita, qui recte fecerint. Ad hæc, ibi est multitudo congregatorum longe tum copiosior, tum honoratior. Neque enim constat ex hominibus urbanis indigenisque; sed hic sunt angelorum & archangelorum infinita millia, illic sodalitia prophetarum, apostolorum ordines, cunei justorum, omnium qui fortiter rem gesserunt, varii cœtus. Profecto miranda panegyris est. Jamque id sane majus est omnibus, quod in media frequentia versatur horum omnium rex. Etenim*

Serm. de S. Philogon. episc.

ubi dixit Paulus, Accessistis ad innumerabilium angelorum frequentiam; subjecit, & ad judicem universorum Deum. Quis unquam vidit in hominum celebritate prodeuntem regem? Hic quidem nemo vidit. Illic autem qui adsunt, perpetuo vident, quatenus illud videre licet, non solum præsentem, sed etiam gloriæ suæ splendore condecorantem universum cætum. Et nostræ quidem celebritates sub meridiem plerumque solvuntur, illæ vero non item. Non enim mensium in orbem recursus, neque annorum circuitus, neque dierum numerum expectat, sed stat perpetuo, illiusque bona finem non habent, nec senescere possunt, nec marcescere. Nullus illic, ut hic, tumultus, nulla perturbatio, sed ingens omnium cum ordine decenti compositio, haud secus atque in cithara quadam, modulatissimum concentum, & quavis musica suaviorem reddentium utriusque creaturæ Domino, dum anima illic velut in sacris adytis divinisque mysteriis divinorum arcanorum mystagogiam peragit. Ad hanc beatam requiem transiit hodie B. Philogonius. Hactenus Chrysostomus. Nihil, inquit *Nicolaus*, hoc testimonio majus: quam enim accurate summam paradisi beatitudinem, quam aureo divinus ille magister ore depingit! Atque illam B. Philogonium dicit non assecuturum in mundi fine, sed hodie, cum mortuus est, assecutum. Chrysostomo, inquit *Romanus*, adjungo Gregorium Nyssenum in orat. funebri de Placilla imperatrice. Sic loquitur: *Quid molestum & acerbum est, si a vitæ malis beata illa segregata est, & abjectis, ut peste quadam, corporis sordibus pura anima ad immortalem & incorruptam vitam transiit...... Aufugit illinc, ut inquit propheta, dolor*
Esa 35. *& molestia & gemitus. Pro his vero quid? indolentia, beatitas, liberatio ab quocunque malo, angelorum consuetudo, invisibilium contemplatio, societas cum Deo, lætitia finem non habens. Nunquid igitur luctu prosequi reginam decet, cum intelligamus quæ quibus commutaverit?* κατέλιπε βασιλείαν γηίνην, ἀλλὰ τὴν οὐράνιον κατέλαβεν. ἀπέθετο τὸν ἐκ λίθων στέφανον, ἀλλὰ τὸν τῆς δόξης περιεθήκατο. ἀπεδύσατο τὴν πορφυρίδα, ἀλλὰ Χριστὸν ἐνεδύσατο. *Reliquit regnum terrestre, sed cæleste assecuta est: deposuit coronam lapidibus ornatam, at gloriæ coronam sibi circundedit: exuit purpuream vestem, sed Christum induit. Hoc est vere regium ac pretiosum indumentum. Hanc, quæ hic est, pur-*

puram audio conchæ cujuſdam marinæ ſanguine rubeſcere, at purpuræ ſupernæ Chriſti ſanguis ſplendidum colorem dedit, &c. Brevius idem, at diſertius in funere magni Antiochiæ epiſcopi Meletii. *Non amplius*, inquit, *ſigno & umbræ cæleſtium ſervit, ſed in ipſam rerum imaginem intuetur: non amplius per ſpeculum & ænigma*, ἀλλ' αὐτοπροσώπως ἐντυγχάνει θεῷ: *ſed ipſe facie ad faciem verſatur & colloquitur cum Deo*. Baſilius vero Gregorii hujus Nyſſeni frater homil. in Gordium martyrem, Gordium ſcribit tanta animi alacritate properaſſe ad pœnam, ut non lictorum manibus, ſed angelorum videretur tradendus. οἳ εὐθὺς αὐτὸν μετὰ τὴν σφαγὴν παραλαβόντες πρὸς τὴν μακαρίαν ζωὴν μετέθηκαν ὥσπερ τὸν Λάζαρον. *Qui angeli illum poſtquam interemptus eſt, ſubito excipientes ad beatam vitam ut Lazarum tranſtulerunt.* Præclara quoque Ephræmi Syri ſententia eſt in ſerm. de iis qui in Chriſto obdormierunt. *Emigrarunt*, inquit, *a nobis, qui bene & ſancte ad Dominum profecti ſunt: reliquerunt nos orphanos, & ad propriam patriam abierunt: reliquerunt corruptionem, & ad immortalitatem conceſſerunt: mundo occubuerunt, & apud Chriſtum exorti ſunt: e terra exierunt, & jam ſupernam Jeruſalem inhabitant: vitæ præſentis vanitatem reliquerunt, & ad ſupernam beatitudinem pervenerunt.* Hic Romanum interpellans *Ignatius*, Dies, inquit, te deficit tam copioſe diſſerentem, nec advertis. Patere, ſubjecit *Methodius*, patere, abſolvat: & quod ſpectat quidem ſanctiſſimos patres noſtros; quos appellavit ex iis teſtes, hos habemus ſatis: at graviſſimus hinc exiſtit nodus, vobis exolvendus. Nam ſi jam adjudicata felicitas illis eſt qui eam ſunt promeriti, & pœna æterna flagitioſis hominibus; jam quoque peractum ſit neceſſe eſt judicium: adeoque vel nullum erit finiente mundo, quod futurum ex evangelio docemur; vel cum erit, fruſtra omnino eſt futurum. Peractum eſt, reſpondit *Romanus*, in cujuſque morte judicium unum, fiet aliud in mundi fine. Commune & extremum hoc quidem, cum primum cujuſque proprium ſit & privatum. Neque Græcis ignota ſunt ambo illa judicia. Nam primum illud quod mortem excipit, Paulus indicat Hebr. c. 9. *Statutum eſt*, inquit, *hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judi-*

Cur peracto privato judicio cujuſque in morte, futurum ſit commune aliud in mundi fine.

cium. Non dicit, post hoc autem ſedere in quietis vel perturbationis loco; ſed cum morte judicium copulat. Et ejus Eccleſiaſticus meminit cap. XI. antea laudato: *In fine hominis denudatio operum ejus.* Et codices evangelii pariter, cum nos vigilare præcipiunt, ne Filius hominis, qui ea venturus eſt hora, quam neſcimus, incautis adveniat. Denique Apoc. liber c. 20. ubi vinculis adſtrictum ſatanam ad mille annos, id eſt, ad mundi uſque finem memorat, quo tempore verſantur cum Chriſto ſanctorum animæ, & vivunt & regnant; quæ prima quædam reſurrectio eſt: ſolvendum vero ſatanam in fine mundi, ſeducendas gentes, orbem igne comburendum, futuram omnium reſurrectionem & judicium commune. Deſcribunt judicium illud privatum Græci paſſim, in officio quod ἀκολουθίαν εἰς ψυχοῤῥαγοῦντα appellant, tumque legunt, cum æger in moriendo graviter luctatur, & ingenti premitur anguſtia, ſic aiunt: ἰδοὺ ἄγγελοι στέρξαντες ἀπέσπασαν τοῦ σώματος δεινῶς ἄφνω ἀθλίαν ψυχὴν, καὶ ἀπάγουσι πρὸς κριτὴν φρικτὸν καὶ φοβερόν. *Ecce angeli miſeram animam vincientes, illam repente & immaniter evellunt e corpore, & ad terribilem formidandumque judicem abducunt.* Et in Octoecho minore ſono I. ſic virginem Deiparam ſolent orare: ἐν ὥρᾳ μοι τῇ φοβερᾷ τοῦ θανάτου σὺ ἐξάρπασον κατηγορούντων δαιμόνων καὶ πάσης κολάσεως. *In hora mortis tremenda ab accuſantibus diabolis omnique pœna me libera.* Vides, & audiebas etiam modo ex Cyrilli ſermone περὶ ἐξόδου ψυχῆς, *de animæ exitu,* hominem in ipſa mortis hora, cum ab diabolis accuſari, tum ab judice ſummo Deo pœnis addici. Ephræmum Syrum hic nequeo miſſum facere: id enim quam explicatiſſime docet in libro de beatitud. *Beatus,* inquit, *quicunque in illa hora emigrationis, quando cum timore atque dolore anima ſeparabitur a corpore, fiduciam repererit. Venturi enim ſunt angeli, qui animam a corpore jam ſeparatam, accipiant, ſiſtantque ante tribunal immortalis ac tremendi judicis.* Quid ergo juvat, ait *Methodius*, quid juvat commune judicium, poſtquam privato illo tulit quiſque quod erat ſuum; & pœna impiis, juſtis vero gloria decreta eſt & tributa. Multas tibi rationes, inquit *Romanus*, paucis offero, quas tecum expendas otioſius. Neceſſe eſt commune illud

haberi judicium, ſive Chriſti, ſive proborum hominum, ſive improborum jus & merita expendas. Debetur hoc Chriſto, quo ab omnibus agnoſcatur omnium Dominus & Deus; quo palam ipſe omnibus faciat, quantum uniuſcujuſque cauſſa, ut ſalutem aſſequeretur, egerit, miris & variis modis; quo denique plenam amoris infiniti & immenſæ ſapientiæ in adminiſtrandis rebus humanis Dei providentiam demonſtret, quam ſuſpicere noluerunt, & ſuſcipere tot homines cæci ac perfidi, de qua dubitarunt tot alii, quam fere nullus pro meritis vel agnovit, vel adamavit. Neque par eſt communi illo judicio carere ſanctos. Decet enim, ut qui unius amore Dei tam præclare, ſed tam occulte, dum viverent, egerunt, eorum tum merita appareant & celebrentur, ut quos mundus deſpexit, atque odio habuit, eos tandem admirationi habeat mundus & revereatur; ut in omnium oculis gloriæ coronam accipiant. Etſi enim ſtatim a morte reges fuerint, & regio palatio excepti, nec defuerit corona, regiiſque opibus ac deliciis abundaverint, dilata ſolennis eſt coronæ impoſitio, dum fiat celeberrimus hominum omnium ad judicium conventus. Quo more videmus hic, eos qui regiam dignitatem vel reipublicæ ſuffragiis vel hæreditatis jure ſunt conſecuti, non coronari, ſed deſtinato quodam poſtea tempore, quo major erit magnatum frequentia, celebritaſque populorum. Debuit & ſceleratorum quoque hominum habita ratione, commune illud inſtitui judicium, ut revelentur omnibus omnia illorum vel occultiſſima flagitia, & qui pudorem omnem exuerunt ad peccandum, pudore omni ſuffundantur ad ſupplicium: ut viſa ſanctorum vel exteriore gloria, unde exciderint intelligant, factaque ſui & illorum comparatione magis ac magis excrucientur; ut denique omnes agnoſcant, quam merito pœnis adeo acerbis æternum damnentur. Deus bone! exclamavit *Nicolaus*, quo me terrore percellis vel hac levi quam facis judicii mentione? quid tum futurum, cum erit reipſa? Qui nunc illius concutiuntur timore, reſpondit *Romanus*, non habebunt tunc quod reformident. Eſt enim parens ſapientiæ timor ille, quam qui habet, & Chriſtum qui ſapientia ipſa eſt, habet, nec ab illo judican-

dus est, sed cum illo judicaturus. Sed ut bene sumus ab Ignatio commoniti, effluxit dicendi tempus, satiusque est hic sermonem incidere, quam vestram infringere in audiendo patientiam. Nihil prætermissum ab iis qui aderant, quo illum ad prosequendum cogerent: sed inclinante ad occasum sole, rogavit, ut quod supererat, aliud in tempus concederent differri.

DIALOGUS VI.

Ejusdem argumenti consecutio.

HOc ipso die peracta cœna, & absoluto pro consuetudine divini officii penso, convenerunt ad Nicolaum abbatem religiosi monachi, postularuntque, ut in communem cœtum Francos sacerdotes adduceret, ab quibus quod supererat e pomeridiana disceptatione, audirent. Annuit eorum votis venerandus abbas. Cumque venissent & assedissent Franci, Vereor, inquit, patres ornatissimi, ne molestior vobis accesserim; sed audiendi cupiditatem sic accendistis in nobis, ut temperare illi vix possimus. Pauca vobis, nisi fallor, dicenda restabant, cum ex horto abcessimus; ea ut nunc exponatis, optamus omnes & obtestamur. Non supererant sane multa, reposuit *Romanus*, quia omnia vobiscum quasi compendio dicimus. Mihi hoc videbatur non injucundum fore, si depromerem exempla vobis nonnulla, quo ex rerum gestarum fide allatis argumentis robur accederet. Enimvero accedet, ait *Methodius:* si habes delapsos e cælo homines, qui testes adveniant concessæ jam sibi beatitatis; si emerserint ab inferis aliqui alii, qui se illic torqueri affirmaverint; nullum mihi erit argumentum luculentius. Ad sanctos, inquit *Romanus*, quod attinet, habemus & ascendentes in cælum, & a cælo descendentes, quorum est e numero tum sanctissimus ille latro, quem Christus socium mortis habuit & gloriæ; tum beatissima illa captivitas, quam ascendens in cælum captivam duxit, & æterna libertate ac felicitate donavit. Joanni Evangelistæ cum ageret in vivis, & exul in Pathmo insula

degeret, apertum est cælum, Apoc. 4. & 6. Tum visi ante thronum Domini, circumque sacerdotes XXIV. illi scilicet qui in sanctis hominibus merito præcellunt & gloria. Sedebant ipsi quoque in thronis, induti candidissimis vestibus, & coronis aureis in capite ornati. Sanctorum etiam, qui occisi sunt propter Dei verbum, animæ ostensæ. Illæ sub altari positæ vehementi voce sanguinem suum de iis qui habitant in terra, vindicari efflagitabant. Permirum, inquit *Methodius*, harum te animarum meminisse: nihil enim æque adversariis tuis favet, atque quod loco Apocalypsis citato de iis scribitur. Vindictam enim illam cum exposcerent, id tulerunt responsi: *Quiescerent adhuc modicum*, (sub altari scilicet, quo amœna nostra quietis sedes exhibetur) *dum compleantur conservi eorum & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.* Ecce dilatam impiorum pœnam, dum electorum compleatur in sæculi consummatione numerus. Interea acceperunt singulæ *stolas albas*, arrham nempe & securitatem futuræ beatitatis. Fateor, inquit *Romanus*, animas illas fortunatissimas sub altari quiescere. Sed altare illud in medio paradiso positum esse, quis neget? Imo esse ante ipsum Dei thronum Joannes asserit c. 8. in excelsissimo scilicet paradisi loco. Jam vero altare illud in cæli altissima parte coram Deo collocatum, quidnam est, nisi locus ille ubi agnus stat, qui *occisus ab initio mundi* dicitur? *Vidi*, inquit Joannes c. 5. *& ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum.* Et cap. 8. ait super altare illud deferri atque deponi orationes sanctorum, id est, in manus Christi JESU, qui cum mediator sit & sequester, eas Deo Patri cum suis offert. Addit Joannes: *Et accepit angelus thuribulum, & implevit illud ex igne altaris, quem misit in terram.* Qua dicendi formula terribilem amantissimi Domini furorem in sceleratos homines effundendum indicat. Unde facile intelligas altare illud cæleste, sub quo beatæ animæ requiescunt, eum esse ipsissimum locum in quo Christus est: qui locus felicitatis totius oportet sit sedes. Hic constitutæ sanctorum animæ stola induuntur alba, quæ gloriæ vestis est & summæ beatitatis. Idque ante commune judicium. Vindicari enim san-

guinem suum poscunt de iis qui habitant in terra. Neque futura hæc vindicta dicitur die illo mundi extremo, sed paulo post, cum scilicet fratres alii martyrio destinati mortem obierint. Vel si tum temporis dici futuram pugnes, non repugnabo admodum: quia tunc in resumptis corporibus tyranni ac carnifices acerbius torquebuntur, quam martyres invictissimos cruciaverint in suis. Constituuntur autem animæ illæ beatæ sub altari, tum ut eas subesse Christo & inferiore loco stare, tum ut omnem beatitatem suam ab immolato Christo in ipsos derivari doceamur. Abstrusissima sunt, inquit *Nicolaus*, quæ hoc sacro Apocalypseos libro traduntur, & ad suam invertere quisque sententiam non ægre potest. Sed age, captu propiora, quæ promisisti, ex annalibus ecclesiasticis depromе exempla. Offero primum, reposuit *Romanus*, quæ recitatis die assumptæ in cælos Deiparæ. Hanc enim sanctissimam Virginem corpore & anima creditis in paradisum evectam, Filio assidere proximam, & angelis omnibus, ut merito, sic gloria superiorem cælo terrisque imperare. Lege librum illum concionum Arabice conscriptum, quem Græci Athanasio cuidam Hierosolymitano patriarchæ tribuunt: lege ubi de B. Virginis dormitione sermonem habet, & hinc pete clarissima in hanc rem testimonia. Quoties optima illa non Christi modo, sed etiam nostrum omnium mater, suis visa est in hora mortis de cælo descendere, quo eos secum in æterna gaudia induceret. Florebat in Italia sæculo XIII. vir non miraculorum minus, quam virtutum gloria insignis, Nicolaus a Tolento. Is XIV. ineunte obiit, anno scilicet post natum Christum M. CCC. VI. Instante morte cœpit incredibili perfundi lætitia, & quantum per vires licebat, gaudentis & exultantis animi voces emittere. Gaudii caussam sciscitantibus fratribus, Caussa est, respondit, quod hic mihi Christus adest, seque cum sanctissima Maria matre, beatoque patre Augustino dedit aspectabilem, hisque me vocibus suavissime compellant: *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Tum conversus ad Christum, subjecit: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Nec plura, & animam efflavit. Hoc exemplum eo protuli libentius, quod etiam-

etiamnum vir ille sanctissimus miraculis fulget, nec ita pridem tanta ex ejus brachio sanguinis copia profluxit, ut eo sacrata, qua continetur, arcula fere compleretur. Advertis virum illum beatissimum ipsa mortis hora in Domini gaudium intravisse. Martham item Lazari sororem, Annales referunt, octo ante obitum diebus angelos aspexisse, cum sororem suam Magdalenam in cælum inferrent: quo dierum octo elapso spatio, cum ageret ipsa spiritum, Christum vidit, ab quo amicissime his verbis in beatam evocabatur patriam: *O quæ me tuo in terris excepisti olim castello, veni, te meo vicissim excipiam in cælis.* Exemplum utrumque Reybadeneyra accuratissimus scriptor ex probatissimis autoribus descripsit. At memorandum est quod affert Nicephorus vester eccl. Hist. suæ l. 8. c. 23. cum e CCCXVIII. patribus episcopi duo ante decessissent, quam Nicænæ synodi subscriberetur decretis. Illa postquam sanctissimi Patres obsignarunt manu propria, sese ad eorum sepulcra contulerunt, sicque illos sunt obtestati, ut *quoniam nullo interposito obice Trinitatis splendorem jam intuebantur clarius, dignarentur synodo secum, adscriptis suis etiam nominibus, assentiri.* Ac relicto hic libello abcesserunt. Postridie cum ad sepulcra conventum est, in libello recentes adhuc ipsorum subscriptiones subscriptionibus patrum aliis in hæc verba invenerunt insertas: *Chrysantus & Musonius qui cum patribus omnibus in sancta prima œcumenica synodo consensimus, quamvis corpore translati, manu tamen propria, nos quoque libello subscripsimus.* Vis recentiora? Vixit superiore sæculo Petrus ab Alcantara austerioris disciplinæ, & sanctimoniæ fama celeberrimus monachus, e religiosa S. Francisci Assinatis familia: is cum morbo illo, quo e vivis sublatus est, decumberet, ab sanctissima sæpe Virgine, sanctisque Joanne evangelista & Alberto invisebatur, tantoque ejus cubiculum emicabat undique lumine, ut ingredi fratrum nemo tum auderet, sed ad januam qui stabant, summa cum voluptate divinis illius colloquiis fruebantur. Tandem ille morti proximus, genua inflectens cœpit psalmum hunc, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, In domum Domini ibimus*, suavissime decantare, ac fratres admonens intueri se in B. Virginem & san-

Q

ctiſſimam Triadem, ſuamque ab illis mox excipiendam animam, effulſit in ejus vultu lux tam vegeta & rutilans, ut defigi in ipſum vix poſſet obtutus: qua in luce tranſvolavit ad æternam. Atque eo temporis puncto, & in ipſo, ut ſic loquar, ſuo in paradiſum volatu S. Thereſiæ viſus eſt plenus admirabili gloriæ ſplendore; illamque allocutus; *O felicem*, inquit, *pœnitentiam, quæ mihi tantam a Deo gloriam promerita eſt.* Neque tum modo, ſed alias ſæpius beatæ illi virgini plenus cæleſti gloria apparuit, & cæleſtibus eam conſiliis inſtruxit. Quod quidem ipſa ſcripto conteſtata eſt. Thereſiam autem teſtem cum nomino, virginem appello ſumme a Deo dilectam. Hujus etiamnum corpus, poſt annos a morte centum, incorruptum ſuaviſſimo liquore & quaſi ſanguine diffluit, quo multa ad Dei laudem & mortalium ſalutem miracula effecta ſunt. Patere, inquit *Nicolaus*, abs te quæram Petri illius ſanctiſſimi monachi, quænam eſſet pœnitentia. Vix credas, repoſuit *Romanus*, quæ teſtes omni exceptione majores affirmarunt. Annorum XL. ſpatio vix diebus ſingulis horam unam & dimidiam ſomno dedit; neque dormiebat proſtratus: cellulam enim incolebat, quæ pedes quatuor ſua vel longitudine, vel latitudine non excederet. Nudo & aperto ſemper capite, diu noctuque, etiam frigidiſſima hieme annos ſeptem & quadraginta permanſit. Cilicium quo induebatur, ferreum per annos XX. nunquam depoſuit. Jejunium & orationem ſic coluit, ut nihil admirabilius. Sed nihil iſta ad propoſitam quæſtionem. Alia exempla narro. Illuſtre eſt quod deſcribit Græcus autor Simeon Metaphraſtes de SS. Juliano Antiocheno & Baſiliſſa ejus uxore virgine. Poſt Baſiliſſæ obitum, cum varia & immania Julianus tormenta pertuliſſet Chriſti & religionis cauſa, dejectus eſt in carcerem obſcœnum cum fidei & conſtantiæ ſuæ ſociis, ubi cum Dei laudes pernoctando concineret, duplex illi chorus apparuit. Adduxerat ad Chriſti cultum milites viginti, quos ſeptem fratrum opera Antonio ſacerdoti abluendos ſacris baptiſmi aquis tradiderat. Illi jam martyrio cum fratribus ſeptem defuncti, & gloria cæleſti donati, immenſa luce in carcerem delapſi ſunt, & ex parte altera virgines numero magno

Basilissa duce splendidis omnes indutæ vestibus, eratque vox una omnium plenissima suavitatis *Alleluia, alleluia.* Tum Basilissa Julianum allocuta, monuit certaminum esse finem, apertum ipsi jam cælum & apparatam coronam; expectare sanctos & adesse, ut ipsum exciperent. Juliani istius, inquit *Ignatius*, patria Antiochia perinsigne exemplum aliud mihi in memoriam revocat. Grassabatur in Antiochiæ finibus prædo famosus Jonathas. Cum eum insequerentur prætoriani milites, nec jam haberet quo evadederet, ad columnam S. Simeonis Stylitæ se recipit, eamque amplexus Simeonem obtestatur ipsum non tam e satellitum, quam e Dei vindicis manibus eriperet, cujus in se districtam iram reformidabat. Quærenti sanctissimo Stylitæ, an ipsum ex animo factorum pœniteret, paratusque esset pœnam flagitiis consentaneam in se admittere, cum affirmando respondisset, pervenerunt ad cœnobium milites, & Jonatham sibi tradi postularunt. Vidit illos e columnæ fastigio Simeon, exclamavitque non vocante se, sed adducente Deo huc venisse Jonatham, & columnam tenuisse: ingrederentur, si ita luberet, at caverent sibi ab ira divina. Veriti milites, abscesserunt. Jonathas interea septem ipsos dies noctesque totidem adhæsit columnæ, magna lacrymarum vi peccata eluens, sic, ut dolore confectus & exhaustis plangendo viribus, Simeonem alloquens, *Sine*, inquit, *pater optime, sine me hinc abire. At, fili mi*, respondit Simeon, *vide ne si discesseris, pristinam agendi viam repetas. Noli vereri, mi pater*, subjecit Jonathas: *hoc eo dico, quia Deus, cujus erga me singularis est clementia, mihi significavit factum sibi pœnitentia mea satis, & ecce ecce Dominus meus Christus* JESUS *ad sese me vocat; vocantem sequor.* Hæc cum diceret ardentissimo pectore, animam efflavit, quam asseruit B. Simeon vidisse se Domini manibus exceptam, & magno angelorum stipatam numero conscendere in cælum. Sic memorat in S. Simeonis vita doctissimus Rosweidus. O quantum, exclamavit *Nicolaus*, o quantum afferunt solatii hæc exempla! Patere, inquit *Romanus*, unicum nunc adducam quod afferat terrorem, sitque contestatissimæ veritatis. Scripsit illud S. Bonifacius Germaniæ apostolus epistola

In vita S. Simeonis, apud Rosweid.

ad Aldeburgium secunda. Cum vacaret eximius ille vir propagandæ apud Germanos fidei, revixit a mortuis quidam, & admirabilia quæ viderat & didicerat bene multa, Dei permissu narravit. Ac ne cui dubia essent quæ referebat, se Dei nutu iterum vixisse, eaque accepisse se divinitus, cum multis argumentis, tum hinc ostendit, quod nonnullis quæ clam ac nullo teste peccaverant, aperuit, ac Ceelredi Merciorum tyranni necem prædixit. Hunc, cum ad se accersivisset Bonifacius, jussit quæ mortuus viderat, candide ex veritate prodere. Morem, inquit, imperanti tibi non possum non gerere. Verum heu! quam discrepant viventis & mortui hominis cogitata & judicia! Cum discessit e corpore anima, tum is me stupor invasit qui hominem occuparet, si cæcus ab ortu multis post annis admirabilem mundi ornatum, & rerum tam variatum pulcritudinem claris apertisque oculis intueretur. Vix mihi punctum visus est orbis universus, nihil illo depressius & vilius. Mox Christus adfuit comitantibus infinito numero angelis: & apparuerunt parte ex altera vultu deformi & ad horrorem immittendum composito dæmones. At ex quo corpori reddita est anima; subobscure & quasi per caliginem hæc inspicio. Ecce tibi hoc ipso puncto temporis accesserunt ex totius orbis partibus mortuorum animæ numero tanto, quanto mortalium nemini veniat in mentem. Habita est de singulis severa quæstio, & accuratissimo examine omnia expensa atque dijudicata sunt. Animæ paucæ statim conscenderunt in cælum: nonnullæ purgantibus flammis damnatæ quibus expiarentur, & dignæ purissimi loci ingressu & promissa felicitate fierent: innumeræ in subterraneas specus & immanes puteos, unde terribiles flammæ erumpebant, detrusæ sunt. Horrendum est quanta acerbitate distraherentur a dæmonibus. Ah! qui tum clamores & ejulatus! Pavebam ego interim supra modum omnem: cœperant enim accusare me diaboli. Passus omnes meos, verba & cogitata singula, nedum facta, habebant in numerato. Urgebat me quovis actore vehementius accusatrix conscientia. Quod mihi, dum viverem, vix erat levissimæ culpæ loco, videbatur tum mihi flagitium ingens, immane,

Caussinus in Aula sancta.

atrox. Erat tunc in vivis homo, cui olim intuleram vulnus, illic, quo modo nescio, adfuit, & vindictam exposcebat effusi sanguinis. Prope excideram spe omni, cum custos angelus in meam defensionem surrexit, &, quæ feceram opera bona nonnulla, coram protulit: quorum intuitu, haud scio an provocatus secundum misericordiam suam magnam, Dominus concessit meum ut corpus repeterem, & exurgerem ad vitam, multis exemplo meo profuturus. Horrebam ad aspectum corporis jam fœtentis ac putrescentis. Nec pudebat mediocriter propter hoc fœdissimum cadaver, ejusque sordidas voluptates a Deo me toties defecisse, decidisseque e cælo. Ubi conjuncta iterum corpori anima fuit, steti septem ipsos dies stupore defixus, sicque conatus sum peccata deplangere, ut præ doloris acerbitate lacrymatus sim sanguine, cum nihil esset quo dignius scelera mea deflerem. Sic audivit ab redivivo homine Bonifacius, ita descripsit. At si vultis eorum exempla qui ex ipsis gehennæ ignibus mortales divino jussu monituri accesserunt, illa ex eo libro petite quem Agabius vir Græcus edidit, & peccantium salutem dixit. Omnium nunc teritur manibus vulgari idiomate Græco & Arabico. Erat in religiosorum cœtu sacerdos quidam inter suos pro ætate non indoctus. Is Bonifacii historiam cum audiit, Methodium intuitus, Si veritatem, inquit, habet illa narratio, habet quoque Francorum de purgatorio sententia, quam etsi non plane rejicis, vidi te tamen identidem vocare in dubium. Hæc non alta admodum voce protulit, audiit tamen ob vicinitatem loci *Ignatius*, & ait: Quin veritatem hæc historia habeat, nemo vocet jure in dubium; qui illam ab doctissimo sanctissimoque antistite conscriptam esse noverit. Sed ut veritatem non haberet, (neque enim in exemplis istis, etsi minime dubia sunt, vim facimus, qui certissima autoritate nitimur, & rationum pondere nostra omnia volumus æstimari) ut, inquam, veritatem non haberet quod ex divinissimo viro Germaniæ apostolo recitavimus; haberet tamen Francorum de purgatorio sententia, quæ ipsissima Græcæ ecclesiæ sententia est. Ecce, inquit *Romanus*, nova se offert ad differendum quæstio; sed amplissima est, nec eam patiuntur an-

gustiæ temporis pertractari. Vereor autem ne si de illa incipimus dicere, protrahatur ad multam noctem collocutio, & mihi videntur, nisi fallor, omnium nostrum oculi somno graves. Quare cum bona vestra venia discedamus; & crastina die, sacro peracto, dictoque vale inchoatam peregrinationem, juvante Deo, persequemur. Hoc vero ut fiat, patres optimi, inquit *Nicolaus*, non concedam volens, nec patiar, si me auditis, abire vos, dum quæsitis nostris omnibus feceritis satis. Capiendi somni gratia excedamus, sed memineritis vobis die crastina de purgatorio esse dicendum.



DIALOGUS VII.

De purgatorio.

EXISTIMARUNT e Græcis quidam Latinos sacerdotes ea de causa recedere die proxime præterito, & inchoatam peregrinationem prosequi statuisse, quod minus parati essent ad solvendam quæ proposita fuerat de purgatorio quæstionem. Nam quid est, inquiebant, quod religiosi illi viri, qui tam lubenter, imo tam cupide, tamque copiose superioribus diebus disputarunt, cum de purgatorio dicendi oblata ipsis occasio est, non urgebant pro more suo, ut dicerent; urgebant ut abirent. Nolite, reponebat *Methodius*, ita suspicari: novi ego hujusce potissimum religionis viros; vel in gravissimis difficultatibus non hærent: quî hærerent in re perfacili, in qua vix quidquam est Græcos inter Latinosque controversiæ? Non nescio esse e nostris qui litem Francis de purgatorio moveant: sed pudet me profecto, cum ipsos audio, eorum vel ignorantiæ vel contumaciæ. Ego tamen, si ita lubet, obstinabo consulto animum, & Latinos sacerdotes, quo potero conatu, exercitationis gratia exagitabo. Propositum placuit: atque ubi primum hora data convenerunt Latini, post datam ac redditam ex lege urbanitatis salutem, sic dicere *Methodius*, exorsus est: Maximas habemus, agimusque vobis gratias,

venerandi patres, quod votis noſtris annuiſtis, & cohoneſtare aliquot adhuc dies cœnobium noſtrum præſentia veſtra, nobiſque veſtra prodeſſe doctrina placuerit. Sed quoniam verſari apud nos perbrevi tempore ſtatuiſtis, curare noſtrum eſt, ne ulla nobis hora effluat ab percipiendo fructu vacua. Agite ergo: & quandoquidem pronuntiaſtis heſterna die, non aliam eſſe eccleſiæ Græcæ atque Latinæ de purgatorio ſententiam; tam gratum erit auditu nobis, quam arduum vobis demonſtratu, cum ne purgatorii quidem nomen uſquam uſurpari apud nos in aperto ſit. Sic convenerat Romanum inter & Ignatium, ut reſpondendi partirentur vices, & alteri alter ſuccederet. Reſpondit igitur *Ignatius* ſuo ordine, &, Nihil intereſt, inquit, quod vocem illam purgatorii non uſurpant veſtri, ſi tenent rem ipſam. Conſtabit tamen paullo poſt, utrumque vobis in uſu eſſe: ſed in rem ipſam prius intueri neceſſe eſt. Quæ ſi eadem apud Græcos Latinoſque probata ſit, patiemur illam ab unoquoque, quo libuerit nomine, appellari. Sic quia inter nos plane convenit de re ipſa euchariſtici ſacrificii, ſinimus Græcos illud λειτουργίαν dicere, & Græci illud æquiſſime ferunt ab Latinis *miſſam* nominari. Probavit id reſponſi Methodius, neque ſe altercaturum de nomine promiſit, ſi res ipſa appareret. Ita ſe res habet, inquit *Ignatius.* Triplex eſt hominum e vivis demigrantium conditio: alios enim, & heu! quam multos peccatorum gravium reos, ac minime pœnitentes facti mors invadit, hoſque nobiſcum Græci ſentiunt ſtatim ab obitu tradi in dæmonum manus, in æternitatem omnem cruciandos pro merito. Aliis mors advenit bene ab gratia divina comparatis, cum puri ſunt ab omni labe, Deoque, quod debent pœnarum, ſponte perſolverunt; & illos conſenſu uno Græci Latinique profitentur ſumma continuo felicitate, quæ quidem ad animam ſpectet, donari. Jam tertium quoddam hominum genus eſt, quos mors occupat vel nondum ab omni peccatorum levium labe purgatos, vel nondum ab pœnæ perſolvendæ debito plane abſolutos. Purgari illos poſt vitam exolutis pœnis tradit tum Græca, tum Latina eccleſia, & ab peccatorum ſordibus, meritaque perpeſſione eximi Chriſtianorum precibus paſſim

Triplex morientium hominum ſtatus.

edicit. Latinorum, inquit *Methodius*, ſic ſentire eccleſiam tibi aſſentimur: Græcam hac verſari in ſententia, niſi neceſſariis efficias argumentis, negabimus. Quæ enim refers de tertio illo hominum genere, ea Græci repudiant. Tria dixi, ſubjecit *Ignatius*, quæ haud ſcio an Græcorum ullus negare poſſit. Primum eſt, excedere e vita nonnullos, quibus etiamnum adhæret leviorum peccatorum macula, quod ſcilicet peccata illa numero infinita (*ſepties enim in die cadit juſtus*) vel non depoſuerint confitendo, vel non ſatis defleverint. Alterum eſt, aliquos ſic morte perfunctos, ut, cum dignis pœnitentiæ fructibus ſatis Deo non fecerint, dum viverent, debitas mortui pœnas dependant. Tertium vero, iis tum peccatis, tum pœnis illos abſolvi, cum pro ipſis preces fundimus, & offerimus ſacrificia. Eſtne in Græcis, cui hæc non veriſſima videantur? Erunt forte, inquit *Methodius*, qui poſt mortem ſupereſſe negent peccata ulla, niſi graviſſima illa, quæ homines inferis damnant, neque poſſunt vel æternis flammis abſumi. Ex ipſis, reſpondit *Ignatius*, confutabo illos eccleſiæ Græcæ libris, quos habent verſantque continuo in manibus. In his multæ continentur orationes, quibus ab Deo efflagitant, ut defunctis peccata condonet. Peccata igitur habent quorum poſſit dari venia. Nam quemadmodum inepte & ſacrilege aliquis à Deo poſtularet, ut B. Deiparæ aut S. Petro peccata remitteret, quia uterque pura mente eſt, & culpa vacat: Petro enim quod deliquit, remiſſum eſt; & Virgo Dei mater nullius unquam labe delicti polluta eſt. Ita ſi, qui vita functi ſunt, carent omni peccati nævo, fruſtra & ſtulte ab Deo petitur, ut illis peccata dimittat, cum nulla habent, quibus poſſit venia impendi. Jam quoties Græci veniam hanc peccatorum mortuis efflagitant? Paraclitica aperi. Librum accepit aperuitque *Ignatius*, & occurrit quod in ἤχῳ πβ΄. in hunc modum ſabbati die legitur: ἀνάπαυσον, ὁ θεὸς, τῶν προκοιμηθέντων τὰ πνεύματα μετὰ τῶν ἐκλέκτων σου παρορῶν αὐτῶν τὰ πταίσματα. *Eorum qui obdormierunt, animabus da, Deus, cum electis tuis requiem, illorum offenſiones condonans.* Tum paginas alias ſine delectu evolvens, incidit etiam in hæc verba: θανάτου τὸ κράτος καθελὼν ζωὴν τὴν ἀτελεύτητον πᾶσι πιστοῖς ἐπήγασας,

E mortuis nonnulli peccata habent, quæ a Deo dimittantur.

ἐπήγασας, δέσποτα, ἐν ταύτῃ τούτους τοὺς ἐκδημήσαντας εὐσεβῶς κατάταξον, παρορῶν τὰ πταίσματα, συγχωρῶν ἁμαρτίας. *O qui vim mortis cum evertisti, vitam nullis terminis definitam fidelibus omnibus effudisti, Domine, in illa eos constitue, qui pie decesserunt, ad eorum offensas minime respiciens, & condonans peccata.* Tum alia in pagina sic reperit: ἡ ταφή σου, Χριστὲ, καὶ ἀνάστασις πάντων γέγονε ζωὴ, διὰ τοῦτο τολμῶντες βοῶμέν σοι. μετὰ πάντων ἐκλεκτῶν. οὓς πιστῶς προσελάβου δούλους σου ἀνάπαυσον, τούτων τὰ πταίσματα πάντα συγχωρῶν. *Tuum sepulcrum, tuaque resurrectio facta sunt omnium vita: propterea tibi audemus exclamare: Quos assumpsisti cum fide, servis tuis da requiem, peccata ipsorum omnia dimittens.* Denique vix paginam libri hujus ullam explicuit, in qua non statim occurreret oratio, qua mortuis peccatorum venia peteretur. Græci igitur existimant, inquit *Ignatius*, quædam mortuis hominibus hærere peccata, quorum a Deo venia concedatur. Nimium profecto sit contumax, ait *Nicolaus*, qui illud inficias ierit. Nihil enim aliud non Paraclitica modo, sed libri nostri cæteri loquuntur. Jam quod mortui illi, subjecit *Ignatius*, peccatis quibusdam, etsi non gravibus, obstricti pœnarum debito teneantur, nullo ut id evincam, opus est testimonio. Nam *Quidam post mortem antequam beatitate donentur, pœnas luunt.* omni peccato debetur pœna; & qui culpæ reus est, ab justo judice damnandus est, & afficiendus supplicio. Afferam tamen nonnulla; nec mutabo hunc Paracliticæ librum. τοῖς κοιμηθεῖσι τὴν ἐκεῖθεν ἀνάπαυσιν παράσχου, ἃ ἔπραξαν ἐπὶ γῆς ὀφειλήματα παρορῶν ὡς θεός. *Quæ istic est requies, hanc dormientibus concede, dimittens, ut Deus, quæ debita, dum versati in terra sunt, contraxerunt.* Debita autem illa pœnæ sunt, quarum fit Deo homo debitor, cum peccat. Manent igitur mortuis aliquæ propter peccata exolvendæ pœnæ. Egregius quoque locus iste est: ὁ τῶν ἀθλητῶν τοὺς στεῤῥοὺς ἀγῶνας καὶ μάστιγας καὶ τὰς τῶν μελῶν ἀποκοπὰς, ἃς ὑπὲρ νοῦν ὑπέμειναν, δέσποτα, ἀσμένως δεξάμενος, οὓς προσελάβου, ῥῦσαι κολάσεως. *Athletarum certamina fortia & plagas & abscissiones membrorum, quæ supra quam cogitari potest, patienter pertulerunt, suscipiens, quos e vivis assumpsisti, e pœna libera.* Item: μετάλλαξον εἰς χαρὰν τῶν πίστει κεκοιμημένων τὸν κόπετον, πρεσβείαις τῶν ἀθλοφόρων, ἀξιώσας τούτους εὐσεβῶς τῆς εὐφροσύνης, Χριστὲ,

καὶ πρὸς φῶς τὸ σὸν εὔθυνον καὶ ἐπιδήγησον. *Eorum qui in fide dormierunt, luctum & planctum, ob martyrum preces, muta in gaudium, sancte illos lætitia circumcingens, o Christe, & ad lumen tuum dirige & inducito.* Audi etiam istud: νεκρώσας τὸν ᾅδην ἀηττήτῳ δυνάμει σου ὁ λογισθεὶς ἐν τοῖς νεκροῖς μόνος ἐλεύθερος, Χριστὲ, ψυχὰς ἐλευθέρωσον τῶν εὐσεβῶν τῆς ἐν αὐτῷ κατακρίσεως. *O qui invicta potentia tua mortem inferno attulisti, annumeratus mortuis, solus inter illos liber, Christe, libera animas proborum, tibique devotorum hominum, ab ea, quæ in illo est, condemnatione*, id est, a pœnis, quibus illæ in eo condemnatæ sunt. Omitti non potest quod legunt Græci in Pentecostario suo, in vigilia Pentecostes, & officio, ut aiunt, adorationis; ὁ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ παντελείῳ ἑορτῇ καὶ σωτηριώδει ἱλασμοὺς μὲν ἱκεσίους ὑπὲρ τῶν κατεχομένων ἐν ᾅδου καταξιώσας δέχεσθαι, μεγάλας τε παρέχων ἡμῖν ἐλπίδας ἄνεσιν τοῖς κατεχομένοις τῶν κατεχόντων αὐτοὺς ἀνιαρῶν, καὶ παραψυχὴν παρά σου καταπέμπεσθαι. *Tu ille qui dignatus es in hoc perfectissimo & salutari festo propitiationes supplices, quæ oblatæ sunt propter eos qui in locis inferis detinentur, suscipere, magnaque spe nos afficis fore, ut detentis illis remissio earum quibus detinentur, acerbitatum & molestiarum, consolatioque abs te transmittatur.* Vides testimoniis istis omnibus, quorum habes in libris tuis messem amplissimam, homines aliquot pro quibus orat ecclesia, manere luendæ pœnæ reos, quæ pœna postea condonetur, nec id ab ullis Græcis negari posse, nisi sanctissimos sibi libros mendacii arguerint, & proterve conculcaverint. Accedit id alterum, peccata illa quibus mortuorum inficiuntur animæ, & debita illa exolvendæ pœnæ obstare, quominus animæ in paradisum admittantur: atque adeo purgari sordibus suis debere & absolvi pœnis, quo pateat ipsis in beatissimas illas sedes aditus, & sanctorum felicitate potiantur. Non credis? libris ergo tuis fidem abnega: sic enim nobiscum tradunt. Ubi tradunt, inquit *Methodius?* Ibi, reposuit *Ignatius*, ubi preces pro mortuis descriptæ sunt. Paracliticam aperio. Ecce in ἤχῳ β'. petitis ab Christo, ut peccata mortuis condonet, sicque donet paradiso: ἔνθα ὀδύνη πέφευγε, στεναγμός τε καὶ λύπη, ὅπου τὸ φῶς ἐκλάμπει, Χριστὲ, τοῦ σοῦ προσώπου, ἔνθα ἁγίων δῆμοι νῦν περιχορεύουσι, τάξον πάντας τοὺς

Peccata & pœna mortuis quibusdam remittuntur.

μεταστάντας, τὰ πταίσματα αὐτῶν πάντα παραβλέψαι, ὡς μόνος ἐλεήμων. *Eos, o Christe, qui hinc decesserunt, loco in illo colloca, unde dolor & suspiria & curæ exulant, ubi vultus tui lumen effulget, ubi sancti* nunc *exultant, condonans ipsis peccata, ut qui solus es misericors.* Et in Triodio τοῦ μεγάλου σαββάτου εἰς τὸν ὄρθρον, in hunc oratis modum: σταυρῷ σου γηθόμενοι, σταυρῷ θαῤῥοῦντες οἱ δοῦλοί σου, πρὸς σὲ μετέστησαν, κύριε, οὓς νῦν ἀντίλυτρον τῶν αὐτῶν πταισμάτων, σῶτερ, τὸν σταυρόν σου δώρησαι, καὶ αἷμα τὸ χυθὲν ὑπὲρ κόσμου ζωῆς, τῇ εὐσπλαγχνίᾳ σου συγχωρῶν τὰ πλημμελήματα, καὶ φωτίζων φωτὶ τοῦ προσώπου σου. *Cruce tua gavisi, cruce confisi servi tui ad te, Domine, excesserunt. Quibus nunc, o salvator, peccatorum ipsorum in solutionem dona crucem tuam & sanguinem pro mundi vita effusum, secundum clementiam tuam dimittens peccata, eosque vultus tui luce illuminans.* Redeo ad Paracliticam. Audi: κάλλους νοητοῦ τούτου κατατρυφῆναι τοὺς μεταστάντας καταξίωσον, τὸ αἶσχος τὸ δύσμορφον ἐκκαθαίρων ὡς φιλάνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, δέσποτα. *Qui ex hoc mundo ad te, Domine, emigrarunt, eos fac dignos qui pulcritudine tua intelligibili fruantur,* purgans *eos peccati turpitudine, quia tu es amator hominum.* Et hoc aliud attende: πολλή σου καὶ ἄφατος ἡ εὐσπλαγχνία σου, ἀμέτρητος ἄβυσσος ἡ τῆς φιλανθρωπίας σου. πταισμάτων οὖν ἄφεσιν τοῖς μεταστᾶσι, Χριστὲ, δίδου, καὶ τῇ χάριτι τῇ σῇ κεκαθαρμένους ἀνάδειξον. *Misericordiæ tuæ multæ & ineffabiles, & abyssus tui erga homines amoris non potest mensura ulla comprehendi. Iis igitur qui decesserunt, dona peccatorum remissionem, & ostende illos gratia tua* purgatos. Ecce quam vere abs me dictum est non rem modo purgatorii, sed nomen ipsum apud Græcos reperiri. Nihil enim aliud nobis purgatorium est, quam locus ubi post obitam mortem animæ purgantur. Noli præterire silentio, inquit *Romanus*, testimonium aliud e Pentecostario petitum in Pentecostes pervigilio: ὑμνοῦντας προσδέξαι τὸ θεῖον κράτος σου, οὓς ἐκ γῆς προσελάβου, τέκνα φωτὸς τούτους ἐργαζόμενος, τῆς ἁμαρτίας τὴν ἀχλὺν ἐκκαθαίρων, πολυέλεε. *Quos e terra potentiam tuam divinam laudantes assumpsisti, eos lucis efficiens filios, &* purgans *peccati caligine suscipe, o multum misericors.* Audiisti quo animæ modo post mortem purgentur a peccatis, nec posse prius felicitatis æternæ gaudia consequi, quam

Purgatorii nomen Græci usurpant suo modo.

iis plane mundentur. Abſolvi præterea pœnis debere quas promeritæ ſunt, vel totas luere, tum ex variis quæ recitavi, teſtimoniis conſtat, tum ex illis quæ mox adduco. Ecce tibi ex Paraclitica: ῥομφαίαν, δέσποτα, τὴν στρεφομένην νυνὶ δίδου τοῖς σοῖς δούλοις ἀκολύτως διελθεῖν μεταστάντας τοῦ βίου, ἔνδον τοῦ παραδείσου αὐτοὺς κατασκηνῶσαι, ὡς μόνος ἐλεήμων. *Gladium diſtrictum* nunc *concede, Domine, ſervis tuis evadere, & fac eos in paradiſo habitare, qui e vita diſceſſerunt, ut qui ſolus es miſericors.* Verum operæ pretium hic repetere validum illud, quod habetur in pervigilio Pentecoſtes, teſtimonium: ὁ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ παντελείῳ ἑορτῇ καὶ σωτηριώδει ἱλασμοὺς μὲν ἱκεσίους ὑπὲρ τῶν κατεχομένων ἐν ᾅδου καταξιώσας δέχεσθαι, μεγάλας τε παρέχων ἡμῖν ἐλπίδας ἄνεσιν τοῖς κατεχομένοις τῶν κατεχόντων αὐτοὺς ἀνιαρῶν, καὶ παραψυχὴν παρά σου καταπέμπεσθαι. ἐπάκουσον ἡμῶν τῶν ταπεινῶν καὶ σῶν ἱκετῶν δεομένων σου, καὶ ἀνάπαυσον τὰς ψυχὰς τῶν δούλων σου τῶν προκεκοιμημένων ἐν τόπῳ φωτεινῷ, ἐν τόπῳ χλοερῷ, ἐν τόπῳ ἀναψύξεως, ἔνθα ἀπέδρα πᾶσα ὀδύνη, λύπη καὶ στεναγμός, καὶ κατάταξον τὰ πνεύματα αὐτῶν ἐν σκηναῖς δικαίων, καὶ εἰρήνης καὶ ἀνέσεως ἀξίωσον αὐτούς. ὅτι οὐχ οἱ νεκροὶ αἰνοῦσί σε, κύριε, οὐδὲ οἱ ἐν ᾅδῃ ἐξομολόγησιν παῤῥησιάσονται προσφέρειν σοι. ἀλλ' ἡμεῖς οἱ ζῶντες εὐλογοῦμέν σε, καὶ ἱκετεύομεν, καὶ τὰς ἱλαστηρίους εὐχὰς καὶ θυσίας προσάγομέν σοι ὑπὲρ τῶν ψυχῶν αὐτῶν. *Tu qui in hoc perfectiſſimo & ſalutari feſto propitiationes quidem ſupplices propter eos, qui in locis inferis detinentur, ſuſcipere dignatus es, magnaque ſpe nos afficis fore, ut detentis illis remiſſio earum quibus detinentur, acerbitatum & moleſtiarum, conſolatioque abs te tranſmittatur: exaudi nos viles homines te deprecantes ſuppliciter, & animabus ſervorum tuorum, qui mortui ſunt, dona requiem, & fac eos habitare in loco lucido, loco virenti, loco refrigerii, ubi nullus mœror, nullus dolor, ſuſpiriumque nullum: & eorum animas colloca in tabernaculis ſanctorum, dignoſque effice ſalute & pace: quia non mortui laudabunt te, Domine; neque qui ſunt in inferno, tibi audent confeſſionem offerre. Sed nos qui vivimus, benedicimus tibi, & deprecamur, & preces propitiatorias, miſſaſque offerimus tibi pro animabus ipſorum.* Non ſic interpretantur Arabes, inquit e Græcis unus neſcioquis, ſed in hunc modum: Qui dignaris ſuſcipere in hoc perfectiſſimo & ſalu-

cari festo, quod petimus, misericorditer devote & suppliciter propter eos qui detinentur in inferis, & præbes nobis spem magnam: exaudi nos peccatores & abjectos homines, & illis, qui detinentur captivi ab hominibus improbis, quietem mitte, & fac quiescere animas servorum tuorum, &c. Qui sic interpretatus est, inquit *Ignatius*, vel Græce nesciit, vel fraudem voluit facere. Hæc enim ejus perturbatissima explanatio peccat in multis. 1. quod verba & verborum sententiam susque deque vertit. Verba quidem, quod has voces, *exaudi nos*, istis præmittat, *quietem detentis mitte*; cum Græci recto inter precandum ordine recitent: *Speramus te missurum consolationem & remissionem.* Tum addant, *exaudi nos deprecantes*, nimirum spes præire orationi debet: neque enim quis eum orat, à quo nihil sperat? Verborum quoque sententiam invertit. Ubi enim vox hic Græca, quæ homines improbos significat? Deinde quis est ille sermonis contextus? quo inter se pacto res cohærent? Præterea voces istas, *ἄνεσιν καὶ παραψυχὴν τῶν κατεχόντων αὐτοὺς ἀνιαρῶν*, silentio involvit. Minime vero oportuit involvere, cum his aperte significetur, mortuos pœnarum acerbitate quandoque constringi, qua exolvantur liberenturque a Deo consolatione accepta. Verum, ut ut sit, satis est & abunde quod profitetur loca quædam infera esse, ubi detineantur e servis Dei nonnulli jam vita functi, qui viventium juventur precibus, ut illinc ad cælum evadant. Profero jam tibi ex Paraclitica aliud: *ῥῦσαι πυρὸς τῆς γεέννης, δέσποτα, τοὺς ἐξ ἡμῶν μεταστάντας, τῆς πλευρᾶς σου τῇ λόγχῃ τῆς ἁμαρτίας τὸ χειρόγραφον τούτων, ὡς μόνος φιλάνθρωπος, ῥήξας, καὶ τῆς τῶν ἁγίων ἀξιῶν λαμπρότητος. Libera ab igne gehennæ, o Domine, eos qui a nobis decesserunt, & ea qua perfossus es in latere lancea, lacera chirographum peccati ipsorum, & dignos effice splendore sanctorum. ῥῦσαι γεέννης πυρὸς τε, καὶ ζοφερῶν τοῦ ᾅδου, φιλάνθρωπε, σκηνωμάτων τοὺς δούλους σου τοὺς ἐν πίστει, δέσποτα, κεκοιμημένους τῇ σῇ πίστει καὶ τῇ ἐλπίδι. Servos tuos, o Domine, qui in fide speque tua dormierunt, libera ab igne gehennæ, & tabernaculis inferorum obscuris, o amator hominum.* Accipe & istud e Triodio, *τῷ σαββάτῳ τῆς μέσης ἑβδόμαδος* sic legitis: *ῥῦσαι σκώληκος κολάζοντος καὶ ὀδόντων βρυγμοῦ, κλαυθμοῦ, καὶ ἐξωτέρου σκότους ἀφει-*

γῦς πάντας, οὓς πίστει προσελάβου, καὶ τάξον τούτους, ἔνθα τὸ φῶς τοῦ σοῦ προσώπου, χύδην ἐκλάμπει εἰς αἰῶνας. *Quos in fide, o Domine, suscepisti, eos omnes libera a verme torquente, & dentium stridoribus, & ab tenebris exterioribus luce carentibus, illos istic colloca, ubi vultus tui lumen effulget æternum.* Bene est, inquit *Abrahamus*, quem Methodius sui loco loqui jusserat; bene est: postremis his testimoniis constat minime apud nos mentionem haberi purgatorii vestri, sed inferni. Verum, inquit *Ignatius*, inferni nomine quid intelligitis? Nam subjici apud vos varia voci huic significata video. Num satis, reposuit *Abrahamus*, tenebris exterioribus, dentium stridore, torquente verme, & ipso gehennæ vocabulo depingitur? Locus est in terra depressissimus, ubi diabolus & angeli ejus, eos qui se illis obstrinxerint peccando, reique obierint, pœnis æternis vexabunt. Pro illis preces fundimus. *Quis scit enim si convertatur, & ignoscat Deus*, ut aiebat Rex ille Ninives Jon. 3. *& revertatur a furore iræ suæ?* Num precibus sancti Gregorii pontificis Romani ereptus est a pœnis Trajanus imperator? Cur non eripiantur pariter alii, condonetque illis Deus, votis & sacrificiis dilectæ ecclesiæ suæ placatus. Videte, inquit *Ignatius*, quo se Abrahamus immittat: cum evertere vult purgatorium, tum maxime adstruit, imo damnatorum hominum tartara in purgatorium mutat. Neque enim educi inde animas existimat, quam diu flagitiorum maculis fœdæ sunt, & odio divino prosequendæ, sed cum purgatæ ex hoc omnium sordium specu merentur abire. Quod si purgentur in inferno animæ, (quod dictu mirum est, neque forte ante audiistis, quam ab Abrahamo diceretur) infernus evasit in purgatorium. Atque illinc si divi Gregorii precibus emersit Trajanus, quot alii emergent precibus martyrum, quot prophetarum & apostolorum orationibus, quot præpotenti Deiparæ intercessione, quot sanctorum omnium conjunctis votis? Eos enim suas pro mortuis preces Deo efferre Græci tradunt in officio vigiliæ Pentecostes: νῦν, ἐλεῆμον, σίφη δυσωπεῖ σε ἀγγέλων σὺν χερουβίμ τε θεῖα σεραφὶμ καθικετεύει, ἐξουσίαι, θρόνοι, καὶ ἀρχαὶ, καὶ δυνάμεις τε σὺν ἀρχαγγέλοις, καὶ κυριότητές σε αἰτοῦσι, κραταιὲ, ὅτι ψυχὰς ἀπά-

Ecclesia pro damnatis minime orat.

σας οἰκτειρήσῃς, ἅσπερ μετέστησας. ἰδοὺ οἱ δῆμοί σε τῶν προφητῶν ἐξαιτοῦνται, τῶν ἀποστόλων δέονται χοροὶ, σὺν πατριάρχαις μάρτυσί τε στίφος, σὺν ὁσίων πλήθεσιν εὐπαρακλήτως ἀναβοῶσι. σῶσον, φιλάνθρωπε, ψυχὰς πάντων τῶν ἐπὶ γῆς τεθνεώτων εὐσεβῶν δούλων σου. οἶδας τὰ πάντα, βλέπεις, καθορᾷς καὶ γινώσκεις βροτῶν τὰ πλήθη, καὶ τὸ τῆς ζωῆς ἑκάστου πέρας. πᾶσι δίδου τὴν τῶν ἐγκλημάτων λύτρωσιν, καὶ παραδείσου τῆς καλλονῆς ἀξίωσον πάντας, ὡς θεὸς μόνε, οὓς ἐξελέξω οἰκτίρμον πιστοὺς οἰκέτας σου. Tum apostoli & prophetæ πρεσβεύουσιν ἐκτενῶς σοι τῷ δεσπότῃ σὺν τῇ τεκούσῃ σε μητρί. ἀνάπαυσον ὁ θεὸς ψυχὰς, ἃς προσελάβου. Nunc, *o misericors, agmina te angelorum cum divinis cherubim seraphimque orant, potestates, throni, & principatus, & virtutes cum archangelis, & dominationes abs te petunt, o fortissime, ut animarum omnium quas transtulisti, miserearis. Ecce te rogant prophetarum populi, chori apostolorum precantur, cum patriarchis & martyribus turmæ, & cum justorum multitudine exorabiliter exclamant: Salva, o amator hominum, animas omnium servorum tuorum pietate præditorum, qui in terra obierunt. Nosti omnia, cernis, conspicis & agnoscis mortalium multitudinem, & uniuscujusque vitæ terminum. Da omnibus redemptionem a peccatis, & omnes, o qui solus es Deus, quos elegisti fideles domesticos tuos, dignos effice paradisi pulcritudine. Apostoli & prophetæ totis viribus, cum matre tua te Dominum precantur: O Deus, animabus, quas tibi assumpsisti, dona requiem.* Age modo: Trajanum impurissimum & infensissimum Christianæ religionis adversarium D. Gregorius, dum adhuc viveret, atque adeo peccatis non omnino careret, si potuit orando ab inferis eximere: quid poterunt angelorum omnium & sanctorum cum B. virgine conjuncti cœtus, cum impensissime defunctorum requiem a Deo efflagitant? Sed, mihi crede, neque sancti damnatis petunt salutem, neque veritatem habet Trajani liberatio: aut certe valde peccavit in V. synodo œcumenica spiritus sanctus, (absit verbo invidia) cum in Origenem, ejusque asseclas contorsit anathema. Neque enim damnatis illi favebant magis, quam faveat Abrahamus; imo illi minus. Docebant enim hæretici isti post annorum millia aliquot educendos ab inferorum cruciatibus Dei hostes, Trajanum autem fœdissimum ac sceleratissimum

tyrannum longe ante annos mille S. Gregorii precibus Abrahamus evasisse vult. Non legit fortasse, quæ Dyonis. Areop. l. de eccl. hierar. p. 3. c. 7. apertissime docuit: τοῖς ἀνιέροις οὐκ ἐπεύχεται ταῦτα κεκοιμημένοις. *Antistes*, inquit, *hæc defunctis improbis non precatur.* ὅτι καὶ τῆς ἐναγοῦς εὐχῆς ἀποτεύξεται, *quia impiam orationem frustra funderet.* De meo, inquit *Abrahamus*, noli putare historiam hanc depromptam. Narrat illam in Synaxario suo Nicephorus Xanthopulus, & illam, nisi fallor, e Joanne Damasceno exscripsit. Dignus profecto est, reposuit *Ignatius*, dignus est Nicephorus, cui fides omnis habeatur, etiam cum quod affirmat, hoc ipsum simul negat. Quale hoc est, de quo nunc disserimus. Postquam enim Trajanum dixit e cruciatibus ereptum, mox aut certe paullo post, neminem ait hactenus damnatum cruciatibus fuisse, sed sceleratos omnes ad diem usque judicii in loco nescio quo detineri pœnarum expectatione mœstos. At quam multis neganda est fides, si fidem adhibemus Nicephoro! Inclamat Isaias c. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Reclamat, abnuitque Nicephorus: nam Trajani mortuus est vermis, & ignis extinctus. Abrahamus Isaia ætate major, nec minor autoritate, damnato diviti asserit Luc. 16. beatos inter atque damnatos *chaos magnum firmatum esse*, ut beatorum nemo, etiamsi velit, transire ad damnatos valeat, neque possit damnatorum ullus transmeare ad beatos. At transmeare posse contra Nicephorus pugnat, & evincit Trajani exemplo: potuit enim Trajanus. Accedit Paulus 2. Thess. c. 1. docetque impios *pœnas daturos in interitu æternas a facie Domini.* Ecce tamen Paulum confutat, ne dicam mendacii arguit, adducto Trajano, Nicephorus. Adjungit se Paulo Joannes Apocal. 14. *Si quis*, inquit, *adoraverit bestiam & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulfure in conspectu angelorum sanctorum, & ante conspectum agni, & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Fumus tamen tormentorum Trajani, Nicephoro teste, non ascendit ad mille annos. Dixit Christus ipse Marc. 9. atque inculcavit, quod est ab Isaia promulgatum: *Vermis eorum*

non

non moritur, & ignis eorum non extinguitur. Cui dabimus fidem? Isaiæ, Abrahamo, Paulo, Joanni, patriarchis, prophetis, Christo ipsi? An Nicephoro Xanthopulo propter Trajani exemplum? Erubescebat *Abrahamus:* nec erat, unde se tot implicatus argumentis expediret. Quid ergo, inquiebat? Falsum est S. Gregorii precibus salutem Trajano concessam esse? Tam falsum est, respondit *Ignatius*, quam verum est S. Gregorium existimasse spem salutis omnem sceleratis hominibus, cum e vita decesserint, esse ablatam, ut fuse probat epist. 115. lib. 6. variis sacrarum litterarum, & patrum testimoniis contra Gregorium presbyterum, & Theodorum diaconum, qui Christum, cum ad inferos descendit, salutem damnatis iis attulisse arbitrabantur, quos aiebant, ipso illic conspecto, credidisse; illosque severe jubet, ne hæreticis accenseantur, mentem mutare. Et lib. 34. moral. c. 16. sic scribit: *Per semetipsam Veritas dicit: Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. Si igitur hoc verum non est quod minatus est, neque illud verum est quod promisit..... Et si falsa minatus est, ut ab injustitia corrigeret; etiam falsa pollicitus est, ut ad justitiam provocaret.* Ita cum sentiret S. Gregorius, quî venire illi in mentem potuit, preces pro Trajano ex inferis educendo effundere? Nihili, per me licet, inquit *Abrahamus*, nihilì fiat, quoniam ita vis, Nicephorus Xanthopulus. An Joannem Damascenum repelles eadem contestantem? Absit, reposuit *Ignatius*, Nam D. Gregorio Joannes Damascenus plane consentit lib. 2. de fid. orth. c. 4. ubi parem damnatorum hominum & dæmonum sortem facit. *Post lapsum*, inquit, *præclusa jam est illis*, diabolis scilicet, *omnis resipiscendi facultas, quemadmodum & hominibus, postquam ex hac vita migrarunt.* Quid apertius? Ex quo liquet Trajani fabulam vel alterius esse, cui nomen quoque Joannes Damascenus fuerit, vel S. Joannis Damasceni operibus dolo malo immissam. Sed ponamus Nicephori autoritatem esse exceptione omni majorem, vereque S. Gregorii precibus exemptum e pœnis esse Trajanum: non licebit propterea orare pro damnatis. Addit enim Nicephorus, id cum Deus Gregorio annuisset, statim imperasse, ne pro maledictis hujuscemodi hominibus vice alia

preces fierent. Quod si jam in ipsorum gratiam funderentur, Dei infringeretur mandatum: qua divini præcepti violatione nihil impetrari a Deo potest, nulla mortuis accedere aut salus aut utilitas. Cum dico, subjecit *Abrahamus*, orare nos pro iis, qui mortui in flagitiis pœnas inferorum promeriti sunt, hoc tantum volo, si non plane evadunt salvi, mitigari saltem eorum pœnas. Vis, respondit *Ignatius*, quod fieri pacto nullo potest. Aliter enim est a Deo decretum. Audi quid Joannis ore Apoc. 14. doceat: *Fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum, nec habent requiem die ac nocte.* Et meministi, credo, divitis illius epulonis, de quo Christus in evangelio, qui cum ab Abrahamo affundi ipsius linguæ guttam aquæ unam postulasset, hoc levissimum quod esse queat levamen, negavit posse illi tribui, aut solatium damnatis ullum ab beatis hominibus advenire. Quanto a nobis minus? Lege S. Cyrilli orationem jam laudatam de exitu animæ in fine Horologii, aut etiam Euchologii vestri, cujus etsi feci antea mentionem, operæ pretium est ejus hic tibi verba proferre. *Illic*, inquit, *dolor pungens, isque æternus, non interrupta, sempiternaque angustia, perpetuus fletus qui non mitescit, planctus qui non tepescit continuus, stridor dentium qui nunquam non auditur, continuata quæ non consopescunt suspiria, & lamenta repetita quæ non defervescunt. Illic heu heu nulla unquam mora intermissum. Clamant, neque est qui eripiat & salvet; vociferantur, neque est qui afferat libertatem & redimat.* His *Abrahamus* sibi sensit penitus os occludi, & in Methodium conjectis oculis, Tuum est, inquit, qui nosti plura, respondere. Ego sileo. Profitemur, subjecit *Methodius*, æternos esse damnatorum cruciatus. Neque pro illis nostras efferri preces, vel hinc patet, quod in necrosimis nostris seu orationibus pro defunctis, memoriam agimus non cujuscunque generis hominum, sed τῶν κοιμηθέντων εὐσεβῶς, *eorum qui pie mortui sunt*; τῶν λατρευσάντων θεῷ καθαρῶς, *qui puram Deo servierunt, dum viverent, servitutem*; τῶν δούλων θεοῦ εὐσεβῶν πίστει κεκοιμημένων, καὶ ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου, *piorum Dei servorum, qui in fide defuncti sunt, & spe æternæ vitæ*; πιστῶν ἱερῶς ἀπολιπόντων τὸν βίον, *fidelium qui sancte e vita decesserunt.* Denique nullius in

Damnatorum pœna nullis precibus minuuntur.

gratiam preces fundimus, nisi qui Christi fidem vivens moriensque sit professus. At si pro damnatis liceret orare; non pro fidelibus modo, sed pro universis hominibus liceret, ac pro his magis, quippe qui minus fuerint in Deum ingrati. Denique pro mortuis cum oramus, eorum meminimus quos ad se Deus assumpsit, quos suscepit, ut constat ex iis quæ adduxit Ignatius testimoniis. At reprobos non suscipit Deus, sed a se rejicit. Age ergo, Methodi, inquit *Ignatius:* si pro damnatis Græci non orant, pro quibusnam orant? An pro sanctis? Nisi nobis, reposuit *Methodius*, superiori dissertatione sole clarius demonstrasses, homines sanctos statim a morte summo bono frui, torqueri vero impios æternis suppliciis; dicerem nondum latam in quemque sententiam, sed in die communis judicii ferendam: interea suæ omnes sortis incertos degere: orare nos ut iis beata sit, quorum facimus in precibus mentionem. Arrisit *Ignatius*, &, Novus, inquit, evaderes Nicephorus. Novus certe, quia ipse sanctos felicitatis, improbos supplicii securos facit, tu incertos. Ac, pace tua dixerim, deserto te, tui starent ab Nicephoro vetere. Nam si incertos sortis suæ mortuos facerent; cur tot in Synaxario sanctorum millia numerarent, cum non constaret utrum sancti sint divinæ in societatem gloriæ aliquando vocandi. Sanctis illis, inquit *Methodius*, non modo certam adscriberem salutem, sed aliis bene multis, quos affirmarem ex omnium turba singulari beneficio a Deo exceptos: reliquos vero hærere in dubio positos; atque eos esse, quorum gratia precamur. Ipsis forte, reposuit *Ignatius*, sua esset incerta conditio, sed minime esset in sese dubia. Nam vel peccatis commaculati, vel gratia mundati obiissent, atque adeo salus his, illis exitium constaret. Neque enim nescis, post mortem neque ad gloriam, neque ad pœnam meritum novum extare posse, sed *ubi ceciderit arbor, illic futuram. Venit enim nox*, ut aiebat Christus, *Eccl. 11.*
nox scilicet mortis, *quando nemo potest operari.* Atque adeo *Ioan. 9.*
nihil admodum nostra apud Deum oratione juvarentur. Juvarentur, inquit *Methodius:* fierent enim pulso timore beatitatis suæ securi: ex qua salutis certitudine ad sanctorum partem & gaudia transferrentur. Nam sic precamur: εἰς τὴν

κατάπαυσίν σου, Χριστὲ, ὅπου πάντες οἱ ἅγιοί σου ἀναπαύονται, ἀνάπαυσον τὰς ψυχὰς τῶν δούλων σου. Animas, o Christe, servorum tuorum in tuam requiem, ubi sancti tui conquiescunt, transmitte. Poteras, subjecit *Ignatius*, orationem hanc, quæ multo est explicatior, afferre in ἤχῳ βαρεῖ sabbato: *μετὰ τῶν δικαίων, ἔνθα τῶν ἀγγέλων χορεῖαι, καὶ ὅπου λαμπρότητες τῶν ἁγίων, καὶ αἰωνίου ζωῆς ἀπόλαυσις, τοὺς προκοιμηθέντας σου οἰκέτας τάξον, ἐλεῆμον, ὡς Θεὸς ἀθάνατος. Cum justis, ubi tripudia angelorum, ubi sanctorum splendor, & æternæ vitæ fruitio, servos tuos qui occubuerunt, colloca, o misericors, ut qui Deus es immortalis.* Omisi de industria, inquit *Methodius*, ne mihi opponeres statim vita æterna sanctos cum angelis perfrui. Verum hoc tibi do, & aio animabus quibusdam differri a Deo judicii sententiam, ipsasque in ancipiti constitutas, quid se deinceps futurum sit, nescire, hincque affligi, ac pro iis preces fieri, ut omni sollicitudinis metu deposito, & placato in beatas sedes inferantur. Cum vis, reposuit *Ignatius*, purgatorium effugere, in illud incidis vel invitus. Nam quæro: Cur metu isto & mœrore animæ illæ vexantur, non torquentur illo aliæ? Certe cum Deus sit æquissimus, causam habet, cur illas sic excruciet. Nulla autem alia esse potest, nisi peccata quædam levia nondum deleta, vel pœnarum debitum nondum exolutum: quibus pœnis peccatisque in eo sollicitudinis & supplicii loco faciunt satis, ac fidelium orationibus votisque absolvuntur. Hoc autem vere purgatorium est, sed tuum tuaque opinatione extructum: neque enim istius omnino modi extat quod a Deo est institutum. Unde enim habes differri quibusdam judicii sententiam, eosque ad tempus relinqui salutis incertos, sollicitosque æternæ metu damnationis, cum vestri hodierni libri & sancti Patres contestentur omnes judicium statim a morte fieri; ut demonstrabat hesterna die Romanus, nulla facta nescio quorum exceptione? Romano adstipulari sanctos Patres unus illorum Joannes Damascenus scribit, serm. de iis qui in fide obdormierunt: *φασὶ γὰρ οἱ φωτισθέντες θεόθεν ἄνδρες, ὅτι περ ἐν ζυγῷ ἐν τῇ ὑστάτῃ πνοῇ αἱ τῶν ἀνθρώπων δοκιμάζονται πράξεις. Dicunt enim divinitus illuminati viri, hominum facta in extremo vitæ spiritu ad bilancem probari. Quippe sicut cum edu-*

cuntur e carcere rei, quemadmodum ait Chryfoftomus, hom. 14. in cap. 4. Matth. *educuntur ad judicium; ita anima cum e corpore difcedit, venit ad tremendum judicium tot conftricta vinculis, quot peccatis.* Jam cum fit æquiffimi judicis, reos cum torquet, ac pœnæ fubjicit, cur fic illos puniat, palam exponere, ut intelligant fe jure vexari: quis putet Deum miferas animas cruciare, neque ipfis pœnæ fignificare meritum & caufam? Quam ergo, inquit *Methodius*, Græcorum effe de purgatorio doctrinam exiftimas? Eam effe exiftimo, refpondit *Ignatius*, quam legunt in fuis libris. Hanc autem legunt, locum effe in terræ finu, quem idcirco infernum vocant, ubi fervorum Dei animæ aliquot minus purgatæ, ab fanctorum cœtu & angelorum focietate exulant, carent divino confpectu, & pœnarum gravium acerbitate plectuntur, dum vel fua per fe exolvant juftitiæ divinæ debita, vel fidelium hic precibus exolvantur. Declaravi hoc innumeris teftimoniis. Inculco tibi quod femel jam atque iterum e Pentecoftario protuli, ubi fic Deum Græci precantur: *Tu qui in hoc perfectiffimo & falutari fefto propitiationes quidem fupplices propter eos qui in inferno detinentur, fufcipere dignatus es.* Infernus ille, ut vides, mifericordiæ eft, non iræ; purgationis, non damnationis. Neque enim fufas pro damnatis preces Deus fufcipit. Pergunt: *Magnaque fpe nos afficis fore, ut detentis illis remiffio illarum quibus detinentur moleftiarum, confolatioque abs te tranfmittatur.* Audis moleftia conftrictos, & hos quidem Dei fervos, ut mox fequitur, qui, ut fcite mox advertebas, puram Deo fervierunt fervitutem, & fancte de vita excefferunt. Sed quam patiantur moleftiam & acerbitatem, ex iis quæ annectuntur, accipe. *Exaudi nos viles homines te fuppliciter deprecantes, & animabus fervorum tuorum qui mortui funt, dona requiem.* Ecce tibi e rebus moleftis quod graviffimum eft Ab Deo, ad quem toto naturæ & gratiæ impetu feruntur, per vim abftractæ conquiefcere non poffunt. *Et fac eos habitare in loco lucido*, amaris enim tenebris conflictantur; *in loco virenti & amœno*, fpurciffimum nempe carcerem incolunt; *in loco refrigerii*, flammis quippe ardentibus exuruntur; *ubi nullus mœror, nullus dolor, fufpirium nullum.* Gemunt fcilicet ubi

nunc ſunt, & acerrimo dolore mœroreque graviſſimo diſcruciantur. *Et eorum animas colloca in tabernaculis ſanctorum*, unde exulant. *Dignoſque effice ſalute & pace*, purgans eos a peccatis & pœnarum debita condonans, non ipſorum merito; *quia non mortui, Domine, laudabunt te* ad meritum, meriti enim tempus cum præſenti vita effluxit; *neque qui ſunt in inferno, tibi audent confeſſionem offerre*, quam norunt minime acceptandam. *Sed nos qui vivimus*, poſſumuſque, uti nobis, ſic aliis impetrare, *pro ipſorum animabus preces & miſſas propitiatorias offerimus.* Haud ſcio an Latini uſquam purgatorium diſertioribus verbis explicent. Hac in re, inquit *Methodius*, non valde ab Latinis Græci diſcrepant, niſi plane ignari ſunt & contumaces. Multis ego tibi obſtiti non tam ex animo & ſententia, quam exercitationis gratia & ſtudio diſcendi. At quod aiebas modo purgari animas flammis, id animadverti doctiſſimis Græcis minime videri. Nolim ego, repoſuit *Ignatius*, plus ab Græcis exigere, quam eccleſia exigat. Si volunt animas purgandas aliis torqueri pœnis quam flammis, ita exiſtiment & bene valeant: licet enim, ſalva fide catholica, cum non ſit pœnarum illarum genus apertiſſime definitum. At, mihi crede, Græci illi tui, ſi vere erant doctiſſimi, contentionis amore, non ſtudio veritatis hunc ignis cruciatum negaverunt: planum eſt enim ab eccleſia Græca eum admitti. Juvat audire egregium ſuper ea re Pentecoſtarii teſtimonium. Habetur illud in pervigilio Pentecoſtes: ἅπαντας, δέσποτα, βροτοὺς παντοίου τάγματος, οὓς μετέστησας σωτὴρ πιστοὺς σου βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας ἐθνάρχας γῆς καὶ κριτὰς λαῶν τε καὶ φυλῶν τοὺς προστάτας ἐλέησον, οἴκτειρον καὶ ἀνάπαυσον μόνος, ὅπως σε ὑμνοῦμεν, ῥῦσαι πυρὸς τοῦ φοβεροῦ δήμους, φιλάνθρωπε, ἐκκλησίας σου σέπτης, καὶ σῶσον μοναστῶν συστήματα ἱερωμένων πληθὺν χορείας λειτουργῶν σου ἐνθέων, καὶ πάντας τῆς ἐκεῖσε καταξίωσον δόξης, ὅπως σε ὑμνοῦμεν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας· σάωσον, ὦ δέσποτα Χριστὲ, σῶσον, ἐλέησον, καὶ ἀνάπαυσον ψυχὰς, λαοὺς σου τοὺς πιστῶς τελέσαντας τρόπῳ παντὶ τὴν ζωὴν ἐν τόπῳ καὶ ἐν χώρᾳ παντοίᾳ, καὶ ῥῦσαι τῆς γεέννης καὶ πικρίας βασάνων, ὅπως σε ὑμνοῦμεν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας. *O Domine, mortales omnes, quos ſalvator tranſtuliſti a nobis, fideles tuos reges & principes, præfectos terræ & judices, præſides populorum & tri-*

In purgatorio animæ torquentur igne. Idque agnoſcit eccleſia Græca.

buum misericorditer excipe, miserare, & fac quiescere solus, ut te laudemus. Libera igne tremendo populos ecclesiæ tuæ sanctæ, o amator hominum, & salva monachorum cœtus, sacrorum hominum multitudinem, sacerdotum tuorum divinorum choros, & omnes ea dignos effice, quæ istic est, gloria, ut te laudemus per sæcula omnia. Salva, o Domine Christe, salva, miserere, & fac quiescere animas, populos tuos qui fideliter vitam exegerunt omni modo, in quolibet loco & regione, & libera gehenna & acerbitate pœnarum, βασάνων, ut te laudemus per sæcula omnia. Hic nota vocem hanc βασανων. Nam βάσανος pœna est probans, non exterminans, qualis damnatorum hominum pœna est. Da Paracliticæ librum, & hoc lege: ῥῦσαι γεέννης πυρός τε καὶ ζοφερῶν τοῦ ᾅδου, φιλάνθρωπε, σκηνωμάτων τοὺς δούλους σου τοὺς ἐν πίστει, δέσποτα, κεκοιμημένους τῇ σῇ καὶ ἐλπίδι. *Servos tuos, o Domine, qui in fide speque tua dormierunt, libera ab igne gehennæ, & tabernaculis inferorum obscuris, o amator hominum.* Et iterum alio loco: ῥῦσαι πυρὸς τῆς γεέννης, δέσποτα, τοὺς ἐξ ἡμῶν μεταστάντας τῆς πλευρᾶς σου τῇ λόγχῃ τῆς ἁμαρτίας τὸ χειρόγραφον, τούτων ὡς μόνος φιλάνθρωπος ῥήξας, καὶ τῆς τῶν ἁγίων ἀξίωσον λαμπρότητος. *Libera ab igne gehennæ, o Domine, eos qui a nobis decesserunt, & ea qua perfossus es in latere, lancea lacera chirographum peccati ipsorum, & dignos effice splendore sanctorum, utpote qui solus es amator hominum.* Scio, inquit *Methodius*, cum oramus pro mortuis, mentionem haberi ignis: at non illius purgatorii, sed tartarei & æterni, ut facile e precibus illis colligas quas e Triodio recitamus sabbato illo, quod paullo ante quadragesimam defunctorum commemorationi dicavimus. πυρὸς ἀεὶ φλέγοντος καὶ ἐκ σκότους ἀφεγγοῦς, βρυγμοῦ ὀδόντων καὶ σκώληκος ἀλήκτως κολάζοντος καὶ πάσης τιμωρίας ῥῦσαι, σωτὴρ ἡμῶν, πάντας τοὺς θανόντας πιστῶς. *Ab igne semper ardente, & e tenebris omni luce carentibus, & a stridore dentium, & a verme indesinenter cruciante, & omni supplicio, libera, o tu qui es salvator noster, omnes qui in fide mortui sunt.* Et superiore quodam loco: ἐκ πάσης οὓς ἔλαβες γενεᾶς καὶ γενεᾶς...... τῆς αἰωνίου λύτρωσαι κολάσεως. *Quos ad te assumpsisti ex omni generatione & generatione, ab æterna pœna redime.* Sed planius τῷ σαββάτῳ τῆς μέσης ἑβδομάδος, in hunc modum: ῥῦσαι σκώληκος κολάζοντος

ϗ ὀδόντων βρυγμῶν, κύριε, καὶ ἐξωτέρου σκότους ἀφεγγοῦς πάντας, οὓς πίστει προσελάβου, ϗ τάξον τούτους ἔνθα τὸ φῶς τοῦ σοῦ προσώπου, Χριστὲ, ἐκλάμπει εἰς αἰῶνας. *Ab verme cruciante & stridoribus dentium & tenebris exterioribus omni luce destitutis, quos tibi, Domine, assumpsisti, libera, ibique eos colloca, ubi lumen vultus tui, Christe, resplendet.* His ex omnibus quis non videat ignem memoratum inferni esse, non purgatorii. Neque enim purgatorius ignis æternus, neque sunt in purgatorio vel exteriores tenebræ, vel vermis corrodens, vel dentium stridor. Verum, inquit *Ignatius*, dic, amabo, pro quibus funduntur preces illæ? an pro damnatis, ut ab æterno supplicio liberentur? Absit ita sentiam, reposuit *Methodius*: funduntur enim pro iis, οὓς ἔλαβε, ϗ οὓς προσελάβετο: quos in fide mortuos accepit, quos ad se Dominus assumpsit; non quos a se reprobavit, & ejecit æterna pœna dignos. Atque adeo non inficias ierim, miratum esse me aliquando, cur preces hujusccmodi fierent, & ab viro e vestris docto, quid sentiret, quæsiisse. Respondit fieri hoc per anteoccupationem. Aiebat enim in his precibus repræsentari mortuum, non ut mortuum, sed ut morte defungentem, efflando animam, proque eo his in angustiis posito, cujus de salute nihil constat, orationes illas offerri. Cumque mihi nihil occurreret melius, assensus sum. Ego vero, inquit *Ignatius*, ejus illam anteoccupationem minime probare possum. Neque enim homo statuitur ita moriens, ut mox referebas, sed plane mortuus ab omni retro ætate, ἐκ πάσης γενεᾶς καὶ γενεαῖ, ϗ ἀπ' αἰῶνος. Fiunt scilicet preces istæ identidem pro omnibus, qui ab ipso mundi exordio ad nostram usque ætatem vita excesserunt, si forte etiamnum indigent orationum suffragiis. Ac præterea quid juvat liberationem ab æterna pœna, post eorum mortem efflagitare a Deo, quam pœnam vel sancte moriendo evaserunt, vel in peccato mortui subierunt. Essent profecto preces illæ inanissimæ: ut si quis, cum haberet compertissimum, fratri suo vel irrogatam a rege capitis pœnam, vel condonata pœna datam coronam, regem adiret pœnam illam deprecaturus; molestus procul dubio deprecator accederet, diceretque rex: Quid a me sic efflagitas quod nosti vel jam factum, vel jam fieri non posse. Ecclesiæ oranti cum

non

non ſit compertum, inquit *Methodius*, quo ſtatu is ſit, qui mortem obiit; & ſi conſecutus omnino eſt vel ſalutem, vel calamitatem æternam, non fruſtra tamen pro illo preces effundit. Quemadmodum enim antiquiſſimis olim patribus Deus in futura Chriſti merita intuitus gratiam largitus eſt, & vitæ beatæ perennitatem: ita homini, cum moreretur, veniam forte conceſſit propter futuras poſtea pro ipſius ſalute orationes. Qua fere ratione regum aliquis principi reo parceret, pro quo fore ſciret, ut cariſſimus ſibi filius intercederet apud ſe. Hoc tibi ſi aſſentimur, repoſuit *Ignatius*, licebit pro hominum quolibet genere, pro hæreticis ac paganis vita functis, imo ex charitatis lege oportebit ſacra facere & orare. Nam illos Deus, harum forte orationum intuitu, cum animam agerent, venia donaverit, & evexerit in cælum: id porro nefas eſſe Chriſtiani norunt omnes & profitentur. Nefas autem eſt quod futuris poſt mortem precibus juvari ipſa in morte nemo valeat, qui juvari mortem antecedentibus ipſa in morte non potuit. Atque ut tuis te exemplis refellam: rex ille tuus, an reo in gratiam deprecaturi filii veniam daret, qui non daret in gratiam deprecantis? Deus vero, an ob merita futura Chriſti divinis aliquem donis affeciſſet, quem non affeciſſet ob præterita vel præſentia? Certe plus eſt in re præſenti quapiam, quam in eadem futura efficientiæ & virium. Si ergo nullus extitit orationum illarum fructus, quæ pro homine animam agente effuſæ ſunt, quis eſſe futurarum poteſt, ut ſancte moriatur qui jam pridem mortuus eſt. At, ſubjecit *Methodius*, recitata ſuperiore loco teſtimonia, qua tu ratione ad purgatorium transfers? Quis illud vocet gehennam, in eoque eſſe exiſtimet tum ignem æternum, tum exteriores tenebras, & hujuſmodi alia non pauca, quibus ſolemus damnatorum hominum carcerem indicare? Quid prohibet, inquit *Ignatius*, quominus ſic arbitremur & loquamur? Non prohibet gehennæ vocabulum, ſi, unde ſit deductum, adverteris. Neque enim neſcis, locum quemdam in valle Cedron, fuiſſe non longe ab Hieroſolymitana civitate, qui Ge-ennon c. 15. Joſ. dicitur, id eſt, vallis Ennon. Erat autem Ennon ille e Jebuſæorum gente loci dominus ſua ætate. Quo poſtea

in loco Judæi idolum Moloch divino cultu venerati sunt, & suos illi liberos horrendum in modum immolarunt per ignem. Quamobrem locus omnis pœnis addictus ab nomine Ge-ennon gehennæ appellationem accepit: unde & id nominis purgatorio apte congruit. Imo aptissime ex Græcorum mente, si, ut in suo Spicilegio evangelico eruditissimus noster Possinus verbo *gehenna*, vocis hujus repetas originem ab Hebræa *ge* quæ *vallem* sonat, & *hinnom*, quæ *gemitum*: ut gehenna idem omnino sit quod *vallis gemitus*. Gemunt scilicet, ut fatentur Græci, post obitum animæ, debitis suis nondum absolutæ; dum ecclesiæ precibus adjutæ in eum evolent locum, unde gemitus omnis & dolor exulat. Est illud præterea in more apud homines positum, ut sicubi ignem ingentem validasque flammas conspexerint, proferant statim illic infernum esse & gehennam. Accedit, purgatorium ignem non alium esse a tartareo, vel propter loci utriusque vicinitatem, vel propter Dei sic decernentis imperium, ut sentiunt probatissimi Theologi. Quæ cum ita se habeant, vere purgatorius ignis æternus est: at æternum non cruciat, nisi in damnatorum inferis. Est & alia significatione αἰώνιος, æternus; ea scilicet qua dicitis, πάντας τοὺς ἀπ' αἰῶνος κεκοιμημένους, *omnes qui ab æterno, id est, ab exordio mundi defuncti sunt.* Et Moses Deut. 33. *Poma collium æternorum*, id est, qui a principio temporum extiterunt. Extitit enim ab initio conditarum rerum purgatorius ille ignis; vel nuncupari æternus hac etiam notione potest, qua quod longissimo tempore perseverat, dicitur æternum. Sic legitur Prov. 29. *Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.* Ignis porro purgatorius ad finem usque mundi ad animas purgandas adhibebitur, & illarum nonnullæ toto illo tempore patientur has flammas. Multiplici illo sensu appellari æternus potest ille ignis, sed primo maxime, si recte video. Esse quoque in purgatorio *vermem torquentem & stridorem dentium & tenebras spississimas*, admittant necesse est, tum illi qui purgatorii cruciatus ab inferorum tormentis hoc uno secernunt, quod hæc æternum & vehementissime sine modo ullo crucient, isti vero affligant certo dun-

taxat tempore, vehementiſſime quidem, ſed non abſque modo: tum ii qui re tota differre autumant. Nam ſtridor ille dentium doloris vehementiam, tenebrarum horror ſeparationem a Dei lumine, vermis torquens objurgantem conſcientiam refert ac repræſentat. Eſt hæc etiam doctiſſimorum hominum ſententia, dæmones, ut qui ſint pœnarum conſtituti a Deo miniſtri, excruciare in purgatorio animas. Quos inter Syneſius ita tradit ep. 41. *δαίμονές εἰσι καθαρτήριοι, τέχνην ἔχοντες ἐπὶ ταῖς ψυχαῖς, ἣν οἱ κναφεῖς ἐπὶ τοῖς ἱματίοις πιναροῖς. Sunt purgatorii dæmones, eam artem pro animabus ſortiti, quam fullones pro ſordidis veſtibus.* Probari & hoc poteſt eo quod affert Guillelmus abbas exemplo in vita S. Bernardi l. 1. cap. 10. ubi fratrem quemdam narrat verbis acerbioribus erga fratres uti ſolitum, Bernardo apparuiſſe vultu triſtiſſimo & lugubri in veſte, eique de pœna quam toleraret roganti, reſpondiſſe, ſe dæmonibus quatuor, ab quibus excruciaretur, eſſe traditum. Quæ cum diceret, e conſpectu per vim ereptus eſt. Preces in ejus gratiam cum eſſent ab Bernardo injunctæ, & celebrata jejunia, dimiſſus a pœnis ad ſummam evolavit beatitatem, cujus luce admirabiliter effulgens ſe videndum rurſus bene de ſe merito patri obtulit. Sed de his plus æquo a nobis dictum. Quid ſupereſt? Supereſt, inquit *Nicolaus*, ut tibi dubium aliquod meum exponam. Audivi enim de noſtris nonnullos ſic de iis, quas pro defunctis effundimus, orationibus ſtatuere; eas ab patribus eo conſilio inductas, non ut mortuos e purgatorio eximant; (cenſebant enim commentitium eſſe) ſed ut ipſis cum reſurgent, ab ſæviſſimis qui tum inundabunt, & judicio præibunt ignibus, incolumitatem exorent, & coram formidando judice ſecuritatem. Sic quippe oramus in Paraclitica: *οἰκέται σου, ὦ τριὰς ἁγία, οἱ θάνοντες προσέρχονται ῥυσθῆναι ἐξαιτοῦντες ἐκ τῆς φλογὸς τῆς φοβερᾶς ἐκείνης, καὶ τυχεῖν τῶν ἀγαθῶν δόξης τῆς ἁγίας σου ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως. Servi tui, o Trinitas ſancta, qui vita exceſſerunt, accedunt, poſtulantque ab flamma illa tremenda liberari, & frui ſanctæ tuæ gloriæ bonis in die judicii.* Et in Triodio ſabbato illo defunctorum commemorationi conſecrato: *τῇ ἐσχάτῃ οὖν σάλπιγγι σαλπίζοντος τοῦ σου ἀρχαγγέλου εἰς ἀνάστασιν ζωῆς ἁπάντων τότε, Χριστὲ, τοὺς δούλους σου*

Cur in precibus pro defunctis mentio ultimi judicii fiat.

ἀνάπαυσον. *Ultima tuba insonante archangelo tuo in resurrectionem vitæ omnium, tunc servos tuos, o Christe, fac quiescere.* Bene est, inquit *Ignatius*, & nos idem exposcimus a Deo: sed ea re non evertitur purgatorium, sed una eademque opera cum mortuos e purgatorii pœnis, placato precibus Deo, liberamus, eos ab metu futuri finiente mundo judicii præstamus securos. Solet autem ecclesia istis in precibus tum mortis, tum extremi judicii, atque etiam inferni pavendum in modum meminisse, ut salutari terrore percellat viventes, dum mortuos orando adjuvat. Quod si nullum esse orationum pro mortuis fructum alium pertendunt, immensum errant. Præsens enim petitur salus. Audi e Paraclitica sabbato in ἤχῳ δ'. sic beatam Virginem precantur: πιστῶν ἱλαστήριον σὺ ἀνεδείχθης ἁγνὴ, κοινὸν καταφύγιον καὶ μεσιτεία θερμὴ, παρθένε θεόνυμφε, ὅθεν καὶ τῶν ἐν πίστει πρὸς θεὸν μεταστάντων φάνηθι νῦν μεσίτης καὶ σωτήριος πύλη πρὸς πλάτος τοῦ παραδείσου, τούτους εἰσάγουσα. *Visa es, o purissima, fidelium propitiatorium, commune perfugium, & mediatio fervens, o Virgo Deo desponsa, unde & eorum qui in fide ad Deum excesserunt; appare* nunc *mediatrix & salutaris porta, illos in paradisi lata spatia inducens.* Et in ἤχῳ β'. sabbato: ῥύμην τοῦ θανάτου καὶ φθορὰν, σὺ τῷ ζωηφόρῳ θανάτῳ καθεῖλες δέσποτα, πᾶσι δὲ ἐπήγασας ζωὴν αἰώνιον καὶ νεκροῖς ἐξανάστασιν σωτὴρ ἐδωρήσω. ὅθεν σου δεόμεθα, καὶ νῦν ἀνάπαυσον πίστει τοὺς πρὸς σε μεταστάντας, καὶ τῆς ἀθανάτου σου δόξης τούτους καταξίωσον, φιλάνθρωπε. *Mortis vim & corruptionem vivifica morte tua, o Domine, sustulisti, vitam vero æternam omnibus effudisti, & qui salvator es, dedisti e mortuis exurgere. Quare te precamur, eos qui ad te demigrarunt, fac* nunc *etian. quiescere, & illos, o amator hominum, dignos effice gloria immortali.* Rursus in ἤχῳ γ'. sabbato: νῦν, ὡς μόνος ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος θεὸς, τοὺς μεταστάντας πρὸς σε τῶν μαρτύρων ταῖς λιταῖς ἐν χώρᾳ τῶν πραέων γῆς κατασκήνωσον τὴν λύσιν τῶν πταισμάτων παρέχων ἐλεήμον αὐτοῖς διὰ μέγα καὶ πλούσιον ἔλεος. Nunc *o qui solus es bonus, & hominum amator Deus, eos qui ad te translati sunt, fac martyrum precibus, fac habitare & quiescere in regione terræ, quam possident mites, absolutionem ipsis peccatorum concedens, & miserans ipsos ex magna & locuplete misericordia.* Plura protuli-

mus hujus dissertationis in decursu quibus petitur, ut *nunc*, hoc scilicet præsenti tempore Deus quietem mortuis largiatur, eosque *nunc* sanctis in cælo admisceat & æterna felicitate donet. Quo funditus evertuntur eorum commenta qui nostrarum pro mortuis orationum utilitatem ad judicii diem remittunt. Dixi. Dixisti, inquit *Nicolaus*, & protulisti e libris nostris satis superque. At non patiemur silere te, dum Romani exemplo doctrinam istam & sacrorum codicum autoritate & Patrum nostrorum dictis & Annalium fide comprobaveris. Hoc tibi tantum dabimus, respires & recreeris nonnihil, donec peracto prandio huc iterum pomeridianis horis conveniamus. Quod cum ultro concessisset, solutus est cœtus.

DIALOGUS VIII.

Ejusdem argumenti continuatio.

CONVENERUNT hora condicta Latini sacerdotes solitum in locum, quo jam religiosi Græci accesserant auctiore numero, quod ante meridiem, cum dimitteretur cœtus, Ignatius se contestatissima & admirabilia adducturum Patrum & Annalium testimonia significasset. Cum assedissent omnes, Id mihi, inquit *Ignatius*, ab ornatissimo abbate impositum est oneris, ut quæ e vestris pro confirmanda purgatorii doctrina excerpsi libris, divini verbi autoritate firmarem, munirenque Patrum vestrorum sententiis, tum illustrarem petitis ex Annalium fide exemplis. Et quamvis minime id necessarium videatur, quandoquidem officiorum sacrorum libri, qui leguntur in templis, vix aliud complectantur, quam flores quosdam ex divini verbi & Patrum hortis virentibus collectos: non possum tamen non obsequi votis vestris, & venerandi abbatis imperio. Paucis dicam, ne sim molestus, & e multis testimoniis non multa proferam. Primum duci potest ex cap. Apocal. 21. ubi cælestis Jerusalem, sancta illa beatorum civitas ab dilecto apostolo depingitur: cujus ubi formam, opes, gloriam & delicias expressit; *Non intrabit in eam*, inquit, *aliquid coinquinatum*.

At hominum etiam proborum λατρευσάντων, ut recitatis in precibus, θεῷ καθαρῶς, καὶ ἱερῶς ἀπολιπόντων τὸν βίον, quam multi *vita pie acta & morte sancte obita*, nonnullis etiamnum peccatorum levium inficiuntur maculis, quas delere, vel repentino oppressi morbo, vel solita humanæ imbecillitati negligentia impediti ante emissum spiritum non potuerunt? Quam multi sceleratissimorum hominum peccata moriendo execrantur, confitenturque, quorum exolvere pœnas debitas, ob instantem mortem, non licet? An horum par erit fortuna, quæ sanctissimorum hominum, & multos annos pœnitentium, ut subito cælesti scilicet gloria potiantur, quam illi vitæ longissimæ immensis laboribus sunt promeriti? An coinquinati tanto debito in eam ingredientur civitatem, in quam *non intrabit aliquid coinquinatum?* Porro illi, etsi nondum digni sunt, qui excipiantur in cælum, nihil habent tamen, quo rei æternæ pœnæ constituantur. Sunt enim peccatis lethalibus dolore suo, & confessionis sacramento absoluti. Unum deest, ut remittantur illis peccata levia, & quod habent debiti, quo promeritæ gloriæ, cujus in se pignus tenent Dei nimirum gratiam, possessione donentur. Ubinam, inquit *Nicolaus*, quove modo remitti illa debita produnt sacratissimi codices. Ea, respondit *Ignatius*, in sæculo altero remitti insinuavit Christus Dominus Matth. 12. v. 32. uti docet Gregorius Magnus lib. 4. Dial. cap. 39. *De quibusdam*, ait, *levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est, pro eo quod Veritas dicit, quia, si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen, ut prædixi, de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est. Sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa ab iis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt, aut in non gravibus rebus error ignorantiæ, quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis minime fuerint relaxata.* Gregorio prævivit Areopagitarum decus Dionysius lib. de eccl. Hier. p. 3. cap. 7.

Rogat, inquit, antistes πάντα μὲν ἀφεῖναι τὰ δι' ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν ἡμαρτημένα τῷ κεκοιμημένῳ, κατατάξαι δὲ αὐτὸν ἐν φωτὶ καὶ χώρᾳ τῶν ζώντων εἰς κόλπους Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ ἐν τόπῳ οὗ ἀπέδρα ὀδύνη καὶ λύπη καὶ στεναγμός. *Dimitti defuncto omnia quæ ex humana infirmitate admisit peccata, transferrique illum in lumen & regionem vivorum, in sinum Abrahæ, Isaac & Jacob, unde dolor & tristitia gemitusque aufugiunt.* Sinum vero illum interpretatur *beatorum patriarcharum & aliorum sanctorum omnium divinissimas, felicissimasque quietis sedes, quæ viros omnes deiformes excipiunt ad beatissimam, & nunquam senescentem, quæ in ipsis habetur, consummationem*, εἰς τὴν ἐν αὐταῖς ἀγήρω καὶ μακαριωτάτην τελείωσιν. Dionysium sequitur Basilius magnus, ubi cap. 4. Esaiæ interpretatur. Illud enim prophetæ enarrans, *Abluet Dominus sordes filiarum & filiorum Sion, & sanguinem Jerusalem expurgabit de medio ejus in spiritu judicii & in spiritu ardoris;* docet baptismum seu purgationem quæ in spiritu judicii & in spiritu ardoris facienda est, futuram in altero sæculo per ignem. Quo igne purgatorium vir sanctus expressit, cum in dæmonum inferis neque baptismus sit, neque purgatio. μήποτε τρεῖς εἰσιν αἱ ἐπίνοιαι τοῦ βαπτίσματος; ὅ, τε τοῦ ῥύπου καθαρισμὸς, καὶ ἡ διὰ τοῦ πνεύματος ἀναγέννησις; καὶ ἡ ἐν τῷ πυρὶ τῆς κρίσεως βάσανος. ὥστε τὸ μὲν, ἐκπλυνεῖ, πρὸς τὴν ὧδε ἀπόθεσιν τῆς ἁμαρτίας λαμβάνεσθαι· τὸ δὲ, πνεύματι κρίσεως, καὶ πνεύματι καύσεως, πρὸς τὴν ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι διὰ τοῦ πυρὸς δοκιμασίαν. *Num forte, inquit, tres sunt baptismatis notiones? expurgatio scilicet sordium, regeneratio per spiritum, & ea quæ per ignem fit in judicio probatio. Ita ut illud, abluet, pro depositione peccati, quæ in hac vita fit, sumatur; hoc autem, in spiritu ardoris, ad eam referatur quæ per ignem fit in sæculo futuro probationem.* Nec minus diserte in caput 9. ἐὰν οὖν γυμνώσωμεν τὴν ἁμαρτίαν διὰ τῆς ἐξομολογήσεως, ἐποιήσαμεν αὐτὴν ξηρὰν ἄγρωστιν, ἀξίαν τοῦ ὑπὸ τοῦ καθαρτικοῦ πυρὸς καταβρωθῆναι. *Si igitur peccatum per confessionem detexerimus, jam succrescens peccati gramen arefecimus, dignum quod purgatorio igne absumatur.* Basilio magno fratri suo non minor Gregorius Nyssenus consentit orat. de infantibus qui præmatura morte abripiuntur. Quid anima illa pueruli fiet? λήψεται τὴν κατ' ἀξίαν ἀντίδοσιν, ἢ πυρὶ καθαι-

ἐσμῆνη κτ̀ τὰς τοῦ εὐαγγελίου φωνάς, ἢ τῇ δρόσῳ τῆς εὐλογίας ἐναποψύχουσα; *An accipiet meritam compensationem, vel igni purgata, juxta evangelii voces, vel rore benedictionis refrigerata?* Apertissime etiam in sua ad eos oratione qui ob fidelium obitum lugent, hominem tradit purgari oportere, ἤτοι κτ̀ τὴν παροῦσαν ζωὴν διὰ προσευχῆς τε καὶ φιλοσοφίας, ἢ μτ̀ τὴν ἐνθένδε μετανάστασιν διὰ τῆς τοῦ καθαρσίου πυρὸς χωνείας: *vel in hac præsenti vita orationis & sapientiæ studio, vel postquam ex hac vita abscessit, per ignis purgatorii fornacem.* Pauloque post: μτ̀ τὴν ἐκ τοῦ σώματος ἔξοδον.... ἐν τῷ μὴ δυνάσθαι μετασχεῖν τῆς θειότητος, μὴ τοῦ καθαρσίου πυρὸς τὸν ἐμμιχθέντα τῇ ψυχῇ ῥύπον ἀποκαθήραντος. *Post exitum e corpore particeps esse divinitatis non poterit, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit.* Hic *Abrahamus* Methodium intuitus, Mirum, inquit: e Græcis sunt illi Patres, neque tantum purgatorii meminerunt, sed & ignis illic urentis! Atque ista, adjecit *Ignatius*, non sunt novi duntaxat testamenti, sed & veteris. Nostis enim quod Maccab. l. 2. c. 12. refertur, *sanctam & salutarem esse cogitationem pro defunctis exorare, ut ab peccatis solvantur.* Sed audite Chrysostomum hom. 41. in 1. ad Cor. *Si qui mortuus est, decessit peccator, quoad ejus fieri potest, opem ei ferre oportet,* οὐ δακρύειν, ἀλλ' εὐχαῖς καὶ ἱκετηρίαις καὶ ἐλεημοσύναις καὶ προσφοραῖς: *non lacrymando, sed precibus & supplicationibus & eleemosynis & oblationibus. Non sunt enim hæc excogitata temere, neque frustra in divinis mysteriis eorum facimus memoriam qui excesserunt, & pro ipsis accedimus, agnum propositum, qui mundi peccatum tulit, rogantes:* ἀλλ' ἵνα τις ἐντεῦθεν αὐτοῖς γένηται παραμυθία: *sed ut inde aliqua eis consolatio existat. Neque abs re qui altari adstat, dum pavenda perficiuntur mysteria, clamat pro omnibus Christo dormientibus, & pro iis qui illorum memoriam celebrant....... Ipsis igitur succurramus, & ipsorum meminerimus. Si enim Jobi filios patris sacrificium purgavit; quid dubitas, an nobis pro iis qui obierunt, offerentibus, eis accedat aliqua consolatio? Gratificari Deus propter alios, aliis solet....... Ne defatigemur opitulando mortuis, & pro illis offerendo preces. Prostat enim commune mundi piaculum.......* τί τοίνυν ἀλγεῖς; τί δὲ θρηνεῖς ὁπότε τοσαύτην δυνατὸν συγγνώμην συναγαγεῖν τῷ ἀπελθόντι;

θέντι; *Quid ergo doles, quid luges & lamentaris, quando defuncto potest tanta conciliari venia?* Testimoniorum satis est, inquit *Methodius*: jam si placet ab Annalibus exempla nobis adducas. Sinite me, reposuit *Ignatius*, sinite me prius selectissimum Pauli locum Augustino interprete proponere. Sic ille in psal. 37. *Hac iste graviora formidans, excepta vita ista, in cujus malis plangit & gemit, rogat, & dicit:* Domine, ne in indignatione tua arguas me. *Non sim inter illos quibus dicturus es*: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Neque in ira tua emendes me, *ut in hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit*, propter illos qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem, 1. Cor. 3. *Quare, nisi quia hic* ædificant supra fundamentum ligna, fœnum, stipulam? *ædificarent autem* aurum, argentum, lapides pretiosos, *& de utroque igne securi essent, non solum de illo æterno qui in æternum cruciaturus est impios:* Ite in ignem æternum; *sed etiam de illo qui emendabit eos, qui per ignem salvi erunt. Dicitur enim:* Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. *Et quia dicitur,* salvus erit, *comtemnitur ille ignis. Ita plane quamvis salvi per ignem; gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. Et nostis quanta hic passi sunt mali, & possunt pati.* Et lib. de vera & falsa pœnitentia c. 18. *Prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis, etsi æternus non sit, miro tamen modo est gravis.* Est plane, inquit *Nicolaus*, locus iste uterque terribilis. At, subjecit *Methodius*, aliam apostolici dicti interpretationem Chrysostomus adhibet. Adhibeat, inquit *Ignatius*: an continuo falsus est Augustinus, cujus doctrinam sexta apud vos œcumenica synodus jubet recipi? Deinde, an cum interpretatur aliter, sic explicat, ut pertendat, neque loco isto, neque ullo sacrorum codicum alio probari purgatorium posse? Præterea an nescis sanctos Patres, cum alii aliter locum intelligunt aliquem, variam quidem ei, sed catholicam tamen tribuere sententiam? Denique fecit sanctissimum Chrysostomi nefariam in hæresim odium, ut vim Paulinis verbis inferret. Pugnabant enim Origenistæ hoc declarari testimonio, liberandos

V

aliquando ex inferis reprobos; declarari contra voluit Chrysostomus, hoc ipso pronuntiato nunquam esse liberandos. Atque adeo verba ista; *salvus erit, sed tamen quasi per ignem*, sic sumpsit: In igne salvus erit, in illo scilicet æternum sine interitu cruciandus est. Sed quis statim non videat aliud esse, *Ipse salvus erit, sed tamen quasi per ignem*; aliud, *In igne vivus erit?* Et vero non agit hic Paulus de homine peccati lethalis reo, sed de illo in quo habitat Spiritus sanctus, quique ædificat super Christum opus aliquod tanto fundamento minime consentaneum. Hunc porro hominem non ait exitium passurum, sed detrimentum, quia per ignem ipsi transeundum erit, sic tamen ut exoluta pœna salvus evadat. Quod est ab Basilio præclare animadversum in cap. 9. Esaiæ, cujus hæc verba, *Et erit populus sicut ab igne deustus*, sic enarrat: οὐκ ἀφανισμὸν ἀπειλεῖ, ἀλλὰ τὴν κάθαρσιν ὑποφαίνει, κατὰ τὸ παρὰ τῷ ἀποστόλῳ εἰρημένον, ὅτι εἴ τινος τὸ ἔργον κατακαήσεται, ζημιωθήσεται, αὐτὸς δὲ σωθήσεται, οὕτως ὡς διὰ πυρός. *Non comminatur exterminium, sed purgationem innuit, juxta apostoli sententiam: quod si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Utut sit, quamvis locum illum Chrysostomus non usurpat ad purgatorium adstruendum, abunde nobis est quod aliis in locis illud disertissime ac copiosissime comprobarit. Patres alii usurparunt, quos inter Ephræmus Syrus, sermone de eversione superbiæ, *An*, inquit, *non consideras illum per quem transibimus ignem? Quando igitur pertranseuntes eum, mundi deprehensi fuerimus & irreprehensibiles; tunc cognoscemus nos ipsi quales sumus. Dies enim Domini uniuscujusque opus declarabit, sicut scriptum est, quia in igne revelabitur.* Vultis adveham plura ab Gregorio Nazianzeno sub finem orationis habitæ in morte fratris Cæsarii; ab Athanasio quæst. 34. ad Antiochum principem; ab Epiphanio l. 3. advers. hær. hæresi 75. ab Græcis denique Patribus aliis & Latinis? Frustra, inquit *Methodius*, tantam colligas nubem testium, cum verbum omne in ore duorum triumve Domini jussu & autoritate legum necesse sit stare. Expetimus quæ habes ex Annalibus exempla. Primum, reposuit *Ignatius*, e Triodii vestri Synaxario desumam, & referam

quasi ad verbum, ut vestro vos ore judicemini. Aures date. Theophilus imperator, doctrinæ novitate in ecclesiam inducta, multos in errorem impulit. Sacris imaginibus indicto bello monachos & sacerdotes nonnullos, minis, præmiis, arte omni ab patrum fide amovit, quosque sibi non valuit adjungere, alios exulare jussit, mersit alios, alios alio mortis genere sustulit. Neque destitit duodecim ipsos annos insectari ecclesiam, dum gravi illum morbo Deus perculit. Sic ab aure dextra ad sinistram disruptus est miser; ut ejus per os ipsum viscera apparerent. Hic uxor ejus Theodora casu admirabili permota, cœpit animo multa versare; cum ecce somno capta videre sibi visa est Virginem beatissimam, ejusque in ulnis sub pueruli forma Christum Dominum, circum hinc inde stantes angelos, & ab angelis catenis ferreis constrictum conjugem suum. Vix discusso somno evigilaverat, cum imperatorem audit elata voce exclamantem: Væ mihi peccatori qui ob scelus effractarum imaginum in hanc adeo acerbam pœnam incidi. Prosiliit ad vocem Theodora, & acceptam statim Christi ac purissimæ Virginis imaginem Theophilo venerandam obtulit. Tum ille ad ejus aspectum pœnitere, flere, orare, veniam precari. Advolarat plebs prope omnis, intentisque in imperatorem oculis hærebat admiratione defixa. Erat in turba nescioquis: ille divino quodam impulsus æstu Deiparæ virginis efferebat imaginem, & ostentabat. Eam, ut aspexit Theophilus, afferri petiit, & demississima mente veneratus ori sibi appressit. In ipso statim osculo rediit oris forma pristina, qualis fuerat. Tum voce magna palam exclamans, Vere, inquit, vere de sacris imaginibus sentire oportet, illasque cultu purissimo æquissimum est venerari. Continuo quas asservabat Augusta imagines, ex arca produxit, & imperatori exhibuit, quas ille summa fide amplexus est, totaque mente coluit. Obiit non ita multo post Theophilus: tumque Theodora quos ipse in carcerem imaginum causa detruserat, exemit e vinculis, ac Methodium inprimis patriarcham ex perobscuro illo antro, ubi fuerat acerbissima annos plurimos perpessus. Florebant hac ætate viri sanctitate insignes Juventius & Arsacius. Monentur ab angelo Nicomediam ad Isaiam se

conferant, cujus ore de voluntate divina fierent certiores. Ad eum cum convenissent, Ite, inquit, ad Theodoram augustam & Methodium patriarcham: hæreticos omnes Episcopos quærant & convocent, tum sacrum fiat, postquam redditæ templo & affixæ imagines fuerint. Hæc cum ab Isaia magno in mandatis accepissent, Constantinopolim reversi Methodio patriarchæ & orthodoxis civibus renuntiant audita. Cives cum patriarcha & clero ad Augustam se conferunt. Erat illa ab teneris annis rectam ecclesiæ fidem complexa. Quare statim sacræ quam deferebant imagini assurgens, eam deosculata singulari religionis sensu humeris suis imposuit, vocemque efferens, Feriatur, inquit, feriatur anathemate, qui sacras non suscipit aut veneratur imagines. Neque vero illarum cultus ad idolorum cultum similitudine accedit, neque iis honor habetur, nisi in eorum gratiam, quorum nobis formam exhibent & dignitatem. Hanc Theodoræ eximiam fidem incredibili lætitia exceperunt sacerdotes & antistites, & actis Deo gratiis collaudarunt. At Augusta ad eorum pedes provoluta, etiam atque etiam vehementi fletu petiit, ut Theophilo conjugi suo veniam exorarent. Votis annuunt: convocatisque in sanctæ Sophiæ templum civibus, & episcopis cum clero, jubet omnes patriarcha noctem totam vigiles orando exigere. Erat tum prima quadragesimalis jejunii hebdomada. Suas Augusta cum illis preces conjunxerat. At victa somno dum paululum quiescit, sibi ante columnam visa est stare, cui venerandæ crucis erat imago imposita; eoque accedere nescioquos suppliciorum instrumentis armatos, & ipsum imperatorem Theophilum a tergo manibus revinctum, quem homines quidam verberarent in via, & gravissime torquerent. Eum, ut vidit Theodora, statim agnovit, & assurgens, illos, dum pervenirent in S. Sophiæ templum, longo insecuta est intervallo. Hic hominem vidit in excelso solio considentem, & in ejus conspectu sacram Christi imaginem. Adducitur coram Theophilus. Mox Augusta ad illius qui considebat in solio, pedes accidens, veniam Theophilo precari. Cui vir ille Deum dignitate ac majestate referens, Nunc, inquit, o mulier, fidei tuæ & lacrymarum

ardentissimarum precumque tuarum merito, sed earum maxime quas antistites fuderunt, conjugi tuo Theophilo ignovi. Quæ cum dixisset, jussit illum exolvi vinculis, & tradi uxori. Assertum in libertatem, & ab pœna omni exemptum summa cum voluptate excepit Augusta, tantoque provocata beneficio deprædicare divinas laudes exorsa est, & gratias agere quam potuit ferventes & magnas. Hæc in somnis Theodoræ ostensa. Porro Methodius patriarcha vigiliis illis & precibus, quas proxime commemoravimus, ad finem deductis, hæreticorum imperatorum nomina omnia in charta descripsit, in iisque Theophili nomen. Chartam hanc complicatam & obsignatam annulo, clam sub sacri altaris mensa, nullo teste, deposuit. Atque aliquanto post tempore cum vigilias feria VI. Methodius patriarcha ageret, angelum non sine pavore gravi conspexit, audiitque sic alloquentem: Preces tuas ac sacerdotum Deus opt. max. o Methodi, admisit, & veniam Theophilo imperatori concessit: noli quidquam amplius pro ipso petere. Incredibili perfusus gaudio patriarcha cum surrexisset, confestim ad templum se contulit, depositamque sub altari chartam accepit & explicuit, atque hæreticorum imperatorum quæ descripserat nomina omnia, nihil immutata reperit, præter Theophili, cujus ne vestigium quidem relictum est. Hic Methodius tota voce exclamans, Benedictus es, inquit, Domine, & admiranda tua opera. Perfertur ad Augustam felix nuntius, eoque recreatur. Legunt ista Græci, & in templis palam recitant. Quis ergo illos arguere audeat quasi purgatorium nesciant. Unde enim liberatus est Theophilus? Certe non dæmonum ac damnatorum ex inferis, unde educi neminem posse cum V. synodo Græci profitentur. Deinde peccata sua Theophilus summo animi dolore, cùm moreretur, palam confessus atque execratus est: quo dolore veniam consecutus scelerum tartareis addici pœnis ab Deo clementissimo non potuit. Erant igitur purgatoriæ illæ pœnæ, ab quibus orationum beneficio exemptus est. Profero alterum e S. Gregorio pontifice maximo, quem Dialogum magnis ubique cum laudibus appellatis, exemplum. Scribit ille lib. 4. dial. c. 55. vel ut habet interpretatio Græca, 15. monitum se, religiosum e

ſuis unum, qui tum morbo graviſſimo premebatur, nummos aliquot clam collectos ſibi habere, contra quam religioſis viris liceat, qui paupertatem voto profeſſi, nihil ſibi poſſunt vel lucrari vel aſſervare. Vetuit Gregorius, ne quis morienti illi fratrum adeſſet, ut cum ſe in peccati pœnam deſertum abjectumque adverteret, acerbiore pœnitentis animi ſenſu moveretur, & a Deo veniam facilius impetraret. Pœnituit illum facti, & obiit. Porro ad exemplum ceterorum juſſit S. Gregorius demortui cadaver in ſterquilinium cum illis nummis projici, ſucclamantibus omnibus: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Valuit ad emendationem, & virtutum accretionem pœna. Ea enim perterriti fratres alii, non ſe illicitis modo, ſed etiam licitis abdicarunt. Cum vero triginta ab ejus morte jam dies eſſent elapſi, *cœpit animus meus*, inquit Gregorius, *fratri defuncto compati, ejuſque cum dolore gravi ſupplicia penſare, & ſi quod eſſet ereptionis ejus remedium quærere. Tunc evocato ad me ejuſdem monaſterii mei præpoſito, dixi: Diu eſt quod frater iſte, qui defunctus eſt, in igne cruciatur. Debemus ei charitatis aliquid impendere, & eum, in quantum poſſumus, ut eripiatur adjuvare. Vade itaque, & ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo ſacrificium ſtude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius hoſtia ſalutaris non offeratur. Qui protinus abſceſſit, & dictis paruit. Nobis autem alia curantibus, idem frater qui fuerat mortuus, nocte quadam fratri ſuo germano Copioſo apparuit per viſionem. Quem ille cum vidiſſet, inquiſivit dicens: Quid eſt, frater? quomodo es? Cui reſpondit: Nunc uſque male fui, ſed jam modo bene ſum, quia hodie communionem recepi*, id eſt, in ſanctorum ſum ſocietatem admiſſus. *Quod idem Copioſus pergens protinus indicavit fratribus in monaſterio. Fratres vero ſollicite computaverunt dies, & ipſe dies extiterat, quo pro eo trigeſima oblatio fuerat impleta. Cumque & Copioſus neſciret, quid pro eo fratres agerent, & fratres ignoraſſent, quid de illo Copioſus vidiſſet, uno eodemque tempore, dum cognoſcit ille quid iſti agerent, atque illi cognoſcunt quid ille viderat, concordante ſimul viſione & ſacrificio res aperte claruit, quia frater qui defunctus fuerat, per ſalutarem hoſtiam evaſit ſupplicium.* Hæc e Gregorio illo vere magno, quem tantis lau-

dibus Græci celebrant, ut neminem majoribus. Aliud jam vobis e S. Stanislai Cracoviensis episcopi & martyris historia depromo. Virum hunc sanctissimum infensissimo odio rex Poloniæ Boleslaus prosequebatur, quod ipsum non sineret impune peccare. Existimarunt flagitiosi quidam homines se præclare de principe merituros, si optimo præsuli intenderent litem, e qua cum sese non posset expedire, ea excideret, qua florebat, virtutis absolutissimæ fama. Emerat ab viro, Petrum appellabant, numerata statim pecunia, sed omissa teste solutionis syngrapha, nullisque secum adhibitis testibus, prædium. Petro jam pridem mortuo hæredes coram rege vadimonium dicunt Stanislao, tanquam qui fraude rapuisset aliena. Suum esse prædium clamitant. Si vere emit, vel testes adducat, vel exhibeat syngrapham. Neutrum cum haberet ad manum innocentissimus antistes, propeque jam esset ut causa caderet, sententiam in diem tertium differri postulat, pollicitus se Petrum ipsum ab quo in ecclesiæ commodum prædium emerat, producturum in testem. Dictum excipitur risu: jam enim ab annis tribus Petrus obierat. Conceditur viro, ut arbitrabantur, simplicioris ingenii mora illa dierum trium. Quo spatio noctu diuque non destitit precibus ac jejuniis sibi Deum conciliare, & facere propitium. Dies cum tertius illuxit, facto sacro jubet effodi Petri tumulum. Ejus cadaver pastorali pedo impellit, jubetque surgere, ac testimonium pro veritate dicere apud regem. Mirum! vix jusserat, Petrus exurgit, & Stanislao ad regem usque se præbet comitem. Confluxerat eo die ingens magnatum & judicum turba. Progreditur cum suo Petro in medium Stanislaus, & regem de more veneratus, Ecce tibi, inquit, o rex, Petrus ille ab summo & præpotente Deo missus in testem veri. Tum Petrus: Ita plane se res habet, venditum a me fuit Stanislao prædium, mihique ab illo persolutum est pretium omne. Mox cœpit in actores, falsi reos, acerbius invehi, minatus vindicem Dei manum, nisi consentaneam crimini tanto pœnitentiam agerent. Obstupuere ad miraculum omnes. Discedit adjudicata sibi causa Stanislaus. Petrum rogat, num placeat manere in vivis; id se ab Deo opt. max. si ita lubet,

exoratum. Absit, inquit: etsi enim, pater colendissime, jamdudum in purgatorio dura omnia patior, illic mihi satius salutis securum pati, quam ejusdem incertum hic vivere. At velim abs te pro tua in miseros caritate, mihi non desinas precibus & sacrificiis opem ferre, quo me citò Deus ad se transferat. Sepulcrum repetit, decumbit & moritur. Hæc vobis tria sufficiunt, ut reor, exempla. Pace tua dixerim, inquit *Nicolaus*, non sufficiunt. Quamvis enim ad faciendam fidem sint satis, non sunt tamen ad satietatem satis. Perge recitare. Et si habes, adjunge antiquis illis exemplis aliqua recentiora. Etsi enim, Ignati, neutris jam opus est post adducta in istam rem tot rationum momenta, quæ maxime vos eruditi viri & fere una vultis attendi; valent tamen ad permovendos animos, certe ad recreandos. Quandoquidem vel ab invito, reposuit *Ignatius*, extorques imbecilliora hæc argumenta veritatis; prius nova quam profero exempla, sine me enarrare aliud, non e recentioribus illud quidem, sed neque ex antiquioribus istis. Est autem probatissimæ fidei. In oppido Hispaniæ, cui nomen Stella, vir nobilis Petrus ab Engeberto floruit. Is jam ætate provectior spreto mundo Cluniacensem ordinem ingressus est, & solebat fratribus commemorare admirabilia quædam, quibus permotus ad religiosum habitum capessendum aspiraverat. Id cum rescivit Petrus Cluniacensis ordinis præpositus generalis, ne quid temere diceretur apud suos, Nazaram, ubi degebat Petrus, se contulit, eumque coram episcopis duobus rem totam jussit summa fide, prout gesta est, exponere. Alphonso juniore regnante, inquit Petrus, & bellum in Castellanos qui rebellaverant, movente, edictum est, ut ex unaquaque domo unus in militem mitteretur. Misi e domesticis meis Sancium, qui e bello redux non multo post tempore extinctus est, communi hominum fato. Quarto postquam obiit mense, cum essem in lecto, hiberna tempestate, de nocte quidem, sed vigil, nescioquem inspexi, qui foci cineres commoveret. Atque is detectis carbonibus ad illorum lucem magis apparuit. Ego etsi perterritus facto, rogavi tamen quisnam esset, quidve hic sibi esset negotii, quid vellet? Ego, inquit, here, tuus sum Sancius, Castellam peto

Caussinus in Aula sancta.

peto cum multis militibus aliis expiaturus peccata. At, reposui ipse, si te divina jussa alio evocant, quid huc divertisti? Factum id, ait, Dei concessu: opem tuam imploro, adjuva me. Missus a te superiore bello in militem, peccavi multa, quorum nunc gravissimas pœnas exolvo. Tuis, obtestor te, dolorem meum precibus & eleemosynis leva. Est mihi apud heram etiamnum nummorum aliquid, hoc jube in meæ utilitatem animæ totum expendi. Posui tunc timorem, cœpique multis Sancium meum sciscitari de quodam Petro Dejaca populari meo, non ita pridem vita defuncto. Jam, inquit, beatitatem consecutus est, ob eleemosynas in nupera fame factas. Quæsivi præterea de judice mihi cognito, recens quoque mortuo. De hoc, respondit, noli quærere. Jam enim judex ille iniquissimus, & pecuniæ cupiditate depravatissimus, pœnas criminum suorum æternas dependit. Pergo & de rege Alphonso magno percontari, cum ecce mihi vox e fenestra, Id, inquit, ab Sancio noli sciscitari, cum jam pridem e vivis princeps ille sublatus sit: ego qui ab annis quinque decessi, novi de illo plura. Obstupui ad vocem, conjectisque eo oculis unde advenerat, virum aspexi fenestræ innixum. Ubinam igitur, dixi, Alphonsus magnus? Multa, inquit, in suo e vita exitu passus est, sed plurimum adjutus est religiosorum orationibus & votis. Nunc autem quo loco vel statu sit, id vero nescio. Tum ille ad Sancium, qui ad ignem sederat, Age, inquit, jam abeundi tempus est: surge. Hic Sancius vehementer ingemiscens. Here, exclamavit, ultimum hoc te oro, mei memineris, & heram mone, ut quod dixi, expleat. Dixit, & abiit. Postridie ab uxore mea didici re vera pecuniam apud se ab Sancio relictam esse. Et statim quod æquum erat, illi officiosissime persolvimus. Quantum capio ex dictis, inquit *Methodius*, in Hispania purgatorii sedes est; memini tamen te disserere alias illud in imis terræ visceribus esse defossum. Hoc certe affirmavi, respondit *Ignatius*, quia in illa terræ depressissima specu, ut plurimum animæ crucientur purgantibus flammis. At nihil obstat quominus jubente Deo, pœnas ibi dent, ubi peccarunt: quod sæpe fit. Atque ita narrat S. Gregorius lib. dial. 4. cap. 55. nescioquem in balneo

quas incurrerat purgatorii pœnas exolvisse. Sic etsi dæmonum ac damnatorum locus infimis terræ partibus definiatur, nihil impedit, quominus hic e dæmonibus plurimi sua secum supplicia circumferant. Versari enim inter nos & in aëre dæmones cum tradunt SS. Patres, tum communis omnium sententia est frequentiore experimento comprobata: versari tamen eosdem nunc in inferis, vos & Christianorum reliqui profitemini. Legite Euchologii vestri caput illud exorcismorum ab Basilio magno conscriptorum. Eo quippe loci disertissime pronuntiatis luciferum cum ab obsequio defecit, fuisse a Deo ad infimas tartari partes cum angelis sibi consentientibus deturbatum. Verum in his minime necessum est immorari. Venio ad recentiores historias. Primam accipio e libello quem P. Franciscus Rigordius e nostris Peregrinationes suas apostolicas inscripsit, remque, ut contigit, ipsissimis ejus verbis recito. Bacaïni, inquit, in India anno 1646. infimæ classis magistro Barbosæ anima cujusdam fratris coadjutoris, a tribus annis ibidem mortui, specie corporis ter se videndam obtulit. Horruit primo aspectu bonus magister, tum resumpto spiritu animam compellat, eique petenti, cum facultate rectoris, horam serotinam recreationis ad colloquendum assignat. Statuto tempore adest anima; candelam accendit, & sedes duas, honestiorem unam magistro, utpote tonsura inaugurato, alteram minus honestam sibi parat. Perterritus magister regreditur, sed a patribus animose incitatus ingreditur. Sedet, anima assidente, tum multa ultro citroque percontantur. Quærit primum magister ab anima, quid petat? Sacrum, inquit, unum a quolibet sacerdote, & coronam a singulis fratribus. Rogo præterea P. rectorem, ut decem pardaos (moneta est argentea medio nummo æquivalens) pauperibus eroget, ultra eos decem, quos singulis mensibus solet egenis erogare. Quærit deinde, num religiosi aliqui flammis purgantibus torqueantur. Torquentur, inquit, defectu studii perfectionis, zeli animarum, & venerationis atque attentionis, dum sacerdotalis muneris horarium pensum vel in choro vel in cubiculis oscitanter & minus reverenter, vel in porticibus præcipitanter ac minus attente exolvunt. Quærit etiam quid animæ P. Manuelis de

Almeida visitatoris, qui nuper Goæ obierat, in egressu e corpore contigerit. Eum respondet purgantes flammas celerrime prætervolasse, quod calumnias multas humili & religioso animo pertulisset, & quod pleniorem indulgentiam patribus societatis concessam, esset consecuta, quam, inquit, pauci consequuntur. Denique ut paucis multa quæ sancta obedientia silentio involvenda magistro injunxit, complectar, tertio ab mutuo colloquio die, anima multas gratias patri rectori egit, & toti collegio: magistrum monet, ne ab hoc privilegio speciali fiat elatiore animo. Tum amice & honorifice vale dicens in cælum evolat. Bonus magister hæsit attonitus, ac deinceps animi velut a sensibus abrepti alienationem pati visus est. Cum eo P. Franciscus, Bacaïni quæ civitas pulcherrima est Lusitanis parens, familiariter egit. Mirum est istud, inquit *Nicolaus*, & plenum emolumenti exemplum. Admirabilius tibi profero, ait *Ignatius*, nec illud vetus, quo collocutionem hanc nostram bona vestra venia concludam. Hoc peto ex ordinis nostri annalibus. Habitabat non longe ab Bruxellensi civitate quodam in castello vir nobilis, cujus castelli partem sic infestam tenebant genii nonnulli, quemadmodum videbatur, pessimi, ut neminem liceret hic degere. Lapidem vir ille omnem movit, quo se turbis illis expediret, at irrito prorsus labore. Interea Bruxellis cum ageret, ad ædes societatis Jesu non spe quidem reperiundæ salutis, sed solatii gratia se contulit. Incidit optimum in senem, a quo pacare animum jussus est, & metum ponere. Addidit religiosus sacerdos velle se adire ad ipsum, & oculis ipsis stupenda illa quæ narrabat, inspicere, idque se vel hoc ipso die, vel certe crastino facturum. Condicto tempore pater adfuit. Maximo honore ac singulari lætitia excipitur: facta cœna deduci se in eam castelli partem postulat, ubi horrendi illi quasi hominum omnia evertentium audiebantur tumultus. Eo deductus cum socio, (conclave erat ad latus aulæ amplissimæ reconditum) Placet, inquit, in hoc turbarum & portentorum loco noctem exigere. Apparatur locus, lumina accenduntur, occluditur janua, & orationi ferventissimæ sese dant viri illi religiosi. Ecce tibi sub noctem mediam rumor strepitusque pro

more exoritur, & accurrens vehementiſſimo impetu per aulam neſcioquis, januam ſemel iterumque, ſilentibus de induſtria religioſis, pulſat, ac tandem impacto per vim pede dejicit, & intrat. Apparuit ſpectrum horrendum, exangue & aridum, lingua extra os promiſſa & pendula quaſi ſitientis ſupra modum canis, cæco quodam & pavendo igne ex oculis erumpente. Tum collecto obfirmatoque pater animo illud hominis monſtrum Dei nomine compellat, exponat quis ſit, ibique quid ſibi velit. At ille, Reſponſum, inquit, ab eo accipies, qui me mox aſſequetur. Vix effluxerat horæ pars quarta, cum ecce alius immanitate par, nec abſimilis vultu & habitu præceps accurrit ut alius, & arrepta ſede illi aſſidet, & roganti patri quis eſſet, quid expeteret, Qui me, inquit, mox aſſequetur, dabit is tibi reſponſum. Paulo poſt perſimilis alius pari impetu advenit, ſeque aliis in ſede adjunxit, & paria quærenti religioſo paria reſpondit. Denique non ita multo poſt quartus adfuit alius, ſed diſpare omnino inceſſu & forma. Erat enim venuſto vultu, aſpectu leni, modeſto habitu: at dolentis tamen in modum & vinctis manibus videbatur. Intellexit ex hac varietate pater, hujus aliam, aliam ceterorum eſſe ſortem, Quare ipſum aggreſſus, Obteſtor, inquit, per ſacratiſſimum Dei nomen, & eam, quam præſtolaris miſericordiam, aperias quis tu ſis, quinam illi, quid expoſcatis. Ego, repoſuit, illi qui caſtelli hujus habetur dominus, ſum pater. Porro ex his tribus, hic parens meus, ille avus, & ille abavus. Abavus hic meus dum inteſtinis ac domeſticis bellis regio deflagraret, hoc ſibi per vim caſtellum vindicavit, & legitimo hæredi ſurripuit, divitiarumque ac mundanæ gloriæ cupiditate captus inducere in animum non potuit, ut reſtitueret. Sic alterius bonis, dum viveret, abuſus, commerita poſt mortem pœna affectus & æternis addictus incendiis. Hæc cum ipſe diceret, e conſpectu ejus ille abavus evanuit. Tum proſecutus dicere, Ille vero, inquit, avus meus parentis ſui implicatus ſcelere, bona quæ noverat eſſe non ſua, ſibi detinuit, & his bonis mala quæ patitur, promeritus eſt æterna. Ad hanc vocem infeliciſſimus ille pariter exceſſit ab oculis. Jam autem, pergit, hic quem vides ſupereſſe de tribus, parens

meus est. Ipsi non plane constitit, se frui hæreditate non sua, sed suspicabatur valde, & eadem qua progenitores alii cupiditate victus, neglexit de legitimo hærede; imo cum arguente conscientia urgeretur, noluit inquirere. Quamobrem aliorum obstrictus scelere eandem incurrit æternam pœnam. Ad hæc verba abscessit miser, & evanuit. Tum pergit iste: Mihi autem sic advenit hæreditas, ut illam inierim quasi meam & paternam. Christiane vixi & obii, admisi tamen aliqua, quorum in pœnam tamdiu purgantibus suppliciis conflictor, dum castellum hoc domino suo reddatur. Sic ergo adhortare filium meum, ut misertus mei legitimo hæredi faciat quamprimum satis. Hæres ille ipsi in famulum obtigit Joannes nomine. Tum apertissima indicavit argumenta, quibus de illius jure plane constabat, & evolavit. Quod superfuit e nocte cum effluxisset, ad virum nobilem religiosi adeunt. Is audito pro more strepitu, veritus ne pessime fuissent excepti, statim, quo se modo habeant, quærit; quid gestum sit, quid futurum deinceps. Præclare, inquit sacerdos, nobiscum actum est, nec tecum male, sed minus forte commode quam velles. Non mea, reposuit vir nobilis, sed Dei voluntas meo etiam incommodo & damno fiat. Num tibi, inquit, famulatur quidam nomine Joannes? Illius tu bono frueris, & ejus est hoc castellum, quod cum avi tui qui nobis visi sunt, jure nullo, imo injuria summa possederint, æternis sunt damnati cruciatibus. Parens vero tuus bonæ fidei possessor ob quædam peccata minus gravia purgantibus flammis torquetur, dum Joanni pro hæreditate feceris satis. Hæredem vero hunc esse, hinc & inde non dubiis testimoniis certum est. Quod cum vir nobilis e veritate comperisset, evocatum Joannem alloquitur; nihil dissimulat, & pactus, ut voluit, bonis conditionibus, illum locupletavit, nec ipse dejectus e statu est. Nec postea quidquam in castello auditum est, vel strepitus vel turbarum. Hic exclamavit *Nicolaus*, confige, o Domine, confige timore carnem meam, a judiciis tuis timui. Maximas vero, patres venerandi, Deo habemus, agimusque gratias, quod ejus ductu huc ad nos diverteritis tam admirabilia, tam utilia dicturi. Sed pergite. Nescio, inquit *Methodius*, an per tem-

pus liceat. Orandi enim jam instat hora, & cum diem crastinum festum habeamus, precationum officium prolixius est. Ita monuit, & factus est dicendi finis.



DIALOGUS IX.

De azymo & fermentato pane qui ad eucharisticum sacrificium adhibetur.

FACTUM est hoc festo die ingenti pompa ab Græcis sacrum, ut Latinis hospitibus suorum ostensione rituum gratificarentur: eque propositis panibus, unde frusta & partes ad consecrandum decerpserant, asservarunt optimos, quos ad edendum illis offerrent. Exactis demum precibus apparari mensam in amœnissimo loco Nicolaus jubet, & poni jentaculum. Allati sunt e jam commemoratis panibus nonnulli: cumque, expleta utcunque fame, quantum ad jentandum satis est, vix ullus cibos attingeret, cœpit Romanus panem ex his unum attentius contemplari. Quid est, inquit *Nicolaus?* quid illud demum, cujus quasi admiratione teneris defixus? Inspicio, reposuit *Romanus*, quadratum illud panis frustum, quod soletis ad sacra conficienda mysteria secernere; mihique impressæ istæ cum cruce voces valde arrident: Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾷ. Vere enim vincit hic panis, qui sine dubio per consecrationem Christus est. Majore vi profecto vincit, quam subcinericius ille, qui delapsus e Gedeonis castris Madianitas olim prostravit. Crucis nos merito pascit, eoque pasti, ut aiebat Chrysostomus, evadimus leonibus ipsis formidabiliores & fortiores quovis hoste. Nescio, inquit *Methodius*, an peræque tibi placeat fermentata panis materia, ut placet forma. Ecclesiæ sim ego hostis, respondit *Romanus*, si quod probat illa, ipse improbem. Licere enim in fermentato pane sacrum facere, non tantum profitemur; sed Græcos, qui aliter palam autoritate sua faciant, & probatum totius ecclesiæ suæ ritum immutent, gravi se flagitio obligare affirmamus. Quid ergo Latini, subjecit *Methodius*, probatum illum morem abnuunt imitari? Quia

qui Latinorum eſt, inquit *Romanus*, probato illo veſtro probatior eſt. Veritus eſt *Nicolaus*, ne Latini ſacerdotes hac forte diſſertatione offenderentur. Quamobrem eos compellans, Nolite, inquit, patres venerandi, exiſtimare, id ab Methodio per contumeliam & exprobrationem prolatum. Video illum non alio quam diſcendi ſtudio ſic proponere. Ita eſt, ſubjunxit *Methodius*, & id ago, ne vacuus ab profectu hic nobis dies abeat. Nactus occaſionem, ne prætervolaret, eam confeſtim arripui, deque azymis movere placuit quæſtionem, non litem intendere. Audio e noſtris nimio plures hoc Latinorum ritu non mediocriter offendi, quem tamen ab illis, auſu temerario, neque ulla bona ratione uſurpari: quis credat? Nemo ſcilicet neſcit, nullos eſſe Francis vel religionis ſtudio, vel præſtantia doctrinæ ſuperiores. Velim igitur hodierna die ab Romano edoceri, cur Latini hac in parte ab Græcis diſcrepent. Quia ſatius habent, reſpondit *Romanus*, Chriſtum imitari, quam Græcos. Porro certum eſt euchariſtiam in azymis ab Chriſto, cum primum inſtituta eſt, fuiſſe confectam. Negant hoc Græci, inquit *Methodius*, & pugnant ab Chriſto fermentatum panem tunc abhibitum fuiſſe. Si quod pugnant, repoſuit *Romanus*, neceſſariis evincunt argumentis, utemur inpoſterum fermentato: neque enim diſcedere ab Chriſto in re ulla, quantum licebit, volumus. Age ergo, unde Græci efficiunt ab Chriſto divina myſteria fuiſſe in fermentato conſecrata? Hinc primum, inquit *Methodius*, quod produnt evangelii ſcriptores omnes, Chriſtum ad hæc pavenda peragenda myſteria pane uſum fuiſſe. *Panem* aiunt, *non azymum*: hoc nota. Et adde tu, repoſuit *Romanus*, quod eccleſiæ magiſter, omnium ille facile princeps, Nicephorus Xanthopulus ſubtexuit, *ut confundantur qui ad peragenda ſacra uſurpant azymum*. At miſſum hunc modo facito. Tibi vero, Methodi, quid videtur? Panis azymus non eſt panis? Negant eſſe, ait *Methodius*. At ſi affirmant Patres veſtri, inquit *Romanus*, ſi perſuadet non modo novum, ſed vetus inſtrumentum, ſi ratio ipſa: quis apud vos fidem faciet? Deus-ne Patrum ore, ſacrorum codicum oraculis, & rationis ipſius autoritate conteſtans? an cum ſuis aſſeclis Xanthopulus ob-

Chriſtus cum euchariſtiam inſtituit, uſus eſt pane azymo.

In Triod. ſuo.

murmurans? Audi Theodoretum: ἄρτος λέγεται καὶ ὁ ζυμίτης καὶ ὁ ἄζυμος. *Panis dicitur, sive qui cum fermento est, sive qui azymus seu ab fermento purus.* Audi Deum ipsum præcipientem Moysi Exod. 12. 8. *Et edent carnes nocte illa assas igni & azymos panes.* Lege passim in Levitico, ubi meminit panis azymi, & maxime cap. 8. v. 26. *Tollens autem de canistro azymorum panem absque fermento.* Josue c. 5. v. 11. *Et comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes & polentam ejusdem anni.* Bene est, inquit *Methodius*, & novi posse abs te adduci testimonia hujuscemodi plura. Sed vide azyma non dici simpliciter *panes*, sed adjuncta vocula *panes azymos*. Quo intelligere est, vere ac simpliciter panes non esse, sed *secundum quid* dumtaxat, ut hac utar loquendi forma. Sicut aqua rosacea, non est aqua proprie, seu id quod nudo ac simplici aquæ nomine significatur. Aquam enim cum pronuntias absque adjuncto, aliud nemo cogitat præter aquam naturalem. Volo te, o Methodi, inquit *Romanus*, tuo aquæ exemplo, & ipsa tua ratiocinatione arguere. Aqua marina num vere & simpliciter aqua est, nihil obstante adjuncto? Cur ergo panis azymus, etiamsi sua illum quæ ex azymo ducitur, nota afficias, vere ac simpliciter panis non sit? An homo cum illum rationis particeps animal appellas, propterea non est vere animal, quia est particeps rationis? An nescis adjuncta illa differentias esse quasdam, quibus genus idem varias ad species contrahitur? Tam igitur panis azymus vere panis est, quam animal ratione præditum, vere est animal, & aqua marina proprie aqua. Exemplum vero aquæ rosaceæ frustra est, cum sit aqua illa arte expressa, atque adeo si pro communi hominum existimatione illam spectes, sit alterius quasi generis ab iis aquis quæ natura fluunt. Deinde si quoniam azymi adjunctum pani adnectitur, panis vere esse desinit, desinet & panis alius esse panis, si fermentatus vocetur. Vocatur autem persæpe sacris in litteris, ut Deuter. c. 16. v. 2. *Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus & de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi. Non comedes in eo panem fermentatum; septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem.* Et Levit. 7. 13. *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque*

Panis azymus vere panis est.

que fermento........ Panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum. Et alias passim fermentati panis meminerunt sacri codices. Sed vide quam liberaliter tecum agam. Vis sine addito panem azymum dici panem? Propositionis panes azymos fuisse doctissimorum hominum opinio est. Et in primis Josephi Judæorum doctissimi lib. 3. Antiquit. Jud. c. 10. ubi leges sacrificiorum & purificationum explicat. Et merito id colliges ex Levit. c. 8. ubi canistrum azymorum quod erat coram Domino, cum appellavit Moses v. 26. tum azymos illos panes v. 31. consecrationis panes vocat. *Panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus dicens: Aaron & filii ejus comedent eos.* Hos consecrationis seu propositionis panes, etsi azymi erant, hoc in commate 31. panes vocat sine azymi adjuncto; vocat & Christus ipse Matth. 12. 4. Sed aliud tibi profero ex evangelio testimonium, ad quod vel ipse contumacissimus Nicephorus obmutesceret. Quæro ex te, cum Christus Dominus, quo die surrexit e morte, sese duobus discipulis in villam Emmaüs proficiscentibus videndum præbuit, iique illum domo cœnaque paupere exceperunt: Qualis erat panis ille quem Christo ad manducandum dederunt? Dies illi azymorum erant, quo tempore capitale Judæis piaculum erat, vel levissimam fermentati panis micam domi habere. Hi vero discipuli erant religione, ut genere, Judæi, & inter Judæos probatissimæ virtutis, eaque propter, sic grati Christo, ut iis ipso quo surrexit die, nondum apostolis visus, apparuerit, sesque itineris dederit comitem. Et Christum cui porrigebant panem, quemque nondum agnoverant, ex iis quæ in via audierant, intelligebant hominem esse legis Mosaicæ ut scientia, sic studio ac zelo præstantem. Qualem, inquam, panem diebus azymorum discipuli illi Christi, tam probi Judæi, doctori Judæo, uti Christum putabant, legis studiosissimo, dic, qualem obtulerunt in cœna panem? Minime dubium est, inquit *Methodius*, quin obtulerint azymum. Ecce igitur tibi, reposuit *Romanus*, panis azymus, & is sine addito panis appellatus, Luc. 24. v. 30. *Et factum est cum recumberet cum eis, accepit panem....* Et infra: *Cognoverunt eum in fractione panis.* Adde nihil substan-

tia differre ab fermentato pane azymum, cum utrumque ex farina triticea & aqua constet, & azymum ab fermentato levibus quibusdam adjunctis discrepare. Valeat ergo, pace vestra dixerim, valeat Nicephorus ille, qui, quod patres, quod sacri codices, quod Christus, quod ratio ipsa panem esse dicit, negat ipse esse panem. Valeat ille, ne cogamur Christo, Patribus, communique sensui vale dicere. Panis est absque dubio, inquit *Nicolaus*, vere panis est vester azymus: quique hinc velit efficere Christum eucharistiam in fermentato pane consecrasse, quia dicitur accepisse panem; nihil omnino efficiet, cum etiam panis, ut planissime demonstrasti, possit esse azymus. Sed alia sunt exquisitiora argumenta, quale istud: ab Christo Domino non fuisse cum cæteris Judæis Pascha celebratum, sed die uno prius. Tempus enim antevertit, ut aperte Joannes indicat cap. 18. cum ait, Judæos illos qui Christum ad Pilatum adduxerunt, non intrasse in prætorium, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*. Eo igitur die quo Christus occisus in cruce fuit, ipsi Pascha manducarunt, quod Christus pridie cum discipulis suis ederat. Et vero opus erat figuram congruere veritati. Atque adeo debuit tum verus agnus qui peccata mundi tollit, immolari, cum immolabatur agnus ille legalis, qui illius figura erat. Adde quod cum quærerent summi sacerdotes & scribæ, quomodo JESUM dolo tenerent & occiderent, noluisse id facere, ut cap. 14. Marcus ait, in die festo. Fecissent autem, si die Pascha proxime consequente ipsum morti tradidissent. Ipso igitur die Paschatis cruci affixus est, confirmarique istud ex eo potest, quod eo die depositus e cruce est & sepultus fuit: quod minime ausi essent facere Judæi, si festus dies fuisset. Unde recte confit, cum Christus Judæorum Pascha die uno, ut suum ederet, anteverterit, fuisse tum in domibus fermentatum panem, quo usus est in conficienda eucharistia. Vide, quæso, inquit *Romanus*, quam parum ratiocinatione sua nos premant ii, ab quibus istam mutuatus es. Satis enim tu inspicis, vix in ea esse virium aliquid. Nam, amabo te, quænam ista est consecutio? Erat in domibus Judæorum fermentatus panis, cum Christus eucharistiam instituit. De-

mus nunc hoc tibi, quod pernegabimus postea. Quid porro? Ergo confecit in pane fermentato eucharistiam. Id minime sequitur. Neque enim hic deerat panis azymus, quem ad esum agni a se adhibitum potuit ad eucharistiam instituendam transferre, cum maxime ad manum esset; ac si solvere noluit legem ulla ex parte, debuit usurpare. Diebus enim ab immolato agno septem consequentibus nefas erat, prope dixi, videre, nedum attingere fermentatum, ut ex Levitico & Exodo facile intelliges. Vide hujus cap. 12. & illius 23. At mihi crede, abbas ornatissime, errant qui Christum fingunt die uno legitimum celebrandi Paschatis tempus antevertisse, adeoque paschalem agnum luna XIII. manducasse. Itane minime illi verentur Christum prævaricatorem legis inducere, qui eam se testatur venisse implere, non solvere? Non audiunt sanctos Patres, cum docent Christum Dominum, quo Judæis omnem repellendi sui præcideret causam, exhibuisse se ad extremam usque vitæ horam legi obsequentissimum? Audiant saltem Nicephorum suum in suo τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης πέμπτης συναξαρίῳ, ubi ait Christum omnia, quæ lege præcipiuntur, servasse, ne prævaricator videretur. Atqui si Christus præstitutum a lege tempus antevertit, violavit legem: & in re quidem tanti momenti, ut lex eum, qui Pascha celebrare XIV. luna primi mensis non posset, concesserit quidem differre ad XIV. lunam mensis secundi, at nunquam sit passa die alia quam XIV. peragi. Quid ergo, inquit *Nicolaus*, quid Joannes scribit, Judæos, quo die mortuus est Christus, noluisse in prætorium ingredi, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha?* Ecce tibi, reposuit *Romanus*, adduco Joannem Chrysostomum hom. 84. in Matth. qui satis tibi faciat. *Non intrarunt*, inquit, *in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Quid igitur dicere est, Judæos scilicet die alia manducasse, & solvisse legem cupiditate incensos hujus perpetrandæ cædis? Non enim Christus Paschæ tempus transgressus est, sed illi ad audendum quidlibet projecti, & mille legum proculcatores Hebræi.* οὐκ εἰσῆλθον εἰς τὸ πραιτώριον, ἵνα μὴ μιανθῶσι, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα. τί οὖν ἐστιν εἰπεῖν, ὅτι ἐν ἑτέρᾳ ἡμέρᾳ ἔφαγον, καὶ τὸν νόμον ἔλυσαν διὰ τὴν

Christus luna XIV. Pascha celebravit.

ἐπιθυμίαν τὴν περὶ τὴν σφαγὴν ταύτην; οὐδὲ γὰρ ἂν ὁ Χριστὸς παρέβη τὸν καιρὸν τοῦ πάσχα, ἀλλ' ἐκεῖνοι οἱ πάντα τολμῶντες, καὶ μυρίους καταπατοῦντες νόμους. *Nempe ardebant hujus cædis desiderio, ac sæpe conati illum tollere, minime potuerunt. Tunc autem ex insperato ejus capiendi occasionem nacti elegerunt Pascha dimittere, quo suam occidendi illius cupiditatem explerent.* ἐπειδὴ σφόδρα ἔζεον τῷ θυμῷ καὶ πολλάκις ἐπιχειρήσαντες ἀνελεῖν οὐκ ἴσχυσαν. τότε δὲ λαβόντες αὐτὸν ἀπροσδοκήτως, εἵλοντο καὶ τὸ πάσχα ἀφεῖναι ὑπὲρ τοῦ τὴν φονικὴν αὐτῶν ἐμπλῆσαι ἐπιθυμίαν. Vis magistros auscultare alios, quos inter Epiphanius hæres. 51. Lis erat hoc anno Judæos inter de vero lunæ XIV. tempore. Doctiores lunæ XIV. quintam feriam, alii sextam tribuebant. Stetit ab doctioribus doctissimus Christus, eaque luna, quam certissime XIV. esse noverat, celebravit Pascha. Errare cum imperitis Christi hostes optarunt, & suo in Christum furori potius obtemperare, quam legi. Suum propterea Pascha ad sextam usque feriam distulerunt, quod ut edere Christo mortuo sibi liceret, prætorii ingressu contaminari noluerunt. Vis aliud ex ipsis sacris litteris petitum responsum? Cum ingredi noluisse dicuntur Judæi, ut liceret manducare Pascha, non intelligitur Paschæ nomine, paschalis agnus, quem superiore die manducaverant, sed significantur paschalia sacrificia, quibus immundos vesci minime fas erat. Paschalibus autem sacrificiis illis Paschæ tribui nomen pari jure potest, atque sacrificio primo paschalis agni, quod Pascha ab Matthæo c. 26. & ab Luca 22. appellatur, ea, credo, de causa, quod dies ille Pascha dicebatur, quo nomine festum etiam azymorum Lucas donavit cap. illo 22. *Prope erat dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.* Cui sententiæ non mediocriter Chrysostomus favet hom. 83. in Joan. τί δέ ἐστιν, ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα; καὶ μὴν αὐτὸς ἦν αὐτὸ πεποιηκὼς τῇ μιᾷ τῶν ἀζύμων. ἤτοι οὖν τὸ πάσχα τὴν ἑορτὴν πᾶσαν λέγει, ἢ ὅτι τότε ἐποίουν τὸ πάσχα. αὐτὸς πρὸ μιᾶς αὐτὸ παρέδωκε, τηρῶν τὴν ἑαυτοῦ σφαγὴν τῇ παρασκευῇ, ὅτε καὶ τὸ παλαιὸν ἐγένετο πάσχα. *Quid est, ut manducarent Pascha? Atqui ipse hoc jam peregerat primo die azymorum, Vel igitur Paschæ nomine festivitatem totam appellat; vel quod tunc celebrabant Pascha. Ipse pridie illud tradidit, suam in Pa-*

rasceve reservans necem, quando & vetus factum est Pascha. Tam favet, subjecit *Nicolaus*, adversariis vestris eo loci Chrysostomus, quam tibi. Duas enim refert opiniones. Prima tua est, aliorum altera. Utra potior sit, non definit. Definit enimvero, inquit *Romanus*, tum hic, cum affirmet ab Christo peractum Pascha primo azymorum die; tum homilia 84. in Matthæum modo laudata. Quod autem vetus Pascha in Parasceve celebratum scribit, non scribit, an ab omnibus omnino Judæis, an ab aliis tantum, qui imperitorum de luna XIV. sententiam fuerant amplexi. Factum est quippe vere, si multos audimus, Pascha vetus tum feria quinta ab doctis & probis cum Christo Domino, tum feria sexta ab indoctis & furentibus, quæ pars tunc erat Judæorum maxima. Imo si Chrysostomo assentiris, e Christi comprehensoribus multi feria quinta celebrarunt Pascha. Ait enim hom. 83. in Matth. eos immisisse in Christum manus, illumque tenuisse κατ' αὐτὴν τὴν νύκτα, καθ' ἣν τὸ πάσχα ἔφαγον, οὕτως ἔζεον καὶ ἐμαίνοντο. *Ea ipsa nocte qua manducaverant Pascha, adeo incensi furore & amentes erant.* Absit vero, ut Chrysostomus, qui obedientiam ab Christo legi sponte exhibitam ad extremum usque vitæ halitum commendat, iis faveat qui Pascha dicunt ab Domino luna XIII. peractum, & in re tam gravi legis illum infractorem constituunt. Verum, inquit *Nicolaus*, videtur Joannes evangelista scribere. Neque enim tantum tradit Judæos non introisse in prætorium, ut minime contaminati manducarent Pascha, sed manifeste pronuntiat diem illum, quo Dominus cruci fuit affixus, Parasceven, id est, pervigilium Paschæ fuisse. *Erat autem Parasceve Paschæ.* Quid apertius? Nihil apertius, reposuit *Romanus*, quam hæc verba nihil vobis prodesse. Aliud enim nihil est *Parasceve Paschæ*, quam *Parasceve paschalis*, id est, ea quæ festis in paschalibus contingit. Feria enim sexta hoc proprio nomine ab Judæis dicebatur, quod tunc sabbato necessaria pararentur. Parasceve nempe, si verbum illud Latine efferas, præparatio est. Sic interpretatur Marcus Joannem: *Erat enim Parasceve:* mox explanans ait, *quod est ante sabbatum.* Quo sensu Lucas etiam c. 23. *Erat Parasceve, & sabbatum*

illucescebat. Et Matthæus sabbatum describens, *Altera*, inquit, *die quæ est post Parasceven.* Ergo, subjecit *Nicolaus*, die ipso festo, excruciatus Christus Dominus & occisus est? At veri illud similitudinem non habet. Multa enim tunc acta sunt, quæ Judæi die festo prohibebantur facere. Et certe cum Christum quærerent ad mortem, *dicebant non in die festo*, Matth. 26. Dicebant, respondit *Romanus*, verum non religione festi, aut legum, qui erant, ut ait Chrysostomus, legum sexcentarum conculcatores, μυρίους νόμους καταπατοῦντες. Dicebant, ut fatentur ipsi, *ne forte tumultus fieret in populo.* Deinde licere hoc sibi putabant, quod intererat, suo quidem judicio, maximæ Dei gloriæ, insanientibus Judæis illis, qui præ furore summas Christi virtutes summa vitia interpretabantur: unde Joannes c. 7. *Eum*, inquit, *quærebant apprehendere in die festo.* Et c. 10. cum essent encœnia, lapidare voluerunt, & habebant in manibus exemplum ejus, qui, quo die sabbatum facto opere violavit, eodem lapidibus occisus & obrutus est, Num. 15. Nihil moror, inquit *Nicolaus*, perditissimos illos Judæos qui Christo necem consciverunt: sed intueor Josephum & Nicodemum contestatissimæ virtutis viros, multa Christum sepeliendo fecisse, quæ festo die non attentassent. Quod egerunt, reposuit *Romanus*, fas erat die festo exequi, quo scilicet die servitutis, non charitatis opera vetabantur. Constat illud senioris exemplo Tobiæ, qui cum esset dies festus Domini, sepulturæ hominem interfectum dedit. Verum, inquit *Nicolaus*, si quo die mactabatur paschalis agnus, non est ipse Dominus mactatus, quæ erit figuræ cum veritate consensio? Veritas, subjecit *Romanus*, cum figura sua præclare conveniet. Neque enim, ut sibi perfecte veritas & figura concinant, necesse est, ut quidquid in uno est, repræsentetur in altero. Fac enim typum esse patientis duntaxat Christi agnum paschalem. In paucis similitudinem advertes. Nam præter puritatem agni, ejusque immolationem intactis ossibus, haud scio, an quidquam aliud bene simile reperias: nempe typum & veritatem minime oportet se totis esse similia. An quia non comprehensus est Christus decima die mensis, sicut capiebatur agnus, merito

cap. 2.

negarem agnum esse patientis Christi imaginem? An Jonas si de ceti ventre dominica die sub auroram non emissus est, figura non erit Christi e sepulcro surgentis? At si Patres audis, agnus paschalis eucharistiam nobis potissimum exhibebat. Vide Chrysostomum tum hom. 83. in Matth. tum ea quæ est de proditione Judæ, ubi Christum tradit corpus & sanguinem suum dedisse discipulis, ut paschalis agni figuram impleret. Sed consulendus tibi in primis Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Paschate. Præceptum enim dicit ut agnus luna XIV. mactaretur, quia tunc discipulis suis daturus erat suum corpus & sanguinem. Paucis accipe utriusque similitudinem. Offerebatur agnus paschalis in sacrificium; sic & Christus in eucharistia in verum sacrificium offertur. Agni corpus ejusque sanguis mactatione separabantur; sic corpus Christi & sanguis, etsi minime sejungi nunc possint ob adeptam immortalitatem, vi tamen verborum & mysterio separantur. Manducabatur paschalis agnus; manducatur etiam in eucharistia Christus. Ille cum azymis, hic sub azymi panis forma & gustu; ut ille, ita & hic in convivii morem. Sacrificium agni institutum est in memoriam liberationis Israëlitarum ex Ægypto; eucharistia in memoriam liberationis hominum e servitute tum peccati, tum diaboli. In multis aliis sacrificium utrumque convenit. Verum hoc satis est superque ad respondendum. His quasi obrutus rationibus *Nicolaus*, minime cæteroquin contentionis amans, vertit se ad Methodium, &, Nescio quo, inquit, fato factum est, ut tuas hic partes occupaverim. Mihi quod adjungam, nihil superest. Videris tu quo Romanum pacto oppugnes. Non dubito, inquit *Methodius*, quin panis azymus sit panis, & valeat oblatum in hoc pane sacrificium. Atque ita sentire nostram Græcorum nationem vel ex eo patet, quod solent dictitare, nullam Christianorum sectam sic convenire cum nostra, atque illam Francorum. At eorum in pane azymo sacrificium si non valeret, non essent modo hæreticorum omnium maxime detestandi, sed execrandi idololatræ, qui Christi loco sacris in mysteriis adorarent massam azymam. Neque enim in Christi corpus transmutatur nisi verus pa-

Agni paschalis sacrificium eucharistiæ figura fuit.

nis. Latinos porro appellare idololatras, quis, si sapit, audeat? Quid ergo, ait e Græcis quidam, quid Nicephoro nostro Xanthopulo & Synaxario suo fiet? Videtur enim sic existimasse panem, si azymus sit, non esse panem. Monet enim: *Vide ab Christo corpus suum panem dici, non vero azymum. Confundantur ergo qui in sacrificio azymum offerunt.* Ne mentiar, inquit *Methodius*, non occurrit, quî purgem ab omni culpa Nicephorum. Videtur enim hoc sentire corpus Christi panem esse usualem & fermentatum, quod valde Calvinianis placet, sed displicet Græcis maxime. Christi enim corpus, ut vere panis appellari possit, neque fermentatus panis est, neque azymus: divinus est, e purissimo castissimæ Virginis sanguine compactus atque concretus. Silere quidem illum in hac parte fuisset satius. Certe ita scripsisset: Vide ab Christo dici, corpus suum confici ex pane, non vero ex azymo. Esset enim excusationi locus aliquis. Dicerem enim hoc tantummodo illum significare voluisse panem fermentatum esse azymo in sacris faciendis longo intervallo potiorem. Tum enim verissime scripsisset. Pace tua dixerim, inquit *Romanus*, ne hoc quidem scripsisset vere. Unde enim habes azymum fermentato esse postponendum? Multis ex capitibus, reposuit *Methodius*, quorum maxime considerandum hoc, quod azymorum usus legem veterem & Judaismum sapit. Adhibebant enim Judæi in sacrificiis suis panem azymum. Si azymorum usus, inquit *Romanus*, Judaismum sapit, quia usurpabantur in sacrificiis veteribus azymi panes, Judaismum quoque redolet fermentati usus. Is enim in Judæorum sacris perinde offerebatur. Non credis? Explica Levit. c. 7. *Offerent quoque panes fermentatos cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis.* Et c. 23. agens de Pentecostes sacrificio, *Offeretis*, inquit, *sacrificium novum Domino panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini.* At, audi me, non Judaizat vel qui fermentato utitur, vel qui azymo pane, nisi ad illius usum Judaica feratur mente, aut potius insania. Latinum vero ritum & Græcum si conferas inter se, plura sunt in Græco Judaicæ legi propiora, quam in Latino. Nolim, inquit *Methodius*, Latinos accensere Judæis. At fatearis

Azymus panis ad conficiendam eucharistiam fermentato opportunior.

fatearis necesse est, panem azymum nescioquid innuere imperfecti, atque adeo minus congruere tantis tamque divinis mysteriis. Credo, reposuit *Romanus:* Christum latuit quid congrueret; erravitque, (absit verbo injuria) cum eucharistiam instituit in azymo. Nobis perplacet errare cum illo, atque ipsum, quantum fas est, imitari, cum omnia ad nostri eruditionem fecerit, dederitque exemplum, ut *quemadmodum ipse fecit, ita & nos faciamus.* Tibi hoc, inquit *Methodius*, gratuito admodum sumis, Christum in azymo eucharistiam consecrasse. Ad summum id efficias, colligi ex evangelio non posse, in azymo, an vero in fermentato fecerit. Necessariis, ait *Romanus*, id rationibus demonstratur: sed priusquam illas expono, si nosse vis qualis panis imperfectionem innuat, consule Græcos ipsos Arabes in sabbati majoris officio, eorumque lege in epistolam Pauli interpretationem, quam e verbis Chrysostomi concinnarunt. Illic enim quidquid imperfectionem redolet, fermentato pani affundunt, azymo autem quidquid est perfectionis. Et vero si rem ipsam oculo simplice ac minime invido, vel offenso inspiciamus, observare erit, fermentatum quidem panem valere ad divina mysteria, imo teneri Græcos ex præcepto ecclesiæ illum adhibere, ne temere consuetudo non mala, & illa quidem pervetus, immutetur. At fatebimur azymum longe opportuniorem esse & viciniorem, convenientioremque sacris donis. Panis enim azymus figura est & signum puritatis, fermentatus insincerum quid & peccato proximum repræsentat, ut aiunt ex Chrysostomo Græci, in ea, quam modo laudabam, interpretatione. Quamobrem & Paulus 1. Cor. c. 5. dixit: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Ut demus, reposuit *Methodius*, panem azymum puritatem præ se majorem ferre, quandoquidem ita nostris, & potissimum Chrysostomo placuit; non æque tamen dolorem explicat, qui Christum fermenti adinstar totum, animo & corpore pervasit intime, cum mactatus est, & vivificam mortem obiit. Si Græci, inquit

Romanus, fermento id suo volunt adumbrare, laudamus plenum pietatis consilium. At si recte mentem advertis, perspicies Christi Domini cruciatus azymo, quam fermentato significari exquisitius. Fermentum, cum massam farinæ maceratam subiit, vix intelligo, quî dolores Christi nobis exhibeat. Fuerunt enimdolores illi gravissimi naturæ Christi humanæ, & maxime noxii. At panis ab fermento non gravitatem habet, sed levitatem; non molestum aliquid, sed conjunctam cum gustus suavitate salubritatem. Contra vero azymus gravitate sua, dolorum quibus oppressus est Christus, gravitatem belle indicat, & ea qua præditus est dulcedine & saporis suavitate, nos edocet bonitatis Christi, ejusque divinitatis summas in hoc sacramento delicias. At certe, inquit *Nicolaus*, præclare fermenti cum azymo admistione divinitatis cum humanitate facta in Christo conjunctio declaratur. Nec minus commode, ut ego reor, reposuit *Romanus*, aquæ & farinæ triticeæ permistione. Et magis forte commode. Nam fermento vis adumbrari divinitatem, quo nimirum massa farinacea solet perfici. At fermentum cum massa sit amara & corruptioni proxima, vererentur aliqui similem illi divinitatem facere. Aquæ vero nomine divinitas in sacris litteris afficitur, ut in hoc Christi dicto: *Qui in me credit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Utut sit, laudent fermentatum panem pro arbitrio Græci: sit ille panis azymo in sese nobilior. At nobis post exemplum Christi nullus est ad sacra mysteria melior azymo & dignior. Ostende igitur, reposuit *Methodius*, Christum Dominum ad conficiendam eucharistiam usum azymo, punctum omne tum tuleris. Minime hoc arduum est, inquit *Romanus*, si unum mihi concesseris, quod Græca omnis admittit ecclesia: nempe Christum, dum vixit, Mosaicæ legis nunquam extitisse prævaricatorem, sed illam cura summa totam servasse. Sic tradit Chrysostomus, paucisque ut dicam, sic docent Patres omnes, sic Christus ipse de se testatur: &, si pondus habet his adjunctus, Nicephorus Xanthopulus sic ipse scribit: sic denique ratio ipsa commonstrat. Cum enim Judæum fore Christum

prænuntiassent prophetæ, eque Judæis sanctissimum, is apparere debuit Judaicæ observatione legis observantissimus. Non poterat scilicet haberi pro Judæorum optimo, si Judæorum legem a Deo latam infringeret. Et vero Christum legem accurate amplexum esse, constat ex Paulo, qui Filium Dei, Gal. 4. *factum fuisse sub lege* monet: constat & ex ipsius hostibus, qui cum contra eum falsum etiam testimonium quærerent, qui afferre posset, plane neminem invenerunt. Attulissent autem non falsum, sed verissimum testimonium, si vel una re legis violatorem probassent. Noli tot, inquit *Methodius*, abuti ad confirmandam rem certissimam testimoniis. Quid inde colligis? Colligo, respondit *Romanus*, Christum juxta præscriptum legis agnum paschalem luna XIV. edisse, atque ex eo tempore nihil postea attigisse fermentati panis. Adeo enim hoc vetitum erat, ut, si quis vel frustulum domi habuisset, comedissetque, expungeretur e populo Dei, Exod. cap. 12. Num. cap. 18. & Levit. 23. Sed ne dubio quidquam sit loci, evangelistæ ad unum omnes perspicue id denuntiant. Quid Matthæus cap. 26? *Prima die azymorum accesserunt discipuli ad* JESUM *dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Quid Marcus c. 14? Magis explanat. *Primo*, inquit, *die azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha?* Quid Lucas cap. 22? Absque ambage, disertissime. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum & Joannem dicens: Euntes parate nobis Pascha.* Quid Joan. c. 13? Non obscure, etsi cæteris minus aperte. *Ante diem festum Paschæ sciens* JESUS, *quia venit hora ejus, &c.* Die scilicet illo qui festum Paschæ antecessit, lavit Christus discipulorum pedes, instituitque eucharistiam. At dies ille festus luna erat XV. Neque enim XIV. dies festus erat, hoc quippe die licebat operari. Certe omnia tum Christus egit ex Hebræorum consuetudine. Ea autem erat hujuscemodi. Luna XIV. sub vesperam instituebantur cœnæ duæ, & unicuique pedum præmittebatur ablutio. Edebatur in prima agnus paschalis eo ritu qui describitur Exod. 12. cap. in secunda panis azymus atque vinum ab patre-familias convivarum singulis distribuebatur. Panis quidem cum

his verbis : *Ecce panis afflictionis, de quo ederunt in Ægypto patres nostri. Qui esurit, accedat, & manducet Pascha.* Panem porro hunc azymum cum accepit in manus suas Christus Dominus, *benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite & manducate. Hoc est corpus meum, quod vobis datur.* Tum pater-familias accepto vini calice, gratias Deo agens, *Benedictus es, Domine*, inquiebat, *qui fructus hujus vineam creavisti.* Hunc vero calicem cum porrexit Christus discipulis suis dixit: *Accipite & bibite ex eo omnes. Hic est enim sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In posteriore illa cœna, inquit *Methodius*, dimisso azymo resumpsit fermentatum. Quo autore id profers, reposuit *Romanus?* neque enim ita scripsit ullus Patrum, aut in ullo concilio legimus. Res autem hujuscemodi si licet pro libidine, nullo teste, affirmare, quæ fabulæ non accedent evangelio? Deinde non solum Christus servavit Patrum, quam exposui, consuetudinem; sed legem maxime, qua cautum erat, ne quid esset in domibus fermentati ab esu paschalis agni ad dies septem. Præterea si contra legem usus est fermentato, quomodo illum Judas proculcatæ religionis, ut se ipse ab proditionis utcunque purgaret ignominia, non incusavit? Aderat enim cum instituta est eucharistia, uti tradunt Patres, & legunt Græci Arabes feria v. majore ante Pascha. *Quemadmodum*, inquiunt, *non est societas luci cum tenebris, sic neque puritati cum impuritate: & quia Judas non dijudicavit, cum corpus Domini accepit, ipsum invasit diabolus, atque in eo sedem fixit.... Kama en lakhaltha bein eldhou ou eldhulmé, kedalek, la schurké bein elthaher ou elneges, ou leagle en jhouda lam yemayez hada ellemiiz lemma. Achad jasad errabb, sakanno elschaythan.* Christus igitur, cum non esset omnino fermentatus panis, quo tempore consecravit eucharistiam, conficere illam, nisi in azymo, non potuit. Absit enim legis illum prævaricatorem dicamus. Legem, inquit *Nicolaus*, tum perfecit, cum pani azymo perfectiorem fermentatum substituit. Ergo, respondit *Romanus*, erravit valde Nicephorus vester, in quo nihil valde mirum forte occurrat; sed, quod vel cogitari non potest, errarunt vehementer Patres sanctissimi, qui Christum tum

maxime temporis omnia quæ legis erant, servasse pronuntiant, ne prævaricator videretur: ὅσα ὁ νόμος διακελεύει, ἵνα μὴ παράνομος δόξῃ, ut habet Synaxarion τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης πέμπτης. At visus omnino prævaricator fuisset, si fermentum tam severe prohibitum induxisset. Deinde panem azymum in divinis mysteriis aptiorem fermentato & significantiorem paulo ante demonstrabamus, neque necesse est jam dicta repetere. Memini, inquit *Nicolaus*, nec improbare azymum vestrum panem ullo jure possum. At, amabo, ex quo tempore inductus ille azymus? Num vides, subjunxit *Romanus*, ab Christo ipso invectum ad nos per apostolorum manus temporibus consecutis devenisse? Sic de illo sensit vir acerrimi judicii, admirabilis doctrinæ, & sapientissimæ virtutis, S. Thomas doctor angelicus in 4. *Initio*, inquit, *universa ecclesia tam Orientalis quam Occidentalis azymo utebatur in sacris mysteriis, idque ex Christi & apostolorum institutione. Verum postea exorta hæresi Ebionitarum & Nazaræorum, qui simul cum evangelio legalia servanda esse docebant: in horum detestationem tota ecclesia relictis azymis, fermentatos panes assumpsit ad mysteria..... Postmodum autem ea hæresi extincta, rediit ecclesia Latina ad morem antiquum consecrandi azymos, Græcis interea receptam ex occasione consuetudinem retinentibus.* Azymi illius meminit Alexander papa Romanorum pontificum ab S. Petro septimus, anno post natum Christum, nisi fallor, CL. in quadam epistola sua quæ habetur tom. 3. conc. part. 2. Hic definit *aquam modicam vino immiscendam in calice, quo Christi cum ecclesia conjunctio significetur; & sacrificandum in azymis ad imitationem Christi, qui in conficiendo pavendo hoc mysterio, azymis usus est, quo summa ejus puritas repræsentetur.* Forte, inquit *Nicolaus*, inducta hæc ab isto pontifice in ecclesiam mutatio est, cum ante ipsum nullus adhiberetur in sacris, nisi fermentatus panis. Monebat te modo divinus Thomas adhibitum ab Christo & apostolis azymum: certe usurpatum a Christo tradit Alexander; atque hoc tantum decreto suo voluit, ut, quod erat de azymis, & aqua vino immiscenda, apostolorum voce traditum, lege scripta firmaretur. Nam ad aquam quod pertinet, quæ in vinum infunditur, produnt S. Cyprianus &

Quando & quomodo panis vel azymus vel fermentatus adhibitus ad missam.

Justinus martyr id apostolos jussisse, quod ait tamen Alexander pontifex se decernere. De azymis vero panibus testatur Epiphanius hæres. 30. quæ de Ebionitis est, illos ab impuris illis hæreticis ad imitationem sanctorum ad formidanda mysteria acceptos primis ecclesiæ temporibus. *Mysteria*, inquit, *faciunt ad imitationem sanctorum de anno in annum per azyma, & alteram mysterii partem per aquam solum.* μυστήεια δὲ δῆθεν πλῦσι κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀπ' ἐνιαυτῦ εἰς ἐνιαυτὸν διὰ ἀζύμων, καὶ τὸ ἄλλο μέρος δι' ὕδατος μόνυ. Mirum illud perveterem illam, ut ut se habeat, azymorum consuetudinem, Græcorum Patrum tanto divini honoris & religionis flagrantium nemini ulla unquam ætate displicuisse, displicere modo recentioribus quibusdam Græcis, non admodum (quid enim dissimulem?) eruditis. Nam qui docti sunt, etsi, uti abbas colendissimus, & Methodius ornatissimus vir, multum ament fermentatum suum panem, non negant tamen azymum faciendo sacro peridoneum. Norunt quid Constantinopoli gestum sit, postquam in azymum debacchari cœpit Michael Cerularius. Arguit illum vehementissime Leo IX. summus pontifex, misitque apocrisarios cardinales duos Umbertum & Fredericum cum Petro Amalphitano episcopo ad Constantinum Monomachum imperatorem, qui de re tota inquirerent, & judicium ferrent. Excepti ab imperatore perhumaniter, & Nicetam Studiensem monachum retractare hæreticum suum de azymo & sabbati jejunio & sacerdotum conjugio librum, eundemque ferire anathemate compulerunt; Michaelem vero, quod contumacius reluctaretur, e sede patriarchali depositum, & coacto ecclesiasticorum hominum & laicorum cœtu palam in sanctæ Sophiæ cum consentiente ipsi Leone Acridano damnatum fidelium communione carere jusserunt. Postea autem ad imperatorem ingressi in magna virorum principum frequentia, non scripto, ut in sanctæ Sophiæ, sed voce in Michaelem ejusque asseclas hoc aliud dixerunt anathema: *Quicunque oppugnat Romanæ & apostolicæ ecclesiæ fidem, & animo obstinato adversatur, quod in azymo sit sacrificio, anathema sit maranata, neque vocetur christianus orthodoxus, sed fermentarius hæreticus: fiat, fiat.* Consulite tom. concil. 3. part. 2.

Michael Cerularius apud Græcos azymos panes impugnans: damnatur.

epiſt. Leonis 7. & 8. & Leonem Oſtienſem, alioſque annalium ſcriptores. Abſit, inquit *Methodius*, ſic excidere quemquam de mentis ſtatu, ut neget poſſe in ſacris adhiberi panem azymum. Valere ſcilicet vel hoc uno argumento palam eſt quod prædixit Malachias, *offerendam ab ortu ſolis ad occaſum oblationem mundam in omni loco.* Quam oblationem miſſæ ſacrificium Patres omnes interpretantur. Ea autem niſi valeret in azymo, non offerretur in omni loco, ſed tantum apud nos Græcos, paucoſque alios in minima mundi parte. Quare quidquid contentionis eſt Græcos inter atque Latinos, in eo vertitur, utro præſtet uti, azymo, an fermentato. Utrumque vero valere certo eſt certius. Si quis adhuc dubitaret, ſubjecit *Romanus*, miraculis numero infinitis veteribus & novis, quam acceptum ſit Deo fieri in azymo ſacra myſteria, demonſtrarem. O Deus te amet, inquit *Nicolaus!* demonſtra. Mirum enim quantum ſuperioribus, quæ recitaſtis, exemplis, profecerimus & fuerimus delectati. Multa tibi poſſem, ait *Romanus*, e ſæculis omnibus adducere miracula, niſi pauca ſufficerent, & modus eſſet tandem aliquis collocutioni tam prolixæ mihi ponendus. Nonnulla ſcripſit in ſua τῶν ἁμαρτωλῶν σωτηρία veſter Cretenſis Agabius, quem adite parte 2. cap. 12. & 13. Incipiam ego ab hac ætate noſtra, ante præfatus tamen more meo, hæc eo a me minime proferri, quaſi veritati affirmandæ neceſſaria, quam tot neceſſariis argumentis aſſeruimus; ſed veluti orationis ornamenta nonnulla, quibus defatigatus audiendi & percipiendi contentione animus non ſine fructu & voluptate reficitur. Ecce primum, quod nobis referebat olim ſereniſſimus princeps Henricus Longavillæ dux, vir ſapientia & animi magnitudine ac probitate nemini in principibus ſecundus. Præerat in Germania chriſtianiſſimi regis exercitibus, & urbem quandam, cujus mihi nomen excidit, ingreſſus, in templum ſe contulit. Occuparant illud Lutherani hæretici, & ſanctiſſimum divinæ euchariſtiæ tabernaculum e ſuo loco detractum, ignobili quodam in angulo depoſuerant. Occluſum erat pro more ſera ferrea tabernaculi oſtiolum. Quærit princeps quid hoc rei ſit. Reſpondent neminem eſſe qui attingere il-


lud audeat, ex quo faber quidam ferrarius de hæreticorum secta, cum eorum jussu effringere ostiolum conatus esset, invisibili quadam & præpotenti manu repulsus & prostratus est, vi tanta, ut toto corpore obriguerit, mentisque amiserit sensum, quem tamen perseverante metu paulo post recepit. Fabrum hunc, cum esse in vivis etiam tum dux serenissimus audiisset, ad se accitum, jubet ostiolum aperire. Ille subito, memor datæ olim pœnæ, mandatum, quanto potuit conatu deprecari, ad omnia alia se promptum offerre, hinc excusare obsequendi difficultatem, quod vindicem Dei iram non auderet vice altera concitare in caput suum. Noluit vim illi facere princeps humanissimus. Jussit eum qui sibi ab eleemosynis erat, sacerdotem sacris indui vestibus, & facta oratione aperire ostiolum. Negotio nullo cum aperuisset, sacram invenit pyxidem, in qua sub azymi specie erat Christi corpus, quod summo cultu acceptum in diem alteram asservavit, qua die cum sacrum faceret, in communione illud absumpsit. Alterum affero, quod mihi paucis ante annis enarrabat illustrissimus ac reverendissimus Maronitarum patriarcha Georgius, tremendo, ad faciendam fidem, jurejurando, Deique ipsius interposito nomine. Contigit illud ipsius ætate, ejusque in patria, ante annos, si bene memini, fere octo & viginti. Sacerdos e Maronitis facto sacro supellectilem altaris omnem deportarat domum, & in media supellectile positam in ligneo vasculo divinam eucharistiam strophiolo involverat, thecamque sacrarum reliquiarum alteram. Plena domus erat fulcris ligneis, & rotundis illis tabellis, quas ad continendos sericos vermes e siccato boum stercore confingunt. Nescio quo factum casu est, ut excitato incendio tres ipsos dies arserit domus, redactaque sit in cineres. Cœpit die tertio infortunatus sacerdos cineres movere, ut calicem, si superesset, & nummos quosdam argenteos quos domi reliquerat, recuperaret. O miram Dei præpotentis providentiam! Mediis in cineribus nummos reperit flammarum æstu quasi liquefactos sibi invicem adhæsisse, exustum calicem, suo certe auro, quod caloris vi fluxerat, destitutum: strophiolum vero sic illæsum, quasi veritus esset ignis

ignis ipſum allambere. Illud explicat, & pyxidem ligneam, & ſacram, quæ in ea aſſervabatur, euchariſtiam ſub azymi ſpecie invenit omnino intactam. Alterum huic non abſimile miraculum legebam nuper in libro quem *Paſtorum hortum* ejus autor Jacobus Merchantius theologiæ quondam profeſſor inſcripſit. Celebris eſt, inquit, (utor enim ipſiſſimis ejus verbis) in eccleſiam abbatialem Dominæ noſtræ ab Faverneyo in comitatu Burgundiæ, dum feſta Pentecoſtes celebrantur, concurſus ob indulgentiam plenariam ab ſede apoſtolica conceſſam. Quo tantæ hominum multitudini eo confluenti fieret ſatis, erectum eſt altare quoddam ligneum ad cancellos chori, cum ſua ſupellectile bene multa, in quo depoſitum eſt cum ſuo argenteo vaſculo ſanctiſſimum ſacramentum. Incidit ignis advertente nemine in ſupellectilem, unde in lignum invadens, quidquid erat in altari, & altare ipſum abſumpſit. Inter has vero flammas divina euchariſtia in ſuo vaſe illæſa ſuſpenſaque in aëre, eodem quo prius ſtabat loco, rei nulli ſubnixa perſeveravit. Eoque manſit ſtatu tres & triginta horas, populis ad id miraculi undique confluentibus. Die autem martis qui e feſtis Pentecoſtes tertius eſt, acceſſit paſtor quidam vicinus cum populo ſuo, ſacrumque in ſupremo altari fecit. Quod cum faceret, cereus qui fuerat coram admirabili euchariſtia ſuſpenſus, per ſeſe extinctus eſt. Tum ſacerdos cum attolleret conſecratam a ſe hoſtiam; quæ ſtabat in ſua pyxide per miraculum in aëre ſuſpenſa, moveri cœpit, & levi motu ſuper altare deſcendit. Explicatum erat infra divinam illam hoſtiam corporale, ut ſi ea ſe demitteret, ibi honorifice reciperetur. Quod & contigit. In eum enim locum ſponte, nemine manum adhibente, ut mox aiebam, delapſa eſt, omnium in conſpectu. De miraculo iſto diligentiſſime inquiſitum eſt. Atque ita rem geſtam eſſe teſtes ſupra quinquaginta omni exceptione majores confirmarunt. Quamobrem, cum ita cenſuiſſent graviſſimi theologi ac fidei inquiſitores, promulgari miraculum juſſit illuſtriſſimus ac reverendiſſimus Ferdinandus *de Longuy*, Biſuntinus archiepiſcopus, anno 1608. Satis ſunt hæc pauca de multis, quæ ſæculo hoc noſtro acciderunt miracula. Vultis aliqua ſuperioris

ætatis. Admodum volumus, inquit *Nicolaus*, nec defatigabimur audiendo, utinam nec tu dicendo. Accipite igitur quæ sunt ab probatissimis autoribus memoriæ prodita. Judæus quidam Pragæ in Bohemia ad Christi religionem, ejurata patria impietate, transierat, sic tamen, ut ad suos vir modicæ fidei maxime propenderet. Familiaris erat religioso cuidam e sacra S. Francisci familia sacerdoti, cujus erat cælesti viatico ægros impertiri. Nactus occasionem proditor ille Judæus, Leonem appellabant, e tabernaculo tres consecratas hostias surripit, chartaque involvit, & Presburgum in Hungariam profectus, ad Judæi domum divertit. Multum inter sese illi de Christi religione collocuti, differunt etiam de venerando eucharistiæ sacramento. Rogatus Leo, an id etiam sacramenti aliquando percepisset, affirmavit; eque sinu tres quas furatus erat, consecratas hostias Judæo hospiti aspiciendas depromit. Duas a Leone impetrat, dumque domo abiret, asservat diligenter. Proficiscitur Leo. Tumque Judæus suis, quos convocarat, offert hostias; initoque omnes consilio experiundum aiunt quid habeant veritatis christianorum sacramenta. Assurgit audacior, &, o sacrilegum furorem! hostias adacto cultro transverberat, ac simul, Si vere, inquit, christianorum es Deus, virtutem hic tuam exere. Vix execrandam vocem emiserat, cum ecce tibi copia magna sanguis effluit, & fulmine percutitur domus, tota deflagrat, simulque hospes cum uxore & filiis ejus duobus, ac Hebræis aliis pluribus communi absumitur incendio. Tres tantum incolumes evaserunt, mensa & hostiis in medio igne intactis. Monitus de incendio præfectus urbis, causam perquirit. Audit congregatos hic Judæos periisse, evasisse tres. Comprehenduntur illi, ac in carcerem detruduntur. Scelus confessi dirissimis pro merito excruciantur suppliciis, semique vivi adactis per corpus palis in via regia exponuntur ad spectaculum & exemplum anno 1591. Exclamavit hic *Methodius*: *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Ut horrendum hoc, subjecit *Romanus*, sic suave est injicere se ex vehementi amoris æstu in easdem Dei viventis manus. Inierat non multis ante annis societatem nostram B. Stanislaus Kostka juvenis Polonus, genere

illuſtris, ſed virtutibus clarior. Prius ille quam ſocietati nomen daret, gravem in morbum lapſus Viennæ in Auſtria, deque vita periclitatus, optabat ſacro viatico muniri. Obſtabat hoſpes hæreticus, cujus in ædibus habitabat. Memor legiſſe ſe de S. Barbara, eum qui ſe illi commendaſſet, nunquam mori ab euchariſtia imparatum, toto conatu aggreſſus eſt hoc ab illa beneficium expoſcere. Audiit ipſa orantem, & nocte quadam cum pæne animam ageret, S. Barbaram videt ſibi adventantem. Comitabantur illam angeli duo magna in luce ſecum ſacram ſub azymi forma euchariſtiam deferentes, quam ex beatis illorum manibus ſingulari animi guſtu & voluptate percepit. Aderat ejus inſtitutioni præpoſitus Joannes Bilenſayus, quem admonuit cæleſtibus hoſpitibus habere honorem, eoſque demiſiſſime venerari. Hic idem poſtea Staniſlaus cum a fratre profugus, religioſæ vitæ ſtudio capeſſendæ, Romam peteret, eſſetque templum eo conſilio ingreſſus, ut ſacro pane reficeretur, advertit hæreticorum hoc eſſe templum. Unde animi dolore commotus, Dominum obteſtatus eſt, ne ipſum cæleſti hoc pabulo carere pateretur. Mox allapſus ei de cælo angelus excellenti forma Chriſti illum corpore ſub azymi ſpecie panis pro more pavit. Sic referunt ſocietatis noſtræ annales ad annum, niſi fallor, 1566. & 1567. Contigit alterum anno 1565. miraculum, quod fuſiſſime recitat oculatus teſtis Remundus l. 2. c. 12. de ortu hæreſ. eoque ſe, ne in hæreſim laberetur, præſervatum ſcribit. Invaſerat dæmon fæminam nomine Nicolam, quem exhibita euchariſtia urgebat epiſcopus, ut ab ea exiret, his fere verbis: Adeſt, iniquiſſime ſpiritus, judex tuus: adeſt ſumma poteſtas; jam reſiſte, ſi potes: adeſt ille qui pro ſalute noſtra paſſurus, *Nunc*, inquit, *princeps hujus mundi ejicietur foras.* Hoc illud corpus quod de corpore Virginis ſumptum eſt, quod in ſtipite crucis extenſum eſt, quod in tumulo jacuit, quod a morte ſurrexit, quod videntibus diſcipulis aſcendit in cælum. In hujus ergo majeſtatis terribilis poteſtate, tibi, ſpiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla ejus egrediens, contingere eam deinceps non præſumas. Hic diabolus exuri, jactare ſe in omnes partes, torquere ſtupendum in modum miſeram fæminam. Rogatus pavoris cauſam, reſpondit ſe

pane illo torqueri propter vocem *Hoc est*, quo consecrandi formulam innuebat. Sæpiusque id repetens, ingenti demum fragore exiit, relictis sui fœdissimis vestigiis. Aderant hominum millia ferme decem, quorum non pauci hæresim quam sectabantur, execrati, Christi sese adjunxerunt ecclesiæ. Transilio ad sæculum aliud antecedens, & illustri quod ea ætate accidit miraculo, finem dissertationi faciam. Furto vir quidam sceleratissimus sacram, in qua asservabatur eucharistia, pyxidem argenteam Isvillæ abstulerat, & sarcinæ involutam, impositamque mulo, Turinum deferebat. Urbem per portam templo S. Sylvestri proximam ingressus mulus, se statim ad terram abjicit, & sarcina, nullo solvente, se ipsam reserat. Qua aperta Pyxis argentea, ubi pavenda continebantur mysteria, evolavit sursum, & medio in aëre cœpit solis instar radiorum emissione admirabilem in modum effulgere, Monitus statim episcopus Ludovicus *Romagnan*, præeunte crucis vexillo ad locum se confert, ubi cum se cultu supplici demisisset in genua, pyxis sacra in terram sola decidit, cum hæreret interea in aëre divinum sacramentum insolita luce emicans. Jussit afferri calicem episcopus, quem cum supposuisset hostiæ, sponte illa in ipsum delapsa est, & ad ecclesiam statim summo civium concursu delata. Contigit anno 1453. hoc miraculum. In sacello depictum extat, & publicis tabulis consignatum. An potuit azymi panis in missa usus miraculis illustrioribus comprobari? Potuit certe; & prætérita tempora, si jam per otium liceret decurrere, afferrem admirabiliora? Tum *Nicolaus*, Sic habeo, inquit, eum qui azymum vestrum in sacris panem negaverit esse offerendum, eumque oppugnet, in Deum ipsum pugnare. Hæc cum diceret, monitus est cum litterarum fasciculo venisse nuntium qui responsum urgeret. Quare dimisso cœtu Methodius sacerdotes Latinos ab Nicolao suscepit in cubiculum quietis causa deducendos.



DIALOGUS X.

De summa Romani pontificis in universam ecclesiam autoritate.

QUÆ venerant Nicolao matutinis horis litteræ, erant ab uno e patriarchis duobus qui de sede contendebant. Vocabat ille ad suas partes Nicolaum, quem jam alter sibi devincire studuerat. Cum omnes ad colloquium cum Latinis sacerdotibus convenissent, Videtis, inquit *Nicolaus*, quo rerum statu versemur, quibus & loqui periculosum est, & silere non licet. Vult recentior patriarcha nos adjungi sibi, vetat alter. Urget uterque responsum. Utri ex jure meritoque dignitas illa competat, nescimus. Neque vero liquet. Itaque hæremus in ancipiti. Sic respondendum, inquit *Methodius*, ut neutrius incurras offensionem, dum uni tandem adjudicetur sedes. Utrique hujusmodi ego litteras darem, ut arbitraretur uterque, vel me ab ipso stare, vel neutrum esse. Tum conversus *Nicolaus* ad Latinos sacerdotes, Id consilii, inquit, in respondendo sum secutus; vobis autem quid videtur? Hic nactus occasionem *Ignatius* de Romano pontifice dicendi, Præclare, inquit, & ex prudentiæ legibus abs te actum est. Uterque enim, aut fallor, Romam ad pontificem scripsit. Is absque dubio audita caussa sedem adjudicabit uni, cui tum parere necesse erit. Subrisit *Methodius*, &, Video te, inquit, Ignati, de potestate papæ velle disserere, quam solent Franci paulo ampliorem facere, quam par sit. Et certe agere de illa opportuniore vel loco vel tempore non poteras. Dixisti, subjecit *Ignatius*, alterutri sedem esse adjudicandam. Quis adjudicabit? Non aliquis, credo, Hebræus, aut alius qui nulla in ecclesia Christi autoritate valeat: non patriarcharum unus: neque enim patriarchæ sibi invicem imperant, neque auditum unquam est, ut Antiochenus antistes patriarcham Constantinopolitanis dederit, aut Constantinopolitanus Antiochenis, aut Alexandrinus Hierosolymitanis, aut Hierosolymitanus Alexandrinis. Quippe paris in parem autoritas nulla est.

Patriarcharum controversia ab pontifice Romano dijudicanda.

Quid fieret autem, si Antiochenus patriarchatum adjudicaret uni, alteri Alexandrinus? Patriarcha foret, inquit *Methodius*, quem Alexandrinus diceret. Est enim patriarcharum judex, unde & Alexandrinus papa nominatur. Verum, subjecit *Ignatius*, a quo habet hanc judicandi de ceteris potestatem? Non ab evangelio, non a conciliis. Ubi enim hoc scriptum vel traditum? Deinde quem unquam patriarcham autoritate sua vel constituit, vel deposuit? Denique si judex omnium est, omnium est quoque maximus. Quæ enim par ipsius potestati autoritas est? At, credo, id minime illi Constantinopolitanus concedet, qui neminem novit in Oriente se majorem. Patriarcha erit, inquit *Methodius*, non quem Alexandrinus unus dicet, sed quem coacti in concilium patriarchæ & episcopi deligent. Mitto, reposuit *Ignatius*, si patriarcharum lites ad concilium vocandæ sunt, jugum impositum ecclesiæ, quo gravius nullum. Quot enim & quantæ exhauriendæ difficultates, ut cogantur concilia? Quid si in coacta synodo id fiat quod factum est in latrocinali Ephesina, quam Theodosius junior sceleratorum antistitum fraude illusus synodo Nicænæ æquari jussit; in qua patriarchæ tres cum CCCC. patribus S. Flavianum perculerunt anathemate, eque sede Constantinopolitana per summum nefas deturbarunt? Mitto hæc, quæ alio forte loco revocanda mihi erunt, ac quæro: Si hujuscemodi contentio apostolorum temporibus incidisset, cujus fuisset eam dirimere, & adjudicare episcopatum? Fuissent-ne colligendi e toto orbe in concilium apostoli? An vero fuisset autoritas Petri satis? Quid Petro datum, inquit *Methodius*, quod non apostolis quoque cæteris sit concessum? Non parum, respondit *Ignatius*. Hæc de multis pauca e libris vestris accipite, unde velim a vobis ipsis litem dirimi. Id habet Petrus præ cæteris solus. Primo, *ut sit primarium ecclesiæ fundamentum, cui fundamenta alia, totumque ecclesiæ corpus innitantur.* Deinde, *ut apostolis ipsis præsit*, qui, etsi ubique possent autoritate ab Christo accepta fidem promulgare, non tamen toti ubique terrarum invigilare ecclesiæ ex officio tenebantur. Petrus vero tenebatur, ejusque erat muneris, quæ cæteri agerent apostoli, inspicere, non ad corrigendum, quippe nihil nisi

Petrus cæteris apostolis multiplici prærogativa & dignitate superior.

Spiritu ſancto autore ſtatuebant; ſed ad probandum atque firmandum. Haud ſcio, inquit *Methodius*, an quo tu modo iſta affirmas, ſic valeas demonſtrare. Etſi enim Petrum nemo negat primum eſſe in diſcipulorum numero; quis tamen aſſentiatur tantum excelluiſſe cæteris, ac præ ipſis potuiſſe? Quis? ſubjecit *Ignatius*, rogando, quis? Quicunque, non dicam catholicus eſt, ſed vere Græcus. Audi enim ut per partes omnia tibi probentur, quid concinant Græci XVI. Januarii, quo die vincula S. Petri concelebrant & venerantur: οὐ σὰρξ καὶ αἷμα, Πέτρε, σοι, ἀλλ' ὁ πατὴρ ἐνέπνευσε θεολογῆσαι τὸν Χριστὸν υἱὸν θεοῦ πατρὸς ζῶντος. διὸ σε καὶ μακάριον αὐτὸς προσεμαρτύρατο, καὶ φερωνύμως κέκληκε Πέτρον ὡς πέτραν βάσιν ἄρραγη τῆς αὐτοῦ ἐκκλησίας. *Non caro & ſanguis, Petre, tibi, ſed pater inſpiravit Chriſtum Dei Patris viventis filium theologice profiteri.* Quamobrem *& te beatum ipſe conteſtatus eſt, & Petrum conſentaneo nomine appellavit, ut ipſius eccleſiæ* fundamentalem petram *quæ nequit effringi*. Expende dicta. Quia Petrus Chriſti Domini profeſſus eſt divinitatem, factus eſt Chriſti voce eccleſiæ petra fundamentalis, quæ effringi non poſſit. Hoc *ſoli Petro* datum eſt, qui *ſolus* apoſtolorum, aliis alia reſpondentibus, edixit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Quid ais, arguit *Methodius*, ſoli hoc conceſſum Petro, qui non neſcis & ab Paulo apoſtolos alios fundamenta nominari? *Non eſtis hoſpites & advenæ*, verba ſunt Pauli, *ſed eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei ſuperædificati ſuper fundamentum apoſtolorum*, Epheſ. 2. Et Joannes cæleſtis civitatis fundamenta duodecim, duodecim apoſtolos eſſe ſcribit. Certe tradit ipſorum inſcripta eſſe nominibus, Apoc. 21. v. 14. Sunt, reſpondit *Ignatius*, & apoſtoli cæteri fundamenta cum Petro, ſed & in eodem Petro fundantur. Quippe in ipſo Chriſtus eccleſiam omnem ſuam ædificatam docuit, atque ipſos adeo apoſtolos, quos, niſi erro, eccleſiæ partem facis. διὸ, *quamobrem*. Hoc ſcilicet in confeſſionis præmium accepit, ſummoque lapidi angulari Chriſto innixus evaſit, πέτρα βάσις ἄρραγὴς τῆς ἑαυτοῦ ἐκκλησίας: *petra & fundamentum ejus eccleſiæ nulla vi evertendum*, cui, ut mox aiebam, adſtructi ſunt apoſtoli alii, ut eſſent in ipſo, & cum ipſo eccleſiæ fundamenta. Unde merito & ſcite Petrum *ſo-*

Petrus fundamentum, eſt apoſtolorum, & eccleſiæ & fidei.

lum appellant Græci κορυφαίαν κρηπίδα τῶν ἀποστόλων, *principem, summum, primarium apostolorum fundamentum.* Idque in officio SS. apestolorum Junii xxx. si recte memini. Explanat hoc præclare Chrysostomus in cap. 16. Matth. hom. ut habent Græci, 54. καὶ ἐγώ σοι λέγω, σὺ εἶ Πέτρος, &c. ἐντεῦθεν δείκνυσι πολλοὺς μέλλοντας ἤδη πιστεύειν. καὶ αἴρει αὐτοῦ τὸ φρόνημα καὶ ποίμενα ποιεῖ....... ὁ πατὴρ πρὸς Ἱερεμίαν διαλεγόμενος ἔλεγεν· ὡς στῦλον χαλκοῦν, καὶ ὡσεὶ τεῖχος τίθημι αὐτόν. ἀλλ' ἐκεῖνον μὲν ἑνὶ ἔθνει, τοῦτον δὲ, Πέτρον, πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης. Et infra: ἀνθρώπῳ θνητῷ πάντων τῶν ἐν τῷ οὐρανῷ τὴν ἐξουσίαν ἐνεχείρισε τὰς κλεῖς αὐτῷ δοὺς, ὃς τὴν ἐκκλησίαν πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἐξέτεινε καὶ τοῦ οὐρανοῦ ἰσχυροτέραν ἀπέφηνεν. *Et ego dico tibi, Tu es Petrus, &c. Inde ostendit fore multos qui fidem amplecterentur, & ejus* (Petri) *confirmat sententiam, ipsumque facit pastorem.* Quorum? *Omnium scilicet qui erant postea credituri.* Pergit enim: *Pater allocutus Jeremiam dixit: Ut columnam aheneam & ut murum*, seu fundamentum, *te constitui. Sed illum quidem* (Jeremiam) *genti uni, hunc vero (*Petrum) *totius ubique terrarum orbis.* Tum, *Homini*, inquit, *mortali omnium quæ sunt in cælo, potestatem in manus tradidit, dans illi claves, qui ecclesiam ubique terrarum extendit, & fortiorem ostendit cælo.* Si cui apostolorum alteri paria legis concessa, huc depromito. Fateor, inquit *Methódius*, non legi similia. Quid enim hic dissimulem, quo non contentionis studio, sed amore veritatis convenimus? At quid ad rem hoc nostram? Ad rem maxime, reposuit *Ignatius.* Nam si Petrus *solus*, Græcis testibus, ex catholicorum etiam omnium consensione, fundamentalis in Christo petra est, cui ecclesia Christi, ipsique adeo apostoli incumbunt; quæ ecclesia privata, qui christianus Petro non unitur, vel innititur, extra Christi ecclesiam est. Ecclesia nulla est, inquit *Methodius*, quæ Petrum non agnoscat, seque illi tota animi devotione adjungat. Omnes illum fundamenti nomine condecorant, seque in illo fundatas esse deprædicant, in ejus scilicet fide illa, qua Christum professus est Dei filium. Non aiunt Græci, subjecit *Ignatius*, Petri fidem, sed Petrum hujuscemodi fidem profitentem fundamentum esse ecclesiæ. Christus, ut Cyrillus tradit l. 2. comm. in Joan. cap. 1. *Pet um*,
ducto

ducto a petra nomine, congrue voluit appellari. Erat enim in ipso suam fundaturus ecclesiam: φερωνύμως ἀπὸ τῆς πέτρας μετονόμαζε Πέτρον· ἐπ' αὐτῷ γὰρ ἔμελλε τὴν αὐτοῦ θεμελιοῦν ἐκκλησίαν. Et vero fides illa, si rem recte inspicimus, vinculum est ecclesiæ, non fundamentum. Est enim id cujus professione homines inter sese Christiani in societatem unam connectuntur. Petrus vero fidem illam sustinet, unaque eos quos in eandem religionem ipsa devincit. Unde Græci cum SS. Patribus Petrum non modo fundamentum ecclesiæ, sed etiam fidei nuncupant. Audi quod canunt ad XVI. Januarii, ubi B. Petri vincula venerantur: ἡ κρηπὶς τῆς ἐκκλησίας Πέτρος ἡ πέτρα τῆς πίστεως. *Petrus ecclesiæ fundamentum & fidei petra.* Eodem item in officio: ἡ πέτρα Χριστὸς τὴν πέτραν τῆς πίστεως δοξάζας φαιδρῶς αὐτοῦ τὸν πρωτόθρονον συγκαλεῖται ἅπαντας ἑορτάσαι πίστει τῷ θαύματι τῆς τιμίας ἁλύσεως. *Christus petra Petrum fidei, eum qui ecclesiæ suæ principem thronum obtinet, gloria preclare exornans omnes convocat, ut cum fide miraculum venerandæ catenæ festo celebrent.* Bene est, inquit *Methodius*: petram fatemur fidei & ecclesiæ fundamentum. Quid hinc efficis? Sequitur id, reposuit *Ignatius*, quocunque tempore vel loco Christi existat ecclesia, fundamentum ejus Petrum esse, non jam quidem in se, ut qui jam pridem obiit, atque a nobis excessit, sed in suis successoribus: alias nunc careret fundamento ecclesia, quæ Petro caret. Verum cum ejus illum referant repræsententque successores; qui his adhæret, atque innititur, Petro ipsi incumbit. Qui vero ab illis se eximunt, & ab Petri se avellunt sede, ab ecclesiæ se fundamento segregant, atque ab ipsa continuo ecclesia. De his opportunior occurret postea dicendi locus. Petrum unum nunc spectemus, statuamusque quid ipsi soli sic conveniat, ut alteri nemini possit adscribi. Maneatque hoc primum: *Petrum fundamentalem esse in Christo totius ecclesiæ petram, in qua ipsi etiam apostoli fundati sint.* Id alterum expende: *Soli Petro datum est, ut apostolis ipsis & fratribus suis, hoc est, omnibus totius ecclesiæ pastoribus præesset.* Quamobrem monebat illum Christus Luc. 22. *Oravi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Sed Græcos volo in testes, vos nimirum ipsos. Sic le-

Petrus apostolis omnibusque adeo totius ecclesiæ pastoribus præfuit.

gitis die Junii xxx. vestris in precibus: Χριστός σε πρῶτον ἐν τῇ ἐκλογῇ, Πέτρε, κρηπῖδα τῆς πίστεως ἐστεφάνωσε. *Chriſtus te in electione primum, o Petre, te fidei fundamentum coronavit.* Et die Januarii xvi. νόμους τοῦ Χριστοῦ ἐκράτυνας καὶ παρανομοῦντας τὴν εὐνομίαν ἐδίδαξας ἀποστόλων ὁ κορυφαῖος, ὡς δογμάτων βάσις ἄσειστος. *Chriſti firmaſti leges, earumque violatores rectam earumdem conſtitutionem obſervationemque docuiſti, ut qui apoſtolorum es princeps, & dogmatum fidei fundamentum nulla vi excutiendum.* Vides hic coronatum ab Chriſto Petrum & fratribus ſuis præpoſitum principem, ut ſatanam cribrare eos & diſſipare variis errorum & ſchiſmatum motibus conantem, longe repellat, ipſoſque tum contineat in fide, tum in gradu ſtabiliat. Quod tunc temporis Petro Dominus potiſſimum indixit, cum ſuas illi oves paſcendas tradidit, poſtquam ſurrexit a mortuis. Tunc enim, ut verbis Chryſoſtomi utar, ὡς τῆς ἀρνήσεως ἐξεληλαμένης ἐγχειρίζεται τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν; Chriſtus *abnegationis quaſi oblitus, fratrum illi contulit præfecturam.* Hincque factum, ait ſanctiſſimus Pater, ut hic propter concreditam ſibi fratrum curam, quid futurum ſit coapoſtolo Joanne, interroget; ὅτε τὴν προστασίαν ἐνεπιστεύθη τῶν ἀδελφῶν, καὶ οὐ μόνον ἑτέρῳ τὰ καθ' ἑαυτὸν οὐκ ἐπιτρέπει, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὑπὲρ ἑτέρου προσάγει τῷ διδασκάλῳ πεῦσιν λοιπόν. καὶ Ἰωάννης μὲν σιγᾷ, ἐκεῖνος δὲ διαλέγεται. *Hic concredita ſibi fratrum præfectura, non ſolum non committit alteri quæ ſe ſpectant, ſed & ipſe præterea magiſtrum adit de alio rogaturus. Et Joannes quidem ſilet, ille vero ſciſcitatur & colloquitur.* Verum curioſius tum Petrus percontabatur: neque enim quod princeps apoſtolorum eſſet, ad ejus ſpectabat officium reſcire qua morte defuncturus eſſet coapoſtolus. Interrogat tamen, inquit Chryſoſtomus, quia ſibi præfectura fratrum fuerat mandata. Aures præbe divino huic Chryſoſtomo, & ab eo accipe, quo Petrus loco inter diſcipulos eſſet, quamque ex veritate præeſſet omnibus autoritate ſtupenda. Aderant diſcipuli in ſancto Sionis cœnaculo omnium facile præſtantiſſimi, apoſtoli ſcilicet, & ſeptuaginta illi duo ab Chriſto electi, aliique, numero omnes centum ferme & viginti. Surgens autem Petrus in medio diſcipulorum dixit, & ut fervens, *habenſque concreditum ſibi a*

Christo gregem, ut princeps illius chori semper primus incipit eloqui. Attendisti, ut grex ille congregatorum, in quibus erant apostoli, Petro erat concreditus: ὡς ἐμπιστευθεὶς παρὰ τοῦ Χριστοῦ τὴν ποίμνην, καὶ ὡς τοῦ χοροῦ πρῶτος ἀεὶ πρότερος ἄρχεται τοῦ λόγου. Addit S. Pater, licuisse Petro, *& maxime licuisse* aliquem unum autoritate propria per sese substituere in Judæ locum. Id vero minime illum fecisse, ne cui gratificari videretur; atque idcirco ex communi discipulorum sententia egisse omnia, non summa potestate, vel imperio. ὅρα δὲ αὐτὸν μετὰ κοινῆς πάντα ποιοῦντα γνώμης. οὐδὲν αὐθεντικῶς, οὐδὲν ἀρχικῶς. Et infra: τί οὖν, ἐξῆν αὐτὸν ἑλέσθαι; ἐξῆν· καὶ πάνυ γε. ἀλλ' ἵνα μὴ δόξῃ χαρίζεσθαι, τοῦτο οὐ ποιεῖ. Aliam quoque rationem affert, quod nondum delapsus in ipsum esset S. Spiritus. Unde nondum accepto Spiritu sancto rem gerere debebat moderatius, & aliorum adhibito consilio. *Merito tamen omnium primus*, verba sunt Chrysostomi, *sumit autoritatem in negotio, nempe qui* omnes *habebat sibi creditos & commissos.* Omnium autem illorum de numero erant apostoli. *Ad hunc enim dixit Christus: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Vim testimonii hujus admiratus *Nicolaus*, Ubi, inquit, ubi, amabo te, sic loquitur Chrysostomus? In suis, respondit *Ignatius*, in acta apostolorum commentariis, ubi de electione S. Matthiæ sermonem habet. Librum hunc, subjecit *Nicolaus*, hic habemus apud nos. Sed Græcum Chrysostomi idioma non intelligo, intelligit vero Methodius. Leget & explanabit: vix enim crediderim sic divinum illum Patrem testari. Nam quis Romanorum pontificum, ut esset suæ amantissimus dignitatis, Petro posset plus tribuere? Allatus est in medium liber, & consentire omnia visa sunt, tum quæ superius adducta, tum postremum istud: εἰκότως πρῶτος τοῦ πράγματος αὐθεντεῖ, ἅτε γὰρ αὐτὸς ΠΑΝΤΑΣ ἐγχειρισθείς. πρὸς γὰρ τοῦτον εἶπεν ὁ Χριστός, καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. Pergo, inquit *Ignatius*, audite. Princeps pastorum ἀρχιποίμην Christus Dominus Petrum *solum* tanti sui hujusce nominis atque officii participem voce sua effecit, creavitque τῶν ἀρχαίων pastorum principem, ubi agnos illi suos, imo & oves agnorum matres tradidit ad pascendum. *Unde est,* inquit Chrysostomus, hom.

78. in Joan. *unde est, ut aliis omissis, cum hoc* Petro *de istis colloquatur? τί δήποτε τοὺς ἄλλους παραδραμὼν τούτῳ περὶ τούτων διαλέγεται*); Rationes facti duas profert: alteram, ut sic loquar, essentialem & necessariam; ex accidente alteram. Agnos & oves suas Petro Dominus tradidit ut pasceret: *quia princeps erat apostolorum, discipulorum os*, id est, oraculum sive magister, *& summus chori*. Propterea Paulus aliis prætermissis Hierosolymam ascendit, τότε αὐτὸν ἱστορῆσαι, id est, (si potestatem vimque Græcæ vocis attendas, quin & totius consecutionem sermonis) non ut videret solùm, sed ut interrogaret Petrum, ut ab eo veritatem acciperet, non quam nesciret: quid enim nescire posset, qui audierat arcana verba quæ non licet homini loqui, & paradisum ipsum in scholam habuerat? sed quam ab visibili pastorum principe confirmatam, Galatis non satis sine illa fortassis autoritate obedientibus, proponeret. Verum ipsa Chrysostomi verba intuere & expende: τί δήποτε τοὺς ἄλλους παραδραμὼν τούτῳ περὶ τούτων διαλέγεται; ἔκκριτος ἦν τῶν ἀποστόλων, καὶ στόμα τῶν μαθητῶν, καὶ κορυφὴ τοῦ χοροῦ, διὰ τοῦτο καὶ Παῦλος ἀνέβη τότε αὐτὸν ἱστορῆσαι παρὰ τοὺς ἄλλους. Altera vero quæ ex accidente est, ratio sic ab sancto doctore profertur: ἅμα δὲ καὶ δεικνὺς αὐτῷ, ὅτι χρὴ θαῤῥεῖν λοιπὸν, ὡς τῆς ἀρνήσεως ἐξεληλαμένης ἐγχειρίζεται τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν. *Hoc facto simul ostendens ipsi Christus Dominus, oportere de cætero ut confideret; remque ageret cum fiducia, negationis abolita memoria, fratrum illi commisit præfecturam & curam*. Quam curam, ut jam monui, & docet minoris Octoechi liber, statim ut accepit, exercuit, etiam præsente Christo, erga coapostolum: φανερῶν ἑαυτὸν τοῖς μαθηταῖς σου, σωτὴρ, μετὰ τὴν ἀνάστασιν, Σίμωνι δέδωκας τὴν τῶν προβάτων νομὴν, εἰς ἀγάπης ἀντέκτισιν τὴν τοῦ ποιμαίνειν φροντίδα αὐτῶν. διὸ καὶ ἔλεγες· εἰ φιλεῖς με, Πέτρε, ποίμαινε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. ὁ δὲ εὐθέως ἐνδεικνύμενος τὸ φιλόστοργον περὶ τοῦ ἄλλου μαθητοῦ πυνθάνεται. *Aspectabilem te discipulis tuis, o salvator, post resurrectionem exhibens, Simoni tradidisti pascendi officium in compensationem amoris. Quapropter dixisti: Si amas me, Petre, pasce agnos meos. Ipse vero statim ostendens amorem paternum, alio de discipulo interrogat*. Vide ut Græci Petrum agnoscunt apostolo-

rum paſtorem & quaſi patrem. Quoniam, inquit *Romanus*, Chryſoſtomi in Acta commentarios jam præ manibus habemus, quanto ſtudio Petri principatum apoſtoli venerati ſint, ex iis quæ in concilio Hieroſolymitano ſunt geſta, agnoſcite. ὅρα, exclamat Chryſoſtomus hom. 33. μετὰ Πέτρον Παῦλος φθέγγεται, καὶ οὐδεὶς ἐπιστομίζει, Ἰάκωβος ἀνέχεται, καὶ οὐκ ἀποπηδᾷ, ἐκεῖνος γὰρ ἦν τὴν ἀρχὴν ἐγκεχειρισμένος. *Intuere; poſt Petrum Paulus loquitur, & nemo contradicit. Jacobus cum honore ſuſcipit, neque ab ejus mente deſilit. Illi enim commiſſus fuerat principatus.* Quid igitur, ait *Nicolaus?* Rem Jacobus definit, non Petrus. Majoris eſt enim proferre ſententiam. Majorem, niſi fallor, inquit *Ignatius*, nunquam Græci fatebuntur Jacobum, qui ne illum quidem e duodecim apoſtolorum fuiſſe numero contendunt. Rem autem ab ipſo definitam eſſe, non agnovit Chryſoſtomus, ſed ab Petro, ut conſtat ex proxime allatis verbis. Locuti ſunt poſt Petrum alii, uti Paulus & Jacobus. At omnes ex Petri ſententia. Si erro, erro cum Chryſoſtomo & Patribus. Quid ergo, quæſivit *Nicolaus*, Petrum inter apoſtoloſque alios diſcriminis interceſſit? Habes ex dictis, repoſuit *Ignatius*. Erant apoſtoli eccleſiæ principes: at ſub Chriſto rege, ejuſque vicario B. Petro. Unde Ambroſius in cap. ult. Lucæ, Chriſtum ait ex Petro quæſiviſſe: *Amas me? non ut diſceret, ſed ut doceret quem elevandus in cælum, amoris ſui nobis velut vicarium relinqueret.* Ideoque, ut ibidem Ambroſius explicat, *jam non agnos ut primo quodam lacte paſcendos, nec oviculas, ut ſecundo, ſed oves jubetur paſcere, perfectiores ut perfectior gubernaret.* Hoc ipſum Græci profitentur in Menæo XXIX. Junii: τῆς πρὸς Χριστὸν, Πέτρε, φιλίας προὐτέθεισο μάρτυρα, καὶ τὸν πάντα ὡς θεὸν εἰδότα λόγον. ὅθεν καὶ τὸ φίλτατον ἐγχειρίζει σοι ποίμνιον. *Tui in Chriſtum amoris protuliſti, Petre, teſtem verbum, cui ut Deo nota ſunt omnia: ideo dilectiſſimum ſibi gregem tibi commiſit.* Hic operæ pretium eſt iterum audire Chryſoſtomum in proxime appellata homilia. Quærenti, cum tantus eſſet Chriſti Domini in Petrum amor, cur Petrus Hieroſolymis ſedem non acceperit, ſed Jacobus; reſpondet: ἐκεῖνο ἂν εἴποιμι, ὅτι τοῦτον οὐ τοῦ θρόνου, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἐχειροτόνησε διδάσκαλον. *Hoc dixerim, illum non privati cujuſdam throni,*

Petrus concilio Hieroſolymitano præfuit.

Diſcrimen Petrum inter alioſque apoſtolos.

ſed orbis totius conſecratum eſſe magiſtrum. Quaſi diceret: Quamvis apoſtoli univerſales etiam magiſtri eſſent, non tamen eadem qua Petrus autoritate & ratione, quippe qui princeps ipſorum & os erat. Qua igitur ratione? Exponit Leo, quem Latini magnum, Græci maximum infinitis laudibus deprædicant. *De toto mundo*, inquit ſer. 3. de aſſumpt. *Unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, omnibus apoſtolis, cunctiſque eccleſiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multique paſtores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus. Magnum & mirabile, dilectiſſimi, huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit divina dignatio, & ſi quid commune cum eo cæteris voluit eſſe principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit.* Jam quæro, de quo ullo unquam apoſtolo id unquam dictum, quod de Petro S. pontifex Leo pronuntiat: *ab eo* omnes *proprie regi, quos principaliter regit Chriſtus; & per ipſum cæteris eccleſiæ principibus tribui, quod ei cum ipſis etiam eſt commune.* Majus eſt quod addit in illud Luc. 22. *Confirma fratres tuos. In Petro*, inquit, *omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum* APOSTOLIS *conferatur.* Quibus verbis mihi ſignificare videtur S. Leo Chriſtum Petro tum tribuiſſe firmitatem, cum ipſum fundamentalem eccleſiæ petram conſtituit, contra quam non prævaleant unquam inferorum portæ. Quam firmitatem cæteris quoque per ſeſe dedit apoſtolis, quatenus eos cum petra illa inconcuſſa arctiſſimo unionis vinculo conjunxit. Ex iſtis, quæ attigi, capitibus paucis, palam eſt Chriſtum ſic eccleſiæ ſuæ inſtituiſſe hierarchiam, cum à nobis in cælum abſceſſit, ut unus præeſſet omnibus, *haberetque totum terrarum orbem ſibi commiſſum*, ut loquitur Chryſoſtomus hom. 39. tom. 1. quæ 1 v. eſt adverſus Judæos, eſſetque *eccleſiarum columna, portus fidei, orbis terrarum magiſter*, ut idem tradit hom. 39. codicis ejuſdem, quæ de ſanctis eſt Petro & Elia. Noli omittere, inquit *Romanus*, præclarum Optati Milevit. teſtimonium l. 7. adverſus Parm. Sic habet: *Propter bonum unitatis B. Petrus præferri omnibus apoſtolis, & claves regni cælorum communicandas* SOLUS *accepit.*

Durus est hic sermo, subjecit *Methodius*, & quis potest eum audire? Annon & apostoli alii claves ab Christo acceperunt, & communicarunt acceptas? Claves, inquit *Ignatius*, quas acceperunt, Petri erant; easque apostoli cæteris communicarunt, non ut sibi, sed Petro datas. Soli enim Petro in præmium meriti dictum est: *Et tibi dabo claves regni cælorum.* Unde Græci *solum* in apostolis Petrum *janitorem cæli* appellant. Græcos igitur audi. Neque enim durus eorum, sed suavis sermo accedet. Sic loquuntur in Menæo die Junii XXX. *σὺ ἐπαξίως πέτρα προσηγορεύθης, ὅτι τὴν ἀκράδαντον πίστιν ὁ κύριος τῆς ἐκκλησίας ἐκράτυνε, ἀρχιποίμενα τῶν λογικῶν προβάτων κατέστησεν. ἐντεῦθεν κλειδοῦχόν σε τῶν οὐρανίων πυλῶν, ὡς ἀγαθὸς, ἐνεχείρησεν ἀνοίγειν πᾶσι τοῖς μετὰ πίστεως προσεδρεύουσι. Jure tu ac merito petra nuncupatus es. Quando fidem ecclesiæ Dominus firmavit immotam, constituit te rationalium ovium pastorem pastorum principem. Hinc te portarum cælestium, ut bonus, instituit clavigerum sive janitorem, quo omnibus qui cum fide assistunt* huic celebritati, *aperias.* Egregie vero profitentur idem, imo disertius Græci Arabes in sua evangelii, quod post Pascha legitur, undecimi explanatione. Eam Chrysostomo tribuunt. *Fearád elmesiehh en yebayen manzelet Botros ândo bâd toubeto leltelamid, feledalek aaradh an hom, ou khatab Botros fi mauna elteqoddom ala elmaskoune ou ssiasce leha baâdo, ou aoudhaho mâ dalek enno sebilo, en yuthmán be-en kad emteha Jehoudo ou teqallad eltekeddom âla akhoueto, ou ma aourad Jehoudo ou la ghayr ma fælo, bel qál ennak tebheubni, feteqaddam âla akhovetak, ou adher elán heubbak elhár elladi a oudhahto beafaal kulha, ellati beha ebteheg ana, ou nafsak ellati qolt ennak tebdelha men ageli, ebdel ha elán leagele ghanami.* Tum addit interpres: *En Botros qad gialo errab lelmaskoune raayan ou mudalberan. Voluit Christus significare discipulis, quo apud se Petrus, postquam resipuit, loco esset. Quamobrem ab illis deflexit, Petrumque allocutus est de præficiendo ipso orbi terrarum, ut eum* POST SE REGERET SUI LOCO: *ac ipsi simul declaravit securum ipsum esse debere, culpam abnegationis suæ plane esse deletam, consecutumque id esse, ut fratribus præsideret. Neque habuit negationis mentionem ullam, aut alterius facti; sed ait: Si amas me, præsis fratribus tuis, &*

ardentissimum, quo delector, amorem tuum, quem factis omnibus ostendisti, nunc exhibe. Animam vero tuam, quam dixisti te pro me positurum, pone pro ovibus meis. Et infra: *Petrum Dominus constituit terrarum orbis pastorem & gubernatorem.* Non cessat id inculcare Chrysostomus hom. 53. quæ est de pœnit. 1. *Post illum*, inquit, *crudelem casum. Quod enim æquale st abnegationi malum? Attamen post tantum malum, illum rursus in priorem dignitatem restituit, & ecclesiæ universalis primatum & gubernationem tradit.* μετὰ τὸ χαλεπὸν ἐκεῖνο πταῖσμα, ἀρνήσεως γὰρ οὐδὲν ἴσον κακόν. ἀλλ᾽ ὅμως μετὰ τοσοῦτον κακὸν, πάλιν αὐτὸν πρὸς τὴν προτέραν ἐπανήγαγε τιμὴν, καὶ τὴν ἐπιστασίαν τῆς οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας ἐνεχείρισε. Quæ cum ita sint, constetque Petrum esse fundamentalem petram, cui ecclesia omnis ejusque fides inniti debeat, si vestra hac hodierna de legitimo patriarcha contentio, aut alia fidem religionemque spectans, apostolorum ætate incidisset, non alio quam Petro judice fuisset decisa, petram illam fuissent omnes amplexi, quemque illa fulciret, huic ut columnæ suæ in fundamento solido positæ adhæsissent. Habitus in legitimum pastorem fuisset, qui intrasset per ostium, cuique ille clavicularius regni cælorum aperuisset aditum. Et vero cum Græci, ut mox ex ipsorum libris referebam, Petrum profiteantur præfectum universo terrarum orbi, ut ipsum post Christum, Christi loco regeret; non dubitassent eum in ista causa appellare testem & judicem, quemadmodum Christum ipsum appellassent, si Christo vivente lis hæc orta esset. Eum coluissent patriarcham, quem Petrus dixisset, *qui solus*, ut ait Optatus Milevit. *claves regni cælorum aliis communicandas accepit, & per quem*, ut scribit Leo pontifex, *ipsis etiam apostolis firmitas ab Christo confertur, qui proprie regit* OMNES *quos Dominus principaliter regit, & per quem cæteris ecclesiæ principibus tribuitur, quod ei cum ipsis etiam est commune.* Ita est, inquit *Nicolaus*: beatis illis ecclesiæ temporibus finis controversiæ huic nostræ fuisset Petro judice positus. At nunc cum a nobis Petrus abiit, cujus erit hanc dirimere? Ejus erit, reposuit *Ignatius*, in quo Petrus vivit & judicat. *Vivit autem & judicat in suis successoribus*, ut scribitur in tertia synodo. Petri autem successor alius ab Romano pontifice

tifice nemo eſt. Atque adeo cum Romanus pontifex *ſolus* ſit Petri ſucceſſor, non jus modo habet, ſed neceſſitatem regendi catholicam ubique terrarum eccleſiam, & *ſolus* id habet. Hæc omnia, inquit *Methodius*, recte ſi demonſtres & evincas, præclare de ſede Romana mereberis, imo de chriſtianorum tota gente, cui ſchiſmatis omnem fere viam præcideris. Audite ergo, ſubjecit *Ignatius*, & favente Deo e veſtris etiam libris ſic demonſtrabo ſingula, ut nihil ſupereſſe dubii apud vos poſſit. Ac primum hoc ſtatuo Petrum Romanum pontificem fuiſſe. Cum enim annos circiter ſex Hieroſolymis manſiſſet ſediſſetque Antiochiæ totidem ac paulo amplius, ſi qua Hieronymo fides lib. de ſcript. eccl. ſi qua Euſebio in Chron. aliiſque notæ magnæ autoribus, pontificiam ſedem tranſtulit Romam, ibique annos viginti eccleſiæ præfuit, eamque inde adminiſtravit, dum vixit. Quin recte annotant Græci, eum ſic Hieroſolymis & Antiochiæ ſediſſe, ut quaſi non ſederit, ſed per ea cucurrerit loca poſiturus Romæ ſedem ſuam fixam & immobilem. Ita legimus in Menæo ad diem XVI. Januarii, qui dies vinculis S. Petri feſtus eſt: ἐκ παλεστίνης ὁ Χριστοῦ ἵππος καὶ ἀπόστολος Πέτρος ὡς ἐκ βαλβῖδος προελθὼν, καὶ τῷ κόσμῳ κηρύξας ἐν Ῥώμῃ μὲν τῇ πρεσβυτέρᾳ κατέπαυσεν. *Petrus Chriſti curſor & apoſtolus e Paleſtina quaſi e repagulo prodiens, & orbi prædicans Roma in vetere conquievit.* Adde quod Junii die XXX. e Menæo eodem canitur: τῆς Ῥώμης ἦ γέγονας σὺ πρωτεπίσκοπος, τῆς μεγίστης τῶν πόλεων δόξα καὶ κλέος, καὶ ἐκκλησίας, Πέτρε, ἑδραίωμα, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν ὄντως ταύτης, Χριστὸς ὡς προέφησεν. *Romæ factus es primus epiſcopus, urbium omnium maximæ gloria & decus, eccleſiæ fundamentum & fulcimen, portæque inferi non prævalebunt adverſus eam, ut prænuntiatum ab Chriſto eſt.* Palam eſt, inquit *Methodius*, Petrum ſediſſe Romæ epiſcopum: perge. Adde & Romæ factum non modo epiſcopum, ſed eccleſiæ fundamentum & columen, ut prodit proxime adductum teſtimonium. Pergo, repoſuit *Ignatius*, aioque S. Petri ſucceſſores Romæ ſuam habere conſtitutam ſedem. Teſtantur hoc concilia, tradunt SS. Patres, & ſuis in templis Græci concinunt. S. Leonem ita inter orandum compellant Februarii XVIII. Πάτερ

Petrus Romæ ſedem ſuam poſuit, ibique mortuus eſt.

Petrus Romanus epiſcopus eccleſiæ fundamentum & columen.

Nullus alius in ſuprema autoritate Petri ſucceſſor præter Romanos pontifices.

τῆ κορυφαίου θεόνου κληρονόμος ἐχρημάτισας τὴν αὐτοῦ ἔχων γνώμην καὶ τὸν ζῆλον θεόφρονα τῆς πίστεως. *Petri supremi principis, in ea quam tenuit, sede hæres, illiusque consecutus mentem & divinum fidei zelum, jus dixisti.* Et infra: ὁ Πέτρου τοῦ σεπτοῦ διάδοχος, καὶ τὴν τούτου προεδρίαν πλουτήσας, *sancti Petri successor* dicitur, *& eam possidere, quam Petrus habuit, præsidendi dignitatem.* Locus est alius perillustris ad XXIV. Novemb. de S. Clemente: τῆς τῶν παθῶν ὀχλήσεως ἀπαχολήσας τὸν νοῦν περὶ τὴν γνῶσιν τῶν ὄντων, ἱερώτατε Κλήμη, ἀσχολεῖσθαι πεποίηκας. διό σε τὸ κυρίως καὶ πρώτως ὄν, ἐπὶ ταύτην εἵλκυσε, διὰ Πέτρου τοῦ τῶν ἀποστόλων ἐξάρχοντος, ὅς σε τὰ θεῖα μεμύηκε, καὶ αὐτοῦ διάδοχον καταλέλοιπε ἄξιον, μεθ' ὃν τὴν ἐκκλησίαν, πάνσοφε, καλῶς διαγαγὼν μαρτυρικῷ τέλει πρὸς αὐτὸν ἐξεδήμησας, οἷα θεὸς θεῷ ὄντι συγγινόμενος. *Affectuum perturbatione expeditus mentem circa entium cognitionem, Clemens sanctissime, occupasti. Quapropter ad hanc te primum & principale ens attraxit, Petri opera apostolorum principis, qui te divinis initiavit, suumque te dignum successorem reliquit. Post quem, o sapientissime, tu ecclesiam dirigens, & præclare administrans, ad illum finita per martyrium vita abscessisti, & quasi Deus Deo enti adhæres.* Porro Petrus cum cathedram suam & omnem ecclesiam commisit Clementi, usus est his verbis, si Clementem ipsum audimus in epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini: *Sicut mihi tradita est a Domino nostro* JESU-CHRISTO *potestas ligandi solvendique, ita & ego tibi committo, ut ordines dispositores diversarum causarum, per quos actus non ecclesiastici profligentur. Et tu minime curis sæculi deditus reperiaris, sed solummodo orationi & prædicationi ad populum vacare stude.* Quibus Petri in verbis animadverte traditam Clementi administrationem ecclesiæ, quemadmodum ipsa Petro ipsi ab Christo commissa est. Plura vis? Consule quæ de S. Sylvestro Januarii 11. die proferuntur. Ex his istud est: κορυφαῖος ὤφθης ἱεροῦ συστήματος, ἱερόμυστα, καὶ τοῦ κορυφαίου μαθητῶν ἐκόσμησας θρόνον. *Princeps sacri ordinis, o pontifex, visus es, & discipulorum principis sedem exornasti.* Patrum jam testimonia si expetis, id Damasus docet ex Europa apud Theodoretum l. 5. Histor. c. 10. in ea epistola qua patribus synodi respondet. Id Cyprianus ex Africa epist. 3. de Novatianis ad Cornelium scri-

bens, *Navigare*, inquit, *audent*, *& ad Petri cathedram, atque ad principalem ecclesiam, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis & profanis litteras ferre: nec cogitant eos esse Romanos, quorum fides apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non potest accessum.* Id Hieronymus ex Asia antroque Bethleemitico epist. 57. ad Damasum, *Ego*, inquit, *nullum primum, nisi Petrum sequens, beatitudini tuæ, id est, Petri cathedræ, communione consocior. Super illam petram ædificatam ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est.* Quamobrem epist. 58. cum variis Syria distraheretur sectis, *Ego*, inquit, *clamito: Si quis cathedræ Petri jungitur, meus est.* Augustinus vero in psal. contra Donatistas, *Venite*, inquit, *fratres, si vultis ut inseramini in vite. Dolor est, cum vos videmus præcisos ita jacere. Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede; & in illo patrum ordine, quis cui successerit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Optat. Milevit. lib. 5. adversus Parmen. *Negari non potest quin in urbe Roma Petro cathedra episcopalis sit collata, in qua sederit omnium apostolorum princeps Petrus, unde & Cephas appellatus est; in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri apostoli singulas sibi quique defenderent, ut non schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.* Conciliorum desideras autoritatem? In promptu est. In Ephesina synodo *Philippus sedis apostolicæ legatus, dixit: Nulli dubium, imo sæculis omnibus notum est quod beatissimus Petrus princeps & caput apostolorum, columna fidei, ecclesiæ catholicæ fundamentum regni claves accepit a Domino* JESU CHRISTO, *& ipsi data est potestas ligandi, solvendique peccata, qui usque adhuc & in perpetuum in suis successoribus vivit & judicat. Hujus itaque secundum ordinem successor & locum tenens papa Celestinus nos ad hanc synodum misit.* Et in IV. synodo exclamarunt patres: *Petrus per Leonem hæc locutus est.* Et in VI. episcopi in Prosphonet. ad Constantin. imper. *Summus*, inquiunt, *pugnabat nobiscum apostolorum princeps. Illius enim imitatorem & successorem ejus cathedræ habebamus*, ὑπαλείφοντα, *inungentem*, id est, vires dantem, quomodo athletis dabantur inuncto oleo. Et ibidem: *Charta videbatur & atramentum*, (nempe

in apoſtolicis litteris) *ſed per Agathonem loquebatur Petrus.* Et in VII. Hadrianus papa act. 2. in litter. ad imper. *Ipſe princeps apoſtolorum beatiſſimus Petrus qui apoſtolicæ ſedi primitus præſedit, ſui apoſtolatus principatum & paſtoralis curæ ſucceſſoribus ſuis, qui in ejus ſacratiſſima ſede perenniter ſeſſuri ſunt, dereliquit, quibus & autoritatis poteſtatem, quemadmodum a ſalvatore noſtro Domino conceſſa eſt, & ipſe quoque ſuis contulit, & tradidit divino juſſu ſucceſſoribus pontificibus.* Hæc omnia lecta, audita, ſcita & recepta ſunt in conciliis, refragante nemine. Denique ſucceſſores B. Petri Romæ ſedere, vel id argumento eſt, quod ſedes Romana ſola per antonomaſiam ſine addito *ſedes apoſtolica* vocatur, & qui eam obtinet, nuncupatur *Apoſtolicus Epiſcopus*, *Apoſtolicus Pater.* Nimium ſit perfrictæ frontis, inquit *Methodius*, qui Romanum pontificem negaverit eſſe Petri ſucceſſorem. Verum ſunt pontifices alii, qui id ſibi dignitatis jure etiam vendicant, qualem eſſe, ut reor, fateberis Antiochenum. Si tu Græcus cum ſis, reſpondit *Ignatius*, Græcorum eccleſiaſticos libros conſulueris, ſucceſſorem Petri vocari ubique animadvertes Romanum papam, alium præterea neminem. 2. Alium nullus ſanctorum Patrum hoc nomine vel appellat, vel novit dignum. 3. Si quis eſſet alius Petri ſucceſſor, eſſet profecto, ut abs te dictum eſt, Antiochenus. Atqui ille nuſquam ab ſanctis Patribus ſive in eorum libris, ſive in conciliis, hac eſt appellatione cohoneſtatus. Imo Græci illum faciunt, unius S. Evodii ſucceſſorem. Scribunt enim in Menæo ad diem xx. Decembris, *S. Ignatium fuiſſe ſecundum Antiochiæ patriarcham, eumque poſt Evodium ſediſſe.* Et merito ita ſcribunt. Quod enim Antiochiæ Petrus ſederit, ibique conſecrarit ejus ſedis Evodium epiſcopum, non ſequitur Evodium ejus fuiſſe ſucceſſorem, ut ſi qui nunc ſedet Antiochenus patriarcha, ſedemque habet Damaſci, conſtitueret in Antiochena civitate epiſcopum, non continuo ſucceſſor eſſet Antiocheni patriarchæ. Maneret enim in patriarchali gradu antiſtes ille, ab quo ipſe conſecratus eſt; & qui mortuo illo patriarcha, ejus ſufficeretur in locum, patriarcha is eſſet: quique Antiochiæ præſul eſſet, non alia dignitate quam epiſcopi gauderet. Eſto tamen, ſi

hoc obſtinaveris impetrare, ſit in regimine particularis eccleſiæ Petri ſucceſſor Antiochenus patriarcha, (ne de rebus parvi momenti contentio ſit) & eo fere ſenſu ſucceſſor ſit, quo epiſcopi dicuntur apoſtolorum ſucceſſores in ordinis poteſtate, non in juriſdictionis autoritate, & amplitudine. Habeat etiam hoc Antiochenus ſupra cæteros, quod in ea particularis eccleſiæ ſede verſetur; in qua ſedit Petrus. Cum tamen non ſit Petri ſucceſſor in immenſitate poteſtatis, (hanc enim Petrus ſecum tranſtulit Romam, non ſe illa Antiochiæ abdicavit) non facit particula illa ſucceſſionis, ut debeat cæteris omnino præferri patriarchis. Sicut ſi quis in Polonia comes, cum eligitur in regem, comitatum ſuum alicui tradat, non propterea qui regis ſucceſſor eſt in comitatu, debet abſolute dici regis ſucceſſor, ac ducibus majoris notæ, palatiniſque cæteris anteire. Atque inde eſt quod Antiochenus patriarcha non ſederit uſquam primo loco, qualis debetur ſucceſſori apoſtolorum principis, ſed olim tertio, nunc autem quarto. Factumque illud ſingulari Dei providentia, & ſapientia eccleſiæ. Si enim B. Petrus dum antiſtites conſtitueret, illum antepoſuiſſet Alexandrino, iſque in Oriente cæteris præiviſſet epiſcopis ſeu patriarchis: (quamvis non fuiſſet ratio ulla ſchiſmatis inducendi, quia necdum vere Petri ſucceſſor eſſet) quid tamen non fuiſſent in tanta amplitudine auſi, cum minore præditi titulo Conſtantinopolitani præſules tantum ſibi aſſumpſerint? Video te, inquit *Nicolaus*, altiſſima jacere fundamenta: ſed quam ſis poſtea his molem ſubſtructurus, nondum liquet. Audi, repoſuit *Ignatius*, ſic enim aio: Cum Romanus pontifex *ſolus* ſit Petri ſucceſſor, non jus modo habet, ſed neceſſitatem regendi catholicam ubique eccleſiam; & id *ſolus* habet. Quod univerſalem eccleſiam, cujus partes regendas obtinent reliqui patriarchæ & epiſcopi, Romanus pontifex habeat gubernandam, probat primo ſucceſſionis ratio atque notio. Sicut enim Conſtantinopolitanus patriarcha anteceſſori ſucceſſit in plenitudine poteſtatis, quæ ſedis ejus propria eſt, ad regendas ſibi ſubjectas eccleſias, quia ſucceſſor eſt: ſimiliter Petri ſucceſſor ea gaudet ad univerſalem adminiſtrandam eccleſiam poteſtate, qua pollebat anteceſſor

Romanus pontifex jus & neceſſitatem habet regendi Catholicam eccleſiam.

ſuus B. Petrus. Pollebat autem generali in omnem Chriſti eccleſiam, ut ſuperiore loco demonſtravimus, autoritate: ergo & ejus ſucceſſor Romanus pontifex. Atque id niſi admittimus, quam dicimus nunc chriſtianam eccleſiam, compellimur fateri jam non eſſe eam quæ ab Chriſto inſtituta eſt, fundataque ab apoſtolis. In illa enim Chriſti & apoſtolorum eccleſia unus erat, cui, ut aiunt Patres, *grex Chriſti omnis in univerſo terrarum orbe erat concreditus, quique omnibus præerat etiam eccleſiæ principibus.* Verum eccleſia Chriſti neſcit occaſum; & qualis condita eſt, talis ſtabit ad conſummationem uſque ſæculi, & talis præteritis quoque retro temporibus perſtitit: cumque multi ſint qui partes eccleſiæ varias regant pro dignitate & officio, unus tamen eſt & ſemper extitit, qui toti & univerſæ eccleſiæ præſit & invigilet. Non credis? non rationum pondere vinceris? Reverere ætatum autoritatem omnium. Ac primum repete quæ paullo ante ex Græcorum eccleſiaſticis libris retulimus de S. Clemente, quem ſucceſſorem ſibi Petrus reliquit in regenda eccleſia, ſicut illam ab Chriſto Domino acceperat ipſe adminiſtrandam: de S. Leone qui hæres dicitur apoſtolici, qui Petri erat, throni, id eſt, ſummæ Petri in regenda tota eccleſia catholica autoritatis. Neque enim throni nomine cathedra lignea vel lapidea intelligitur, ſed, ut legitur ibidem, προεδρία. Et his adde quæ de ſancto Celeſtino in Menæo legitis ad VI. Aprilis, ab eo ſcilicet fuiſſe per litteras Neſtorium depoſitum, illumque in damnando hoc hæretico ſe B. Cyrillo ſua illi commiſſa autoritate adjunxiſſe. Patet hoc tum ex Græcorum, quod puerorum manibus teritur, Ermologio, ubi concilia in tabula variis diſtincta areolis repræſentantur. Hic enim Cyrillum teſtantur in Epheſina ſynodo S. Celeſtini pontificis Romani, vicarium præſediſſe. Tradit idipſum vernaculo ſuo idiomate Matth. Kigala Cypr. in ſua νεά σύνοψει διαφόρων ἱστοριῶν: *Celeſtinus papa ſignificavit Cyrillo Alexandrino, ut ſui loco vicarius ſederet.* ἐμήνυσε τοῦ Κυρείλλου νὰ εἶναι εἰς τὸν τόπον του καὶ εἰς τὸ προεδροτόν του. Ita ille pag. σξ. Tum hoc maxime declaratur ex ipſis Celeſtini litteris ad Cyrillum datis in hæc verba: *Quamobrem noſtræ ſedis autoritate adſcita, & noſtra*

S. Chryſoſt.
S. Leo.


vice ac loco cum potestate usus, hujusmodi severissime exequeris sententiam, ut nisi decem dierum intervallo, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet Nestorius, *illico sanctitas tua illi ecclesiæ prospiciat.* Quæro an hæc verba æqualis sint cum æquali, an superioris cum inferiore agentis? Non scribit videri sibi anathemati subjiciendum Nestorium, imperat subjici, & Constantinopolitanæ ecclesiæ provideri. Lege etiam in Menæi Synaxario quæ de S. Agapeto memoriæ produntur ad XVII. nisi fallor, ejusdem mensis Aprilis: *cum* scilicet *Constantinopolim venisse, processisse illi obviam imperatorem cum suis, summis eum honoribus excepisse: ab eo S. pontifice Romano fuisse depositum & expulsum Anthimum patriarcham hæreticum, & Menam sacerdotem orthodoxum fuisse ab eodem in Anthimi sedem evectum.* Quæ, Deus bone! hac autoritate major autoritas fingi potest? Quid majus Romanis in partibus audere posset? Quæ major obedientia ipsi deferri? Si hoc Constantinopoli Romanus pontifex ex officio facit, & refragante nemine; quis locus ab ejus divinitus tradita jurisdictione se eximat? Præclara etiam mense eodem ad diem XIII. de S. Martino papa Græci prædicant, quibus pontificia ejus in omnem ecclesiam potestas commendetur. Gregorium magnum cognomine Dialogum, XIV. Martii admirabiliter extollunt, aiuntque ab eo præscriptam sibi missam illam, qua utuntur in quadragesima jejuniorum tempore, seque legi illi ad hanc usque nostram ætatem esse obsecutos. Vultis exempla alia? Quidni velimus, inquit *Nicolaus?* perplacent quæ commemoras. Sunt apud me, pergit *Ignatius*, Annales ecclesiæ antiquissimi Arabice conscripti. Codex est annorum 500. & amplius. Autoris desideratur nomen: sed Græci ritus fuisse constat cum ex narrandi modo, tum ex eo quod Græcorum opinionibus ubique adhæret. Is quæ gesta sunt in ecclesia ab ejus ortu ad annum Christi circiter DCCCC. quasi compendio describit. E multis quibus Romani pontificis in ecclesiam omnem autoritas confirmatur, nonnulla expromam. De Athanasio patriarcha Alexandrino insigni illo propugnatore fidei, & Paulo confessore ita scribit: *Ambo ab ecclesiæ hostibus ejecti Romam se contulerunt ad papam Julium, &*

eos ille suis sedibus restituit. Lemma tharad homa elmukhálesin dakhala ela medinet Roumié ela elbába Ayoulius ou hou aaad homa ela kerasia. Et in concilio, quod e minoribus XLIV. facit, sic scribit: *Decus fidei promotum esse atque effulsisse in Oriente Julii papæ Romani administratione & cura. En æulou schán elamáne elmuqaddasé qad ertefeâ fi belad elscherk beteddbir Ayoulius elbaba.* Addit *patriarcham Petrum qui S. Athanasio in patriarchatu Alexandrino successit, ut vidit impiorum adversus se conatus, seque ab sede exturbatum, confugisse Romam, exceptumque perhonorifice ab Damaso papa, & ab ipso suæ redditum ecclesiæ fuisse. En Botros elladi aateqab elriáse bad elqaddú Atanasios fi elkursi Elaskanderani, lemma nadhar ma giara aleih men elkofora elladin asqathouh men erriasé sár ela Roumié feqabelo elbaba Damasos bêghay et elkerame ou aâado ela kursih.* Item in prædatoria illa synodo quæ Ephesi coacta est, *cum legati pontificis Romani impietatem adverterunt Dioscori, ejusque prævaricationem & contumaciam, atque in eandem cum eo sententiam abiisse domnum Antiochenum patriarcham & alios cum eo præsules, stabilitamque eorum calculis hæresim, Dioscorum, eosque qui ab illo essent, damnarunt & perculerunt anathemate. Neque amenti Dioscoro, quod fecerat, satis fuit; quin etiam ad pontificem Romanum misit, postulavitque ut legatos suos, qui in se ausi sunt ferre anathema, communione privaret. Lemma nadharet oukala baba Roumié ela khobt Dioscoros batrak Elaskandarié ou taaddih elbathel, ou ettefáq demnos batrak Anthakié ou ghayro mâo fi tetbit elghalath haramou Dioscoros ou qaoumo ayedan mâo ou lam yektesi elgiahel Dioscoros be amalo hetta arsal ela baba Roumié la yemnâ ou kalah men elqorban ou men kan mahom men agle ma haramouh.* Animadverte qua potestate agerent legati ab Romano pontifice, quaque ratione Dioscorus, qui pudore postea omni excusso in S. Leonem papam insurrexit, tum veritus est in ejus legatos sententiam dicere, ne Christi vicarium pontificem ostenderet. Testantur iidem Annales minime auditum ab S. Leone Dioscorum, imo perculsum anathemate fuisse, & beatum illum papam *Constantinopolim misisse, atque imperasse, ne quis e sacerdotum ordine aut e populo, iis qui Dioscoro faverant, communione jungeretur. Quæ mandata etiam*

An tio-

Antiochiam transmisit. Sajar rost ela medinet el Konstantinié ou amas elkadené ou kafet elschaâb en la yescharekou aahd men aoulayk ou kedalek ela medinet Anthakié. Ecce mandata scribit Romanus pontifex tum Constantinopolitanæ, tum Antiochenæ ecclesiæ. Neque rejiciuntur illa vel a populo, vel a clero, vel ab ipsis patriarchis; sed obsequuntur plane omnes. Adeo constat papam esse vicarium Christi in universo orbe, & sancti Petri christianorum omnium patris & fundamenti ecclesiæ successorem. Addit memoratus Annalium liber ab S. Leone coactum Romæ concilium, tumque illum canones & mandata scripsisse, quæ ad imperatorem Constantinopolim misit, & ab ipso convocari synodum petiit. Ac prout voluit, habita est Chalcedone illa synodus. Synodi hujus quoniam fit a te mentio, inquit *Romanus*, amabo te, ne prætereamus silentio quæ de S. Leone ejusque missa ad concilium Chalcedonense epistola legunt in Synaxario Græci ad diem Februarii XVIII. *Oppressit penitus hæreticorum blasphemias*, (verba sunt Synaxarii) *& quominus propagarentur, impediit, quo tempore Chalcedone habebatur IV. synodus. Tum scripsit, multaque huic synodo tradidit, quibus quæ recta fides esset, edocuit, & futurorum hæreticorum discussit errores. Misit & synodo epistolam, quam sancti Patres omnes susceperunt, habuerunt ut fidei orthodoxæ propugnaculum, professi voces in ea descriptas ab ipso Dei ore promanasse. Quamobrem ea recepta sibi conquiescendum putarunt, securique illius ope ab hæreticis, eos cum valide oppugnarunt, tum fraudes illorum multiplices everterunt.* Hactenus Synaxarion, cujus, quæso, dicta perpendite. Videte qua synodus omnis veneratione papam audiit, ipsique obsecuta est, quæ neque quidquam edixit, nisi ex ejus sententia, neque hæreticos profligavit debellavitque, nisi ex ejus doctrina & autoritate. Sed perge, Ignati: neque enim meum est hodie dicere. Referunt, inquit *Ignatius*, laudati Annales, Felicem papam Romanum, ubi accepit ejectum ab Zenone imperatore e sede Antiochena Lekendiunam, (eo nomine patriarcham legitimum afficiunt, quem vulgo Martyrium alii vocant) damnatumque exilio legitimum antistitem; Petrum vero Cnapheum seu Fullonem in ejus locum invasisse, convoca-

to Romam concilio in perfidum invasorem anathematis fulmen intorsit, eique atque ipsius asseclis communionem catholicam abrogavit. Observa qua cura summus pontifex ecclesiæ Antiochenæ consulat. Nec minore studio Constantinopolitanam fovet. *Hormisdas papa factus de iis certior quæ erant ab Anastasio imperatore & asseclis ejus hæreticis gesta, Constantinopolim legatos misit, collegitque synodum. Eo ipse per se postea accessit, eque sacris dypticbis Acacii, Afronutæ, & Timothei aliorumque nomina erasit, qui partibus Anastasii imperatoris pro hæresi adhæserant. Eratque civitas omnis hæreticis contumacibus referta. Hic quoque pontifex vere maximus Chalcedonensem confirmavit synodum, & jussit in nummis incidi ex parte altera Christi imaginem & Deiparæ virginis; ex altera vero imperatoris effigiem.* Ecce media in Constantinopoli papa jus dicit, quamvis esset civitas hæreticis referta. Denique, ut finem aliquando loquendi faciam, Nicolaus papa, *cum audiit Photium in sedem S. Ignatii hostiliter, contraque fas omne conscendisse, eum ipsiusque asseclas communione abscidit ecclesiæ; exemplumque S. synodi ab se celebratæ Michaeli imperatori & patriarchis omnibus transmisit, ut eos ex ecclesia ejicerent, qui cum Photio communione jungerentur.* Hæc sunt quæ a Græcis proferuntur summæ pontificum Romanorum in ecclesiam Christi omnem autoritatis monumenta. Poteram testes dictorum appellare e sanctis Patribus Græcis non paucos, & scriptores sacrorum Annalium ad unum omnes, Eusebium, Theodoretum, Socratem, Sozomenum, cæterosque vestros. Sed quia liber ille Arabica, qua utimini, lingua scriptus est, eumque ab monacho sacerdote Græco Sophronio Damasci emi, lubentius protuli. Quæ supersunt mihi dicenda, ea tum ex conciliorum oraculis, tum ex rationum momentis deprompta sunt. Sed aliud in tempus sentio differenda. Patiemur, inquit *Nicolaus*, hac te nocte quiescere: at ultra diem crastinum differri tam utilem & eruditum sermonem minime concedemus.



DIALOGUS XI.

Ejusdem argumenti continuatio.

MIRUM est, quantos in religiosorum Græcorum animis motus excitaverint, quæ de Romani pontificis autoritate Ignatius docuit. Cur, inquiebant inter sese, cum hæc ita se habeant, e nostris tam multi non insistunt his majorum vestigiis, & Petri apostolorum principis successoribus debitos honores minime deferunt? An Græci nostri recentiores antiquis illis patribus nostris magis sapiunt? Pro recentioribus stabant aliqui, pugnabantque, postquam ad Græcos Romanum imperium ab Constantino magno translatum est, cœperuntque imperatores Christiani ritu Græco vivere, translatam quoque una ad illos esse B. Petri in regenda ecclesia autoritatem. Affirmabant alii hac usos olim præteritis temporibus Romanos pontifices potestate, sed ea, postquam errarunt, excidisse. Videbatur aliis Græcorum causa potior quam causa Romanorum, cum hi patriarcham a se unum habeant, illi quatuor. Varias eo modo abibant in sententias, cum advenerunt Latini sacerdotes ad datam horam, comite & duce Nicolao. Postquam suo quisque loco assedit, Audivimus, inquit *Nicolaus*, Romanos vestros pontifices nostris olim cura singulari & paterna providisse ecclesiis. At idem fortasse ab Orientali ecclesia profectum est ad Occidentalem vestram beneficium, & patriarchæ nostri, temporibus quoque suis, de vestro judicarunt, & vestros vel deposuerunt vel restituerunt episcopos, expensa illorum post appellationem, ac decisa causa. Annales evolve, reposuit *Ignatius*, autores consule, quotquot ab condita ecclesia libros ediderunt vel catholicorum de numero, vel de grege hæreticorum. Nemo tradidit, nemini scribere venit in mentem, ullum e Romanis pontificibus ad sedis alterius patriarcham appellasse, aut e patriarchis aliquem Romanæ ecclesiæ providisse, cui Christus ipse per se satis providit contra portas inferi, ne prævaleant, cum scribant *Matth. 16.*

Romanus pontifex omnes judicat, ab nemine judicatur.

cuncti Romanam ecclesiam consuluisse cæteris in orbe toto ecclesiis, ac de iis legitima autoritate judicasse. Quo vel uno argumento, qui nulla anticipata opinione laboret, satis videat, Romani esse pontificis jus omnibus dicere, qui Christi ecclesia continentur, cum de religione aliquid statuendum. Sed minime hic opus est in re apertissima veritatem indagare conjecturis. Audiamus ipsa Spiritus sancti oracula, œcumenicas synodos. Sic habet Nicænæ canon VI. *Antiquæ consuetudines robur habeant, quæ in Ægypto, Lybia & Pentapoli, ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem; quia & episcopo, qui est Romæ, hoc est consuetum. Similiter autem & apud Antiochiam & apud cæteras provincias suis primatus serventur ecclesiis.* Canon iste, inquit *Methodius*, nihil favet pontifici Romano, imo suam illi jurisdictionem describit, ut patriarchis aliis. Cum id vehementer negaret Ignatius, contraque Methodius affirmaret; Habemus hic, subjecit *Nicolaus*, exscriptos Arabice conciliorum canones in eo volumine quod *Librum legis* dicimus: operæ pretium erit canonem istum sextum perlegere. Accepit volumen Nicolaus, & ex ipso sic canonem recitavit. *Ou le jaltezem assenat elaouala ellati dazarnaha ou dakarouha elaba elaoualoun leggamii men kan Bemeser ou Loubia ou Bentapolos aáni barka ou eggabal, ou lejatinu eskof Aßkandaria lejakoun lahou ßoltan áalahom kollehom leannahou hakem aala ggamaeethom, men aggel eßkof Roumié aïdan laZem hade claade* * *ou yalteZem lahou aïdan enyakoun meßtaoulian aala kouarha ou ßakéeha ou maoualaha aïdan feen lahou erreiaßa aála eggamaaa ou eggelous faou kehom ou elamr oulkalam faouk erroaßa kollohom, oukadalek aidan leßaheb Antakié en yakoun meßtaoulian aala ßakeehi. Obliget omnes qui sunt in Ægypto & Lybia & Pentapoli, &c. Lex prima, cujus meminimus, memineruntque antiquissimi patres; Obediant Alexandrino episcopo, & ipse in eos omnes autoritatem habeat. Est enim illorum judex: quia & episcopo Romano fuit hoc consuetum,* * *atque necesse quoque est, ut ipse ejus* (Alexandrinæ scilicet ecclesiæ) *regionibus præsit, & locis iis quæ earum sunt ditioni subjecta: quia ipsius est præesse ecclesiæ, & omnibus præsidere & imperare, & sententiam dicere supra omnes antistites. Similiterque Antiochenus patriarcha suæ etiam*

* *Scribe ex vetustiore & emendatiore hac in parte codice Arabico: Lazem lehade elaade.*

* *Vetustior ille codex sic habet:* quia Episcopo hoc consuetum est. *Lean eloskof laZem lehade eláade ou yaltezem lahou aïdan*

ditioni præsit. Vides, inquit *Methodius*, Ignatium compellans, quam parum te hic canon juvet. Imo paria patriarcharum jura videtur facere. Quia enim pontifex Romanus suam habet ditionem, ubi autoritate summa præest; statuit idem quoque juris Alexandrino & Antiocheno patriarchis esse debere. Prius tibi quam respondeam, inquit *Ignatius*, velim abs te scire, an synodus illa Nicæna prout hoc in libro descripta est Arabico idiomate, sic apud vos admittatur, quasi veram religionis christianæ doctrinam complexa, ut ab illius discedere placitis perinde sit, atque ab orthodoxorum cœtu. Sic existimamus, inquit *Methodius*, tantoque habemus librum illum in pretio, ut librum legis illum, non alio nomine vocemus, & multi negent laicis hominibus legere hunc licere: adeo sacer est nobis. Bene est, reposuit *Ignatius*: mihi notus est jam pridem liber ille. Jam mihi canonem Nicænæ illius CCCXVIII. patrum synodi: canonem, inquam, profer XLIV. & recita. *En yundor elbatriak ela kul amren, amalbo, ahad mutharneto aou asaqfeto fi buldanhom ellati ouallouha, feen oueged menha schayan ala khelaf ma yenbeghi felyeghayero ou yamer fih bema yera, leenno hou abou giamiâhom, ou hom benouh, ou ennema elmuthran fi riasceto aleyhom, hou touqirhom ayah, bemanzelet elakh elkebir, elladi yeqaddemouno akoueto ou yougeboun haqqo ou taæto behason siasceto ou kobro ala kul men tahht yedo. fekedalek yekoun lesabbeb Roumié sulthan ala sayer elbatriarchié metl Botros sima kan lo men essulthan ala gamia eltelamid. leen sayedna elmesieh aathah hade elrutbe elgialilé fe yekoun lo sulthan ala giamiâ rouasa elnosranie ou gemaat ahlha leenno hou khalifet elmesieh ala beyato errasoulié ou knayeso elelahyé ou schâoubo errouhanié. fe men khálaf hade elsenné fegemaat elsynodos tehhremo. Inspiciat patriarcha quidquid archiepiscopi & episcopi sui sibi subjectis in regionibus egerint. Et si quid reperiat contra gestum atque oporteat, immutet illud, & præcipiat quod sibi e re esse videbitur. Est enim omnium pater, & illi ejus sunt filii. Archiepiscopus vero ita illis præest, & ab iis ipsi habetur honor, quasi qui frater major est, quem sibi fratres alii anteponunt: atque eidem jus suum debent & obedientiam præstare, quantum exigit ipsius dignitas & regendi munus.* AD HUNC MODUM *qui*

en yakoun mestaoulian ála kouarhi. Et ipse debeteriam ejus (*scilicet Antiocheni*) regionibus præesse. *Ubi nota pontificem Romanum solo episcopi nomine designari, quia centrum est & fons sacerdotalis unitatis & ordinis.*

Romam habet, ea in omnes patriarchas autoritate pollet, qua in discipulos omnes Petrus gaudebat. Dominus enim noster JESUS-CHRISTUS *hac illum gloriosa dignitate donavit. Sit illi imperium in omnes christianæ religionis antistites & populos: successit enim Christo vicarius in administranda apostolica ecclesia, & divinis suis ecclesiis & populis suis spiritualibus. Et quisquis hanc legem infregerit, anathema illi synodus dicit.* Quid dicis tu, o Methodi, inquit *Ignatius?* An paria sunt Pontificis Romani & aliorum patriarcharum jura? An ita canone VI. definitum est? An sextum evertit quadragesimus ille quartus? & eo loci, absit verbo invidia, oblitus est Spiritus sanctus, quod antea decreverat? Mihi crede, non dissentit a se ipso sanctus ille veritatis Spiritus. Belle conveniunt canones illi duo, si vis sextum obscuriorem, quadragesimo quarto diserto & plano interpretari. Erubuit hic valde *Methodius*, & prope abfuit, quin Nicolao abbati propter allatum librum irasceretur. Certe illum oculo torvo tum intuitus, cum siluisset aliquantulum, Perge, inquit, Ignati, & quod habes dicere, palam facito. Canon ille VI. subjecit *Ignatius*, in synodo IV. nemine refragante, ad pontificis Romani autoritatem alia omni superiorem confirmandam adductus est, ubi maxime refragandi tempus & locus erat, ut paria posse haberi secundo saltem loco cum pontifice privilegia, & tribui ab concilio posse, Constantinopolitani probarent. Ergo luculentum est pontificiæ potestatis testimonium. Non esset autem, si illud *(quia & episcopo qui Romæ sedet, hoc est consuetum)* sic intelligas: *Quia & episcopo Romano hoc consuetum est, ut ipse etiam suis in partibus præsit.* Hinc enim Alexandrini & Antiocheni æqualitas, nihil aliud demonstraretur. Deinde nullus subesse potest his verbis sensus qui recte congruat, nisi iste, qui planissimus est. *Horum omnium Alexandrinus habeat potestatem, quia & episcopo Romano hoc est consuetum, ut horum omnium Alexandrinus potestatem habeat.* Est enim vis pronominis, *Hoc*, ut quod proximum est, demonstret. Quasi diceretur: Duas ob rationes Alexandrinus horum omnium habeat potestatem, quia & consuetudines antiquæ servandæ sunt, quia etiam episcopo Romano, (qui, ut loquitur Chal-

cedonensis synodus, omnem primatum habet) consuetum hoc est, ut sinat Alexandrinum jure illo frui. Quod satis intelligitur ex Arabici interpretis versione. Refert Abrahamus Ecchellensis e Libano Maronita in suo de origine nominis papæ libro lectiones canonis hujus varias variarum nationum. Æthiopica plana est, nam istud nostrum, *quia episcopo Romano hoc consuetum est*, vertit, *quia Romanus patriarcha talia sic jubet.* Non multum abscedit, quæ Maronitarum est, *quia*, inquit, *episcopus Romanus huic adhæret consuetudini. Lazam lehadé elaadé.* Vel potius obligat hac consuetudine. Sic enim accipi verbum *lazam*, constat ex canone VI. concilii V. ex minoribus, quod Antiochenæ in ecclesiæ encæniis *yakania* habitum est. Quicunque, inquit, ingressu ecclesiæ prohibitus interdicto episcopi fuerit, nemo illum nisi suus episcopus suscipiat. Si eum autem suus episcopus admiserit, aut si ad synodum, ubi coacta est, veniat, & excuset, & veniam obtestetur, concedatur. Id vero nisi fiat, magis abscindatur. Hæc autem sanctio sacerdotes, unaque laicos pariter obligat, *ou hada elhadd lazem elkahna oueleelmaniin ggamiaan.* Unde dubio procul intelligimus verbum *lazam* reddi Latine posse, & hic debere, obligandi verbo. Accedit quæ Jacobitarum est explanatio, *quia sic consentaneum est episcopo Romæ successori D. Petri, cum & ipse quoque præsit omnibus ejus provinciis.* Non aliter Græca quæ Melchitarum dicitur. *Leennabu hakeda ouegeb le esqof Roumié, khalifel marbotros ou hou musallathan ayedan ala kal beládha.* Sequuntur in eodem Nicænæ synodi canone VI. hæc verba: *Similiter autem & apud Antiochiam*, &c. quasi etiam diceretur: Easdem duas ob causas apud Antiochenam & cæteras provincias suis primatus servetur ecclesiis. Certe ante primam synodum distributas habebant provincias suas Alexandrinus, Antiochenus, aliique antistites ex antiqua, ut refert canon, consuetudine. Dic: A quo? Non a seipsis; non ab synodis. Habebant ab Romano pontifice Petro, qui ecclesiam utramque, Antiochenam scilicet & Alexandrinam, condidit, & variis ad libitum nobilitavit privilegiis. Hoc saltem Alexandrino antistiti tribuit, ut Antiocheno antiquiori præiret. Porro Athanasius vi decretorum Nicænæ synodi

ad Julium I. appellavit. Et editos fuisse in Nicæno concilio canones, quibus data ab Christo pontificibus Romanis autoritas firmaretur, scribit S. Leo epist. 23. ad Theodos. August. in qua asserit, *canonum Nicææ habitorum decreta testari, quam necessario debeant esse irrita pseudosynodi Ephesinæ acta post appellationem sedis apostolicæ ab legatis suis & S. Flaviano interjectam.* Festino de synodis aliis pauca referre. Synodi II. episcopi *se mandato Romani pontificis, vi litterarum ejus convenisse* profitentur apud Theodoret. l. 5. Hist. c. 9. Tertia synodus argumentorum plena est, quibus Romani pontificis in ecclesiam omnem jurisdictio confirmatur 1. parte concil. c. 14. Scribit ad Celestinum papam Cyrillus, *necessario admonendum esse Romanum episcopum de rebus gravioris momenti, ubi maxime fidei rectitudo labefactatur.* Et sub epistolæ finem, *Non prius*, inquit, *ab illius Nestorii communione abstinemus, quam hæc pietati tuæ nota faceremus. Ne igitur dedigneris statuere quod placuerit, & an communicandum cum illo sit, an vero libere ei denuntiandum, neminem communicare cum eo qui ita sentiat & doceat. Tuæ porro pietatis sententia σκοπος per litteras notificanda est reverendissimis Macedoniæ episcopis, & cunctis Orientalibus.* Celestinus Cyrillo pro votis respondit, suaque illum autoritate munivit, ut synodo præesset, ac Nestorium, si contumax obsisteret, sede deponeret. Contumacem prius damnavit synodus, quam pontificii legati, Arcadius, Projectus, & Philippus accederent. Voluerunt palam sibi fieri, quæ fuerant decreta, ut si legitima essent, ea approbarent. Ita factum est. Idem minime concessum Joanni Antiocheno, & aliis Asiæ episcopis. Philippus diaconus quid dixerit, commemoravimus superiore loco. Pronuntiavit Petri autoritatem in Romano pontifice perseverare. Admiserunt omnes, ab nemine inficias itum est. Quarta synodus quæ, ut ait Marcianus imperator, S. Leone autore coacta est; quarta, inquam, synodus in sua ad Leonem papam epistola, hoc maximum in Dioscoro hæretico blasphemo, adultero, incendiario, homicida, scelus agnoscit, quod in ipsum, *cui vineæ custodia demandata est a salvatore, furorem extendit*, nempe in S. Leonem, cui ausus est anathema dicere. Hæc deinde addit:

Plane

Plane scientes apostolicum in vobis quidem radium, sæpe vero ad Constantinopolitanam quoque ecclesiam more vestro curam gerentes, illum sparsisse, eo quod consueveritis bonorum vestrorum participatione vobis conjunctos abunde ditare. Et infra: *Agnoscentes omne egregium natorum factum recurrere ad proprios parentes. Rogamus ergo decreto tuo nostrum honora judicium, & sicut nos* CAPITI *consensum præbuimus in re præclara, ita &* VERTEX *adimpleat* FILIIS *quod præclarum est.* Animadvertisti ecclesiam omnem in œcumenica synodo agnoscere summum pontificem Romanum ut caput suum, suumque patrem. Propero. In hac celeberrima synodo DCXXX. patrum act. I. *Paschasinus episcopus papæ vicarius, cum stetisset in medio cum collegis suis dixit: Beatissimi atque apostolici Romæ episcopi mandata habemus, quibus præcipere dignatus est, ut Dioscorus non sedeat in concilio: quod si tentaverit, ejiciatur.* Et rationem postea reddit: *Quia personam judicis arripuit, quam non habebat, & celebrare synodum ausus est, sine impetrata facultate a sede apostolica, quod nunquam factum est, nec fieri licet.* Et cum Ægyptii præsules nollent Theodoretum admitti, senatores dixerunt: *Ingrediatur & reverendus Theodoretus, quoniam illi Leo sanctissimus archiepiscopus restituit episcopatum.* Deus bone! exclamavit hic *Nicolaus*, quantum patres illi nostri Romano papæ deferebant obedientiæ & honoris! Præcipit papa ne admittatur tantus patriarcha, quantus erat Alexandrinus, & synodo præcipit œcumenicæ, & œcumenica synodus, id est, ecclesia tota obsequitur! Nolunt recipi Theodoretum: ubi audiunt ab papa suum illi in Oriente restitutum episcopatum, nihil morantur, ipsum admittunt. Fatentur sine facultate papæ synodum haberi legitimam non posse: papam vocant caput suum & patrem. Quid posset ab Romanis ipsis majus, honorificentiusve excogitari & dici? & erat synodus illa DCXXX. patrum! Et aderant non Orientales modo antistites, sed augustus ipse Marcianus & augusta Pulcheria, & imperii principes nationis suæ & dignitatis amantissimi, ut contenderint Constantinopolitano episcopo privilegia in Oriente paria Romani papæ juribus ab pontifice summo S. Leone impetrare! Sed perge, Ignati. Ante synodi V. convocationem plures ex Oriente provinciæ apud Felicem pa-

pam de Petro Antiocheno datis litteris conquesti sunt, postularuntque, ut ejus exscinderet hæreses. Testatur hoc ipse Felix in epistola sua ad Petrum illum Antiochenum patriarcham. Quinta vero illa synodus cum non haberet in condemnatione trium capitulorum, quæ erant Theodori Mopsuesteni, Theodoreti, & Ibæ scripta quædam, consentientem Vigilium papam, non ausa est quidquam, quemadmodum fieri solet erga patriarchas alios, contra ipsum pronuntiare. Nec legitimæ autoritatem synodi prius habuit, quam a Romana sede rebus bene exploratis est probata. Quia, ut recte docet synodus VII. *lex synodorum est, ut Romanum pontificem cooperatorem habeant.* Quomodo, inquit act. 6. sit magna & generalis Iconomachorum synodus, quæ non habuit cooperantem illius temporis papam, vel sacerdotes ejus, neque per legatos, neque per encyclicam epistolam, *ut postulat lex conciliorum?* Hæc ubi unquam de cæteris patriarchis dicta? In III. synodo nulla habita est Constantinopolitani & Antiocheni ratio: valuit vel invitis ipsis: e IV. ejectus est Alexandrinus, atque e VI. Antiochenus expulsus. Sexta ista synodus in Prosphonetico ad Constantinum imperatorem testatur synodos œcumenicas, quas omnes enumerat, fuisse autoritate pontificis Romani congregatas. Scribit Constantinus imperator in epistola ad Leonem papam in hæc verba: *Christi oves in unum gregem redegimus, quæ ab uno & solo pastore bono pascantur, quocum & vos pascere jussi estis, & animam pro ovibus ponere........ Ergo viriliter age, & confortare & accingere verbi gladio, & firmus pietatis sta propugnator, omnemque hæreticum auditum atque doctrinam præcidere stude, sicut & Petrus olim Judaici auditus sensorium gladio percutiens abstulit. Attolle securim spiritus, & omnem arborem ferentem fructus hæreseos, vel institutionibus transplanta, vel canonicis pœnis exscinde, & igni futuræ gehennæ transmitte....... Hortamur porro vestram serenissimam summitatem, ut quamprimum mittat, quem designare solet apocrisarium, ut is in regia & a Deo conservata nostra urbe degat, & in emergentibus sive dogmaticis, sive canonicis, ac prorsus in omnibus ecclesiasticis negotiis vestræ sanctitatis personam referat.* Commemoravimus in superiore colloquio quam

pie atque ex animo hæc ſancta ſynodus Agathonis papæ litteras dignitatis atque autoritatis pontificiæ teſtes exceperit. Septima denique ſynodus, ne plura accumulem, teſtatur, *non eſſe ſynodum, eam, cui non cooperetur Romanus pontifex.* Taraſius Conſtantinopolitanus patriarcha papam ſcribit *oculum eſſe eccleſiæ, qui toti corpori rectam veritatis viam oſtendat.* Hadrianus papa act. 2. in ſuis ad imperatorem litteris ait, *longa prævalente inſtantia, tandem autoritate ſedis apoſtolicæ, Conſtantinopolitanam habuiſſe, ut eſſet ſecunda.* Lecta eſt item ejuſdem papæ in eadem act. epiſtola ſynodica ad Taraſium, in qua exponitur etiam ſummi pontificis autoritas, & docetur, *Romanam eccleſiam caput eſſe eccleſiarum omnium.* Quæ cum eſſet perlecta, Petrus & Petrus locum tenentes ſanctiſſimi papæ veteris Romæ Hadriani dixerunt: *Dicat nobis Taraſius patriarcha regiæ urbis: Conſentit-ne litteris ſanctiſſimi papæ, an minus? Taraſius patriarcha reſpondit: Nos patrum præceptis imbuti ſic confeſſi ſumus & confitemur, concordamus, & vim litterarum lectarum confirmamus*, &c. De iiſdem litteris: *Sancta ſynodus reſpondit: Sequimur, & probamus.* Quæro jam: An religione Græcus orthodoxus eſt, qui cum ſanctiſſimis illis patribus non exclamat: *Sequimur, recipimus, & probamus.* Si qui tum rerum ſtatus erat, inquit *de turba unus*, nunc idem perſeverat, nemo noſtrum eſt, qui ſtatim pariter non exclamet: ſed forte prohibet aliquid, de quo ſciſcitabimur, cum rationum momenta protuleris, quibus te pontificis demonſtraturum autoritatem pollicitus es. Venio igitur, repoſuit *Ignatius*, ad rationum pondera, & ad pondus ſanctuarii exigam omnia: ſingula enim e divinarum ſcripturarum deducam ſententiis. Ac primum, hoc conſtat, eccleſiam ab Chriſto, corporis unius adinſtar, conſtitutam eſſe. Corporis autem unius, niſi monſtrum eſt, unum eſt caput. Dic, amabo, quiſnam in eccleſia caput illud eſt. Eccleſiæ caput, inquit *Methodius*, nullum novimus, niſi Chriſtum. Ergo, repoſuit *Ignatius*, eccleſia tibi monſtrum eſt, corpus ſcilicet aſpectabile ſub inviſibili capite. Sed quod non noſti, noverunt patres veſtri modo laudati in Epheſina maxime & Chalcedonenſi ſynodis, ut ex allatis antea teſtimoniis liquet: noverunt & qui libros veſtros eccleſiaſticos cori-

Neceſſe eſt totius eccleſiæ aſpectabilis aſpectabile caput unum eſſe.

cinnarunt, ubi sæpe discipulorum caput Petrus dicitur: novit Paulus 1. Cor. c. 11. qui postquam Christi ecclesiam corpus esse unum docuit, mutuam membrorum omnium inter sese consensionem ac dependentiam exponens, qui in illo ecclesiæ corpore caput est, cum scribit pedibus dicere non posse: *Opera vestra non indigeo.* Certe caput illud Christus esse non potest, cum possit pedibus, id est, christianorum minimis dicere; *Opera vestra non indigeo.* Quæro: Si quis Antiochenum patriarcham ecclesiæ caput appellet; num vere illum appellat? Si ita est, inquit *junior nescioquis Græcus monachus*, ecclesiam ipse tu monstrum facis capite multiplici. Tot enim erunt capita, quot patriarchæ & antistites. Membra corporis singula, reposuit *Ignatius*, si seorsim illa spectas, suo capite prædita sunt, id est, parte aliqua prima & superiore. Sic enim brachii caput pars illa dicitur, quæ proxime collum attingit. At si in toto ista corpore conjunctim aspicis, rationem amittunt capitis, quia desinunt esse pars prima & superior: sed tum capitis nomen obtinet membrum illud, quod toti corpori cum emineat, in ejus partes omnes vitæ spiritum influit. Sic in ecclesia Christi, si privatas seorsim ecclesias consideres, patriarcha quilibet, & quivis antistes caput ecclesiæ suæ est: at si ecclesiam in genere omnem complecteris, caput ejus aspectabile unum est Petrus, seu Petri successor. Neque hac responsione, opposuit *monachus ille junior*, potes evadere. Ecclesiæ enim corpus saltem biceps facis. Caput scilicet ecclesiæ Christus est, &, ut videtur tibi, caput etiam est Petri successor. Visibilis ecclesiæ, reposuit *Ignatius*, visibile caput unum est Petrus, seu potius Christus in Petro, vel Petri successore. Est enim Petrus vicarium duntaxat caput. Quare si nomen illud strictissima significatione usurpes, caputque appelles, quod per se & quasi ex natura rei tale est, Christus unus caput est ecclesiæ suæ. Quod si loqui placet cum Paulo apostolo & sanctis patribus, caputque appellas, quod in re sic primum est atque eminet, ut habeat sibi subjecta alia, quæ secum connexa sunt, eaque regat, merito jureque Petrus, vel ejus successor ecclesiæ caput dicitur, quia ejus est ecclesiam Christi, quanta est, in orbe terrarum totam inspicere, cura-

re, dirigere; ut mox librorum vestrorum, Patrumque ac conciliorum testimoniis demonstrabam. Atque ut hoc tibi exemplo facili persuadeam, non nescis in sacro codice ecclesiam, quæ Christi sanctissima & purissima sponsa est, bene ordinati similitudine exercitus describi. Quod si igitur ponamus, multos esse v. g. duces in exercitu aliquo uno, eosque quatuor præfectis seu tribunis castrorum subditos, & tribunos illos viziro seu principi, qui toti exercitui imperat, parere; ecclesiam exemplo absolutissimo adumbrabimus. Nempe etsi exercitus totus regis est, ejusque caput rex ipse est, nihilo tamen secius vizirum absente rege exercitus imperatorem & caput dicimus. Regem enim persona sua refert. Exercitus autem cum quatuor in partes divisus sit, uniuscujusque partis sibi subjectæ tribunus dicitur caput. Ac partium illarum quatuor cum sit distributa quælibet varias in turmas & phalanges, quibus duces minores præsunt, uniuscujusque turmæ qui dux est, ejusdem habetur & appellatur etiam caput. Hic tamen exercitus, ubi tot capita censentur, unus est sub uno capite & principe viziro, quocum collati alii, non jam capita, sed membra sunt. Ad hunc ferme modum ecclesia sancta una est & unus exercitus. Caput ejus proprio nomine, & potissimo jure Christus est. At quia minime jam adest aspectabili forma, nomen capitis ei addixit, quem sui vicarium præsidem in ecclesia constituit. Patriarchas sacri hujus exercitus principes tribunos merito dixeris, episcopos vero turmarum minorum duces. Singulis convenit capitis nomen, sed cum primo aspectabili capite, quocum ecclesiæ constant corpus, compositi, totam in illud capitis rationem a se refundunt, suntque sub illo sanctissimi hujus corporis partes primariæ. Sic ecclesia ovile unum est, & unus ovilis hujus est pastor, teste ipso Christo. An quia pastor ille unus, Christus est, non sunt in ecclesia pastores alii? Multos tamen memorat Paulus Eph. 4. 11. Et Christus ipse sui loco Petrum agnorum suorum & ovium creavit pastorem. Quemadmodum igitur pastor ecclesiæ suæ, sic Christus unus est, ut tamen ejusdem pastor sit Petrus vicaria dignitate; Petrus pariter vices Christi gerens in ecclesia, ecclesiæ caput est, quamvis caput ecclesiæ unum sit Christus.

Ecclesiæ totius pastor unus est.

Denique ne litem moveamus in verbo: cum Patres, cum concilia, cum Græci, cum Latini Petrum, vel ejus successorem caput ecclesiæ dicunt, hoc unum significant, in pastoribus ovilis christiani Petrum esse principem, πρωθυπαρχην, ejusque esse seu successoris ipsius totum ubique corpus ecclesiæ, fratrum suorum, id est, patriarcharum aliorumque antistitum adhibita opera regere. Hoc igitur aio, hanc Petri & successorum ejus autoritatem qua caput ecclesiæ sunt, qui rescindit eum mysticum illud sanctissimumque corpus suo capite minuere, efficereque ecclesiam corpus visibile, sine visibili capite. Intelleximus, inquit *Nicolaus*: jam perge. Deinde, subjecit *Ignatius*, primatum hunc & autoritatem qui rejicit, nescio an ullam relinquat conservandæ in fide unitatis viam. Ad hoc enim necesse est præfici cum summa potestate unum aliquem, quem omnes audire teneantur. Id vero ut palam fiat, ponamus inter Alexandrinum & Constantinopolitanum patriarchas dissensionem in fide evenisse, uti re vera incidit S. Flavianum inter & impurum Dioscorum. Si contendimus neminem esse in ecclesia cæterorum caput & judicem, qua dignosci ratione poterit autor nefarii dogmatis ab eo qui fidem rectam profitetur? Quæ ratio erit ineundæ concordiæ? Scribet, inquit *Nicolaus*, scribet contra Dioscorum Flavianus, & execrandam ejus opinionem petitis ex evangelio testimoniis profligabit, & si opus est, coget synodum, & Dioscorum damnabit. Verum, reposuit *Ignatius*, scribet etiam contra Flavianum Dioscorus, & illum evangelicis verbis ad suam mentem detortis sic oppugnabit, ut sibi vincere videatur, collecta quoque suorum synodo gravem dicet in Flavianum sententiam. Fateor, inquit *Nicolaus*, privatis illis synodis, & scriptis nihil fiet. Sed uterque unam in synodum cum cæteris patriarchis, Antiocheno scilicet atque Hierosolymitano, conveniet, & ex plurium consensu veritas apparebit. Sic olim gestum est, respondit *Ignatius*, & apparuit non veritas, sed falsitas, vicitque error. Convenerunt Ephesum quatuor illi patriarchæ, Dioscorus Alexandrinus, S. Flavianus Constantinopolitanus, Domnus Antiochenus, Juvenalis Hierosolymitanus, & patres cum iis CCCC. Patriarchæ illi

Ecclesia esse una non potest, nisi uno capite constituto.

omnes, S. Flaviano excepto, patres illi cccc. ferme omnes assensi sunt Dioscoro, definieruntque contra Christi fidem, naturam esse in Christo duntaxat unam. Quid factum esset, nisi Leo magnus Petri successor sua, qua pollet in ecclesiam omnem, autoritate usus, latrocinantium rescidisset synodum, damnatoque Dioscoro, quid sentiendum esset de duplici Christi natura, divina scilicet & humana, tum per se, tum per œcumenicum quod Chalcedonem indixit concilium, docuisset. Adde, inquit *Romanus*, si ad continendam in singulis orbis partibus christianos inter concordiam, necesse fuit institui patriarchas, quibus subessent archiepiscopi, cæterique cum sua plebe antistites, ad quos jus appellandi esset omnibus, quorum audire mandata tenerentur omnes; desiderari pari, imo potiori ratione in ecclesia tota unum qui amore paterno & summa autoritate omnes complexus, abscindi ab sese invicem patriarchas, eorumque ecclesias minime pateretur. Tertio, ait *Ignatius*, qui primatum Petri & autoritatem quam ab Christo in omnes christianos accepit, ait desiisse, is eam quam Christus instituit, ecclesiam desiisse pariter, necesse est ut affirmet, eandemque neget nunc esse apostolicam. Quam enim Christus condidit ecclesiam, totam voluit esse sub unius regimine, qui pastor esset omnium quos Christi grex comprehenderet. Atque is fuit ecclesiæ status non apostolorum modo ætate, sed consecutis postea temporibus, ut innumeris demonstravimus Patrum, conciliorum, & Annalium testimoniis. Ecclesia porro Christi si desiit, jam christiani non sumus, & mentimur quoties ecclesiam, in qua versamur, dicimus apostolicam. Quarto, quicunque debitam Petro, ipsiusque successoribus obedientiam excussit, seque ab ea subduxit, se quoque subduxit ab Christi grege. Christus enim Petrum constituit gregi suo pastorem, cum ait, *Pasce agnos meos, pasce oves meas*. Quare quem non pascit Petrus, is Christi de grege nequaquam est. Quinto, Christus ecclesiam (qui ipsius est in illam amor) sic instruxit necessariis rebus, ut nihil deesse voluerit, quod ad sui conservationem merito exigeret. Ad hanc autem illius conservationem ipso apostolorum tempore, necesse esse Christus existimavit, ut eccle-

siæ suæ pastorem unum, qui orbi præesset universo, constitueret; quamvis ætate illa christiani pauci essent, & omnes fere ab apostolis exculti, & virtute miraculorum præditi, & visibili Spiritus sancti illapsu corroborati in fide. Si hoc tum necesse, quanto nunc magis, cum christiani numero innumero jam existant, deferbuerit fidei ardor, & prodierint hæretici multi subdoli & nefarii, qui opera omni depravant fidem: quanto, inquam, nunc magis est necesse, ut existat pastor unus, quem audire ecclesia tota debeat? Non desunt, inquit, *Methodius*, christianis sui patriarchæ & episcopi, ab quibus pascantur. Neque deerant, reposuit *Ignatius*, primis ecclesiæ temporibus apostoli, patriarchis & episcopis merito, virtute, & gradu ipso superiores: at exigebat tamen tum temporis ecclesia pastorem unum, qui ejus utilitates curaret. Quid tot, ait hic *Romanus*, persequeris argumenta? Nobis christianis Christi & Patrum autoritas omni ratione potior est: &, cum in suis Græci libris toties observent Romanum pontificem universam ecclesiam administrare, & omnes illi parere christianos, atque ipsos etiam patriarchas; haud scio an gratus accidat reverendis illis patribus tuus hic prolixior sermo, quasi ipsi rem certissimam vocent in dubium, tuque illos ad patrum suorum revocare fidem pertendas. Erat, inquit *ex assidentibus Græcis unus*, erat Romani pontificis imperare, & toti præesse ecclesiæ, cum Romani imperii moderator sedem habebat Romæ: sed postquam in Orientem translatum est a Constantino magno imperium, huc quoque, ut ita loquar, religionis advolutum imperium est. Arrisit *Ignatius*, &, Video, inquit, eorum te oblitum quæ in legendis ecclesiæ Annalibus didicisti, nec satis ad ea quæ retulimus ex Græcorum libris, attendisse. Non modo enim religionis imperium cum imperio mundi Constantinopolim non transtulit Constantinus: sed ideo sedem mundani imperii illo transvexit, ne ubi imperabat in suo vicario Romano pontifice, & religionis negotia moderabatur Christus Dominus, ibi mundi ipse imperium Christi famulus teneret. Petat hoc ex Constantini rescripto, quo Romam & adjacentes regiones pontificibus Romanis cum corona sua & purpura legavit. Deinde post translatum

Qui negat Petri seu pontificis Romani primatum, is ecclesiam destruit.

Sedes apostolica non est cum imperio Constantinopolim translata.

Constan-

Constantinopolim imperium, aut potius imperii Romani solium nunquam habere in universas Christi ecclesias autoritatem Constantinopolitani antistites præ se tulerunt, imo nec Constantini ætate in patriarcharum numero habiti sunt. Autoritatem hanc œcumenicam semper habuisse & habere se Romani pontifices verbis factisque ostenderunt, eamque reveriti sunt patriarchæ omnes, & Constantinopolitanus maxime. Athanasius magnus Alexandrinæ ecclesiæ patriarcha cum cæteris Ægypti patriarchis in ea quam omnium nomine dedit ad Romanum papam epistola, *dominum illum* appellat *apostolici verticis & throni, & totius ecclesiæ papam, & Romanam ecclesiam profitetur omnium mundi ecclesiarum matrem & caput.* Vide Theodoretum & Socratem Græcos, & utrumque lib. 2. Singularem Cyrilli Alexandrini erga Romanum pontificem observantiam declaravimus superius. Joannis Chrysostomi Constantinopolitani patriarchæ ab tumultuaria synodo damnati ad Innocentium papam appellationem, & vibratum ab eodem Innocentio in imperatorem Arcadium ejusque asseclas anathema, & concessam pœnitenti principi ab ipso veniam nemo nescit. Depositos ab Romanis pontificibus pro merito criminum patriarchas, & restitutos alios probata innocentia tum Annalium referunt scriptores, tum Græci in officio suo ecclesiastico recitant; idque post translatam & positam in Oriente sedem imperii. Præterea quis audiit unquam, & ubi ab Christo vel Patribus dictum est, ecclesiæ statum ab imperiorum pendere fluxa & volubili fortuna, ut mutetur mutato imperio? Denique si ibi est religionis imperium, ubi Romanus imperator christianus dominatur, certe is jam apud Latinos regnat. Sed apage puerulorum ineptissima illa dicta, & imperitorum nihil sapientium somnia. Hoc nobis est satis, post translatam imperii Romani sedem, celebrata esse in Oriente concilia plura, quorum e testimoniis nuper allatis patet ab ecclesia universa pontificem Romanum habitum esse christianorum omnium *patrem* & *pastorem*. Id nominis & potestatis, inquit *monachus quidam senior*, tum dabant gratuito pontificibus Romanis concilia, id est, communi consensu christiani omnes: atque adeo quidquid id est autoritatis, non

Vide Matth. Kigalam in suo τῆς συνό-ψη διαφόρων ἱστοριῶν συγγ.

Iure divino Romanus pontifex ecclesiam universam regit.

alio quam humano jure ipsis cum sit concessum, mutari potuit & aboleri. Qua in synodo, quæsivit *Ignatius*, quo tempore, quave de causa jus illud mutatum & abolitum est? Quin imo ipso decursu temporis magis ac magis corroboratum & firmatum est. At minime id habent Romani pontifices Petri successores humano jure: habent Christi ipsius ore, agnos suos ovesque Petro concedentis, postquam illi claves regni cælorum tradidit, & petram illum instituit, in qua suæ fundamentum ecclesiæ poneret, quamque labefactare & evertere vis nulla posset, vel inferorum. Quod si Petrus id ab Christo juris obtinuit, obtinent & successores. Successoris enim & antecessoris causa una est & eadem. Num audiebas modo e litteris Hadriani papæ, quas recepit septima synodus, Petri apostolorum principis autoritatem *divino jussu* in successores ipsius derivatam? Num audiebas quartam synodum profitentem, *vineæ*, id est, ecclesiæ *Christi custodiam Leoni papæ a salvatore demandatam?* Num audiebas in sexta *Petrum per Agathonem loqui*, id est, quod accepit autoritatis ab Christo Petrus, in Agathone esse: eoque sensu dici in tertia *Petrum in suis successoribus vivere & judicare?* Audi e Patribus omnium instar, unum Athanasium in sua ad Felicem II. pontificem summum epistola. *Novimus*, inquit, *in magna Nicæna synodo voce una unaque sententia episcopos* CCCXVIII. *decrevisse, ut si quis episcopus accusatus suspicatur metropolitam suum, aut ecclesiasticos alios judices suos, adverso erga se animo affici, possit tum appellare ad Romanam Petri sedem æquitatis plenissimam, cui Dominus ligandi atque solvendi potestatem, cum nomine proprio & præcellenti prærogativa supra alias tradidit. Iste enim thronus ab Deo firmatus soliditatem accepit immobilem. Quandoquidem Dominus noster Christus* JESUS *apostolicam tuam sedem delegit, ut dignitatum omnium exemplar splendidissimum & formam. Iste thronus tuus sacer ille apex est, ad quem volvuntur omnes ecclesiæ, ab quo nutriuntur & confirmantur omnes. Et quemadmodum in Christum christiani omnes, sic Petrus in petram, id est, Christum, & in te Petri omnes ecclesiæ de integro recumbunt. Quia vere, ut testatur scriptura, tu es Petrus, & in hoc tuo fundamento constructæ sunt & solidatæ columnæ ecclesiæ, id est, anti-*

ſtites, qui neceſſe habent firmare & humeris ſuis ſuſtinere eccleſiam. Tibi ſuas dedit claves regni cælorum, ut cum autoritate ſolvas quæ ſunt ſuper terram. Tu es everſor impiarum hæreſum & omnium adverſantium profligator, ut coryphæus, qui magiſter es & caput omnium, & quaſi fons orthodoxæ & puriſſimæ doctrinæ. Vides quemadmodum agnovit Athanaſius pontificis Romani autoritatem a Deo eſſe, quod & ſynodi œcumenicæ ſunt profeſſæ. Ut ſit a Deo autoritas illa, inquit *monachus ille ſenior*, num deperdi poteſt, ſi peccent in fide Romani pontifices? Sit ita, repoſuit *Ignatius*: ſi quis eorum ita peccet, autoritate illa decidat: ſed qui in ejus ſuccedet locum orthodoxus, eam a Deo accipiet. Ex eoque id patet, quod in qualibet patriarcharum ſede plurimos fuiſſe & periiſſe hæreticos conſtet; unde, credo, non efficis patriarchas omnes etiam catholicos omni jam carere autoritate. At cum erraverint in fide multi & Conſtantinopolitanorum & Alexandrinorum & Antiochenorum & Hieroſolymitanorum, nullus Romanorum pontificum unquam erravit. Nempe pro Petro, qui in ſuis ſucceſſoribus vivit & judicat, ut habet ſynodus III. Chriſtus oravit, ut non deficeret fides ejus; cui propterea præcepit, ut fratres ſuos confirmaret. Quamobrem ſic Petrum in Menæo compellatis ad XVI. Januarii, qui dies ejus vinculis feſtus eſt: *νόμους τοῦ Χριστοῦ ἐκράτυνας, καὶ παρανομοῦντας τὴν εὐνομίαν ἐδίδαξας ἀποστόλων ὡς κορυφαῖος, ὡς δογμάτων βάσις ἄσειστος. Leges Chriſti confirmaſti, & legum tranſgreſſores rectam eorum conſtitutionem obſervantiamque docuiſti, ut qui apoſtolorum coryphæus es, & dogmatum fidei immobile fundamentum.* Item de Petri ſucceſſoribus concinunt. De S. Sylveſtro ad II. Januarii: *ὡς θεῖος κορυφαῖος ἱερῶν πατέρων, τὸ ἱερώτατον δόγμα ἐκράτυνας αἱρετικῶν ἀποῤῥήξας ἄθεα δόγματα. Sacratiſſimum confirmaſti dogma, hæreticorum dogmata divinitatem evertentia reſcindens, quippe qui divinus ſanctorum Patrum princeps eras coryphæus.* Adverte, ex eo quod Petrus & Sylveſter coryphæi, hoc illis tribui proprium, ut hæreſes evertant. Non everterent autem, ſi eas vel ſuſcipere poſſent, vel docere. Sic ad XVIII. Februarii de S. Leone: *στῦλε ὀρθοδοξίας τῇ τοῦ Χριστοῦ, πάνσοφε Λέον, ἐκκλησίᾳ προθύμως φέρων ἀνέστησας,*

Nemo pontificum Romanorum erravit in fide.

λῶπερ κατέχουσα αἱρετικῶν τὰς ἀθέους διαλύει φάλαγγας καὶ τὰ συστήματα. *Columnam fidei orthodoxæ, sapientissime Leo, impigre ac strenue ecclesiæ excitasti, quam illa amplexa, impias hæreticorum turbas & exercitus solvit ac dissipat.* Et ad XIII. April. de S. Martino papa: τί σε νῦν, Μαρτῖνε, προσφθέγξομαι; ὀρθοδόξων διδαχῶν καθηγητὴν πανευκλεῆ, κορυφαῖον ἱερῶν δογμάτων θείων, ἀψευδῶς τοῦ ψεύδους ἀληθέστατον κατήγορον. *Quo te nunc nomine, o Martine, appellabo? Doctrinæ orthodoxæ magistrum, & moderatorem gloriosum, sacrum divinorum dogmatum coryphæum, mendacii verissimum sine errore condemnatorem.* Coryphæus autem, ut vim nominis advertas, is est, teste Aristotele libro de mundo, *cui dicenti omnes ut principi concinunt.* καθάπερ ἐν χορῷ κορυφαίου κατάρξαντος συνεπηχεῖ πᾶς ὁ χορός. Quid ergo, inquit *Methodius*, sexta synodus Honorium papam hæreticis annumerat? Legitur, reposuit *Ignatius*, cum hæreticis enumeratus Honorius, non nego. Nego enumeratum ab sancta synodo. Si enim hæreticus fuisset Honorius, eoque nomine damnatus, quomodo in hac ipsa synodo Agatho pontifex Romanus in ea epistola, quem susceperunt sanctissimi Patres, assereret, 1. *apostolicam Christi ecclesiam per Dei gratiam a tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse, vel hæreticis novitatibus depravatam succubuisse? Quia dictum est Petro: Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* 2. Quomodo scriberet, *prædecessores suos dominicis doctrinis instructos (ex quo novitatem hæreticam in Christi immaculatam ecclesiam Constantinopolitanæ ecclesiæ præsules introducere conabantur) nunquam neglexisse eos hortari, atque obsecrando commonere, ut a pravi dogmatis errore hæretico, saltem tacendo desisterent?* 3. Quomodo in hac ipsa synodo Constantinus Pogonatus in suo ad Leonem II. qui Agathoni successit, rescripto, *Gloria, inquit, gloriosa facienti Deo, qui fidem apud vos conservavit indepravatam,* ἀπαρεγχείρητον? *quomodo enim id facturus non erat in ea petra, super quam ipse fundavit ecclesiam, & portis inferi, id est, hæreticorum insidiis nunquam succubituram prædixit, ex qua tanquam e cælorum convexis sermo veræ confessionis effulsit?* Itane dicere in hac synodo imperator potuisset, fidem in Romanis pontificibus,

Honorius pontifex nec hæreticus fuit, nec hæreticis ab VI. synodo annumeratus.

& apostolica cathedra Dei singulari munere perseverasse indepravatam, si depravatam in Honorio fuisse sacra synodus dixisset? 4. Si hæreticus fuisset Honorius, & ab synodo damnatus, esset certe ab aliquo istius ævi scriptore hoc traditum. Nullus autem scripsit; ne Photius quidem, qui in suo de septem œcumenicis synodis libro, cum sextæ mentionem facit, meminit Cyri, Sergii, Pyrrhi, Pauli & Petri; ac de Honorio nihil notat, quem minime prætermisisset appellare, si appellandi vel minima causa extitisset. 5. denique, quis credat synodum sanctissimam contra jus omne peccasse? Peccasset enim, si Honorium damnasset, non absentem modo, sed mortuum, auditis quæ recitatæ sunt, catholicissimis ejus litteris, nulla præterea habita quæstione. Unde ergo, ait *Methodius*, in synodi acta irrepsit? Quid mirum, reposuit *Ignatius*, hæreticos aliquos Honorii nomen inseruisse actis synodi? Neque enim novum illud & inauditum in Oriente. Testatur Athanasius magnus in secunda sua ad Felicem papam epistola, corruptos Nicænæ synodi canones, qui de Romani pontificis autoritate erant conscripti. Et Gregorius, quem Dialogum dicitis, papa ille nobis vobisque ter maximus, l. 6. ep. 31. quam dedit ad Eulogium Alexandrinum, & Athanasium Antiochenum, scribit, non omnes synodi II. canones ab ecclesia recipi, quia dubio procul depravationem passi sunt. Gregorius idem lib. 5. ep. 14. ad Narsetem Constantinopolitanæ civitatis exarcham, ab Constantinopolitanis corruptam fuisse monet Chalcedonensem synodum. Et in illa ipsa VI. synodo, quam essent tunc temporis ad scripta sacratiora adulteranda prompti nefarii homines, valde patuit. Protulerunt enim Monothelitæ libros duos Vigilii papæ, & Menæ patriarchæ, quasi sanctissimi illi viri actionem in Christo unam agnoscerent. Hactenus audieram, inquit *Nicolaus*, Monothelitis adhæsisse Honorium. Et legere etiam potuisti, ait *Ignatius*, nunquam adhæsisse, idque tum in S. Maximi dialogo contra Pyrrhum, ubi eximius ille martyr Honorio ætate suppar, qui eum allocutus est, qui fuerat Honorio a secretis, ut testatur Theoph. Isaur. Hist. Græc. calumniam illam vehementer confutat, ante ipsa synodi VI. tempora; tum in Joannis

Qua ratione Honorii nomen in acta synodi VI. inter hæreticorum nomina immissum.

papæ IV. qui tertius ab illo pontificatum gessit, litteris ad Constantium imper. datis, quas non tantum habes in Collectaneis Anastasii, sed etiam in ecclesiasticis scriptorum Arabum Annalibus, & in hoc quem ibi servatis, Legis libro, ubi litteræ istæ vocantur apostolicæ: *Ou en Youhanna elqaddis katab schifé fischán hada elschek, ou ma kánet aleih men elmutqaddemin, ou yegib an elmetouaffi beleudre, ou hou Aonorius elbatriark, ou ansadha ela elmalek bel Konstantinié. Joannes Romanus patriarcha epistolam scripsit de hac controversia & veterum sententia, respondetque pro antecessore suo Honorio patriarcha, ipsumque allata excusatione purgat*, docetque id tantum ab Honorio traditum non fuisse in humanitate Christi voluntates illas duas, carnis & spiritus, repugnantes, quarum sub lucta nos gemimus: etsi in eo duæ essent aliæ, humanitatis scilicet, altera divinitatis. Certe extant in synodi VI. actis epistolæ Honorii duæ, quibus unam in Christo voluntatem, & operationem unam dici prohibet. Quin vester ille Legis liber, etsi scriptum, docet Honorium cum hæreticis aliis, *quod judicio suo peccaverit, seque illis accommodaverit*; non audet tamen dicere hæreticum fuisse Honorium: verum ea quæ est ab synodo probata sententia, significari dumtaxat *rectæ administrationis in ipso defectum.* Reque vera rem gessit non satis strenue. Nimium enim verebatur sectæ utriusque asseclis displicere & facessere molestiam. Audi. *Giamâ elsynodos elsâdes, fenadarou fi megiaouret Sofronios le Kouros fa essesaou abou ha ayedan, ou raou en ha hi elhaq feqadaou beha aleyh ou aougiabou hermo ou qathâou, ou en elhadaya lemma sáret men Kouros ela Sergios, taasab mâo ou katabou Aounorios batriark Roumié leenno kan asa errái ou ouasaqhom yerid bedalek naqs eltedbir. Coacta est synodus sexta. Inspexerunt Patres Sophronii adversus Cyrum contentionem, æquissimamque judicarunt, & ipsum omnino veritatem asserere. Hinc contra Cyrum sententiam dixerunt, illumque prænuntiarunt dignum anathemate, & ab communione ecclesiæ segregarunt. Sergius autem missis ab Cyro muneribus labefactatus cum illo viros conjunxit. Honorium quoque Romanum patriarcham scripserunt, quia judicio peccavit, & ab ipsis stetit, id est, in recta rerum administratione defecit.* Qua

igitur via, inquit *Nicolaus*, Honorii nomen hæreticis adjunctum est? Ea, respondit *Ignatius*, qua synodi primæ & secundæ canones depravati sunt aliqui, dolo malo scilicet male de Deo sentientium hominum. Insertum existimant viri docti ab Theodoro Constantinopolitano patriarcha. Is cum e presbytero syncello & custode vasorum creatus esset novæ Romæ summus antistes, Monothelitarum hæresim audacissime propugnavit. Quo nomine Constantinus imperator eum e dignitatis gradu amovendum, & subrogandum in ejus sedem Georgium curavit. Sexta illum postea synodus cum antecessoribus suis episcopis damnavit, ut testantur Anastasius biblioth. in Agathone, & Theophanes Græcus. Et vero, cur ei pepercisset, qui & hæresim procacissime promoverat, & colligendæ synodi potissima imperatori causa fuerat, cuique & patres omnes, & imperatorem maxime esse infensos necesse erat? Post absolutam synodum, anno consequente mortuus est Georgius patriarcha, & in ejus locum ejurata in speciem hæresi, ut ait Niceph. in Chron. & placato imperatore restitutus est Theodorus. Visum est, ut ego suspicor quidem, imperatori e re catholica id esse, tum ut illustre resipiscendi exemplum palam efferret, tum ut alios similis veniæ impetrandæ spe ad catholicas partes alliceret. Utut sit cum synodalia acta evulganda, & Romam mittenda Theodorus accepisset ab hæreticorum se numero, eraso suo nomine, exemit, & Honorium papam sui loco inscripsit, sive ut vetus suum in Romanam sedem odium expleret, sive ut suis ea re gratificaretur Monothelitis, qui se tanto nomine maxime sustentabant. Nec mirum est acta synodi sic corrupta, cum Romam delata sunt, fuisse ab Leone II. suscepta. Etsi enim grave videbatur in his actis dici contra jus omne Honorium hæreticum, eumque ab ecclesia Dei projici, qui sancte in ea mortem obierat, & primæ sedis episcopum judicari, qui omnes judicat, & a nemine judicatur; videbatur longe gravius universam rursus Honorii gratia conturbare ecclesiam, & animos Monothelitis facere, defenso, qui illis plus æquo faverat, hoc pontifice. Quin optimum factu censuit, si ad conterendos omnino Mono-

thelitas Honorium ipse durius perstringeret, non quod hæreticus fuit, sed *quod apostolicam ecclesiam apostolicæ traditionis doctrina non illustravit, & prophana proditione immaculatam fidem subvertere conatus est*, cum conatus est silentium indicere utrique parti, ubi loqui valide oportebat; sive ut magis se explicat in sua ad Hispaniæ episcopos epistola, quod *flammam hæreticæ pravitatis non, ut decuit autoritatem apostolicam, extinxit incipientem, sed negligendo confovit.* Aliunde satis provisum apostolicæ sedis dignitati in hac ipsa synodo advertebat tum Agathonis papæ, tum Constantini imperatoris litteris, quibus pontificum Romanorum neminem errasse in fide apertissime scribitur. Egregie profecto vestra defenditis, inquit *e monachorum numero nescioquis:* sed una re videmur vobis Latinis superiores, quod a vobis stat patriarcha unus dumtaxat, Romanus scilicet episcopus, cum Græcis vero quatuor sunt. Quæro, subjecit *Ignatius*: Unde nosti quid patriarchæ sentiant? An apud te animorum omnes deposuerunt arcana? scis eos odisse, ac minime revereri pontificem? Qui nunc vobis præsunt, eos non novi; novi antecessorum multos datis ad papam litteris ejus veneratos esse, quam habet a Deo, universalissimam autoritatem. Absit ut de patriarchis hodiernis minus recte sentiam. Quis credat viros illos, qui cæteris cum virtute, tum rerum ecclesiasticarum scientia eminent, ut eminent dignitate, nescire, quod in libris suis tam sæpe legunt, potestate divinitus adscita papam universæ ecclesiæ jus dicere; vel cum sciant, nolle tamen, aut ex obstinatione animi, aut turpi metu profiteri? Quid vero, si fateantur, timendum habent, cum nulla re jus illorum minuendum propterea sit, sintque pro more ad eorum arbitrium constituendi ab ipsis ecclesiarum præsides, & subjectæ sibi regiones perinde administrandæ? An vero ipsis decedet quidquam, si habeant amicum papam, & sua cum illo conjunctione omnes inter se devinciant christianos, ut sint cor unum, & anima una, & ovile perfecte unum? Imo vero in ea concordia multum emolumenti est. Primum & maximum omnium & unicum quod spectare debemus, animæ salus, quam assequi ii non possunt qui schisma vel fovent, vel amant. Alterum

Patriarchæ universi Romano pontifici non prævalent.

tum est, auxilia multa in afflictis rebus affutura. Neque enim amantes fratres frater maximus deseret: quæque apud Moscovitas reperiunt, hæc eadem & ampliora consequentur apud alios christianos; aliaque plurima quæ dicere omitto. Consentiant modo inter se Græci omnes, & sinant patriarchas suos bonos sine metu agere, tum quæ dixi, imo & dictis majora experientur. Quod si patriarchas Orientis ponamus (avertat autem Deus) minime consentire cum capite ecclesiæ, erunt ii, ut si cui regi fratres sint quatuor, qui vastis quibusdam provinciis ex lege & patrio more sub regia autoritate præsint, atque ii in regem postea insurgant, & detrectent imperium. Dic, amabo, id ipsis putas licere? Et qui illorum partibus sese adjungent, hos laudabis? Et asseverabis jure id ipsos facere, quia quatuor sunt, rex vero unus? Quæro etiam: Quando Dioscorus Alexandrinus patriarcha, & Domnus Antiochenus, & Hierosolymitanus Juvenalis confirmarunt in Ephesina prædatoria synodo Eutychianos errores, an necesse tum fuit, ut patriarchas illos sequerentur christianæ ecclesiæ, quia ii numero plures; & desererent S. Leonem papam qui in eos anathema dixit, ipsorumque errores coacta Chalcedonensi synodo profligavit? S. Leoni, inquit *Nicolaus*, omnino oportuit adhærere, & adhæserunt majores nostri, quorum vestigiis non modo tutum est insistere, sed necessarium. Superest, Ignati, ut perillustri aliquo exemplo pontificiam autoritatem illam demonstres. Multa jam sunt abs te allata, fateor, sed ea verbo uno enarrasti. Utere nunc prolixiore quodam sermone: nulla enim re magis cum delectamur, tum persuademur, quam exemplis. Narrat, inquit *Ignatius*, pervetus ille Annalium manuscriptus codex quingentorum annorum, mortuo patriarchæ Methodio successisse sacerdotem monachum Ignatium nomine, Michaelis filium illius, qui Nicephori imperatoris filia genitus fuerat. Contigit autem, ut cum die quodam festo in sacras ædes accessisset imperator, quo vivificis communicaret mysteriis, ei se avunculus ipsius Bardas adjunxerit. Sanctam imperator quidem communionem percepit: at Bardas cum se quoque mensæ divinæ admovisset, ab Ignatio patriarcha repulsus est, quod esset Dei

Historia Photii a quo inductum in ecclesiam schisma.

legem gravi prævaricatus peccato. (nempe, quod hic prætermittit Annalium liber, ejecta uxore insonte, fœminam sibi consanguineam acceperat, conjunxeratque matrimonio) Ignatio eam ob rem vehementer offensus Bardas perdendi illius ansam quærebat, & quodlibet ipsi damnum molitus, sua eum exturbare dignitate nitebatur. Hinc collecta scelleratorum hominum multitudine ad Michaelem imperatorem ingressus, his testibus, illum tentatæ in regnum proditionis accusat. Imperator quod minime rebus attenderet, & facile sibi pateretur imponi, accusationem excepit, jussitque Ignatium in Terebynthum insulam exulare. Tum in regia plenam iniquitatis habuit synodum, qua suffectus in Ignatii locum Photius est. Noli, inquit *Romanus*, silentio præterire quid antea pœnarum perpessus sit sanctissimus Ignatius. Cum enim patriarchatu abdicare se nollet, conclusus in Copronymi sepulcro sævissimis hominibus custodiendus traditur. Unde cum viri probi opera evasisset, iterum comprehensus, vix credi potest quantis sit ipse exagitatus suppliciis, quam immaniter vexati sint omnes alii, qui ab illo pro jure stabant. Novi ego, reposuit *Ignatius*, quæ memoras omnia ab Græcis autoribus summa fide esse conscripta. At nihil huc affero, nisi quod meus ille vetustissimus codex continet & quasi ad verbum. Tuum erit, si quid omittit, id enarrando supplere, quale istud est: Photium hunc e laico contra canonum præscripta fuisse sex dierum spatio creatum patriarcham. 1. enim die monachi donatus est habitu, 2. anagnostes factus, 3. subdiaconus, 4. diaconus, 5. presbyter: 6. denique die qui natalis erat Domini, in patriarcham ab Gregorio Syracusano episcopo excommunicato consecratus est. Sed redeo ad meum codicem. In Ignatii exitium Barda ipso vehementius Photius incubuit, & in eum nefanda multa machinatus est. Plurimorum fidem cum pecunia corrupisset, fuissetque præmiis variis eorum testimonia mercatus, contestati illi sunt Ignatium sponte patriarchatu cessisse, cogente omnino nemine. Quo facto, sedem Constantinopolitanam, contra jus omne, adnitente Barda imperatoris, ut diximus, avunculo, invasit. Quod gestum est, Michaele annum jam

Anno 858

quintum imperante. Tum canonum ecclesiæ violator ille Photius, non satis habuit, contra quam fas est, Dei legem prævaricando calcare: quin imperatorem præterea commovebat in Ignatium, aulicos & principes muneribus multis sibi obligabat, quo ab principe impetraret, ut Ignatio secundum in insulam Mitylenem exilium decerneret. Hinc ille synodum impiam adversus Ignatium in Blachernis collegit, qua Ignatius ab ecclesiæ communione abscissus, dejecti de gradu una & in exilium cum Ignatio depulsi omnes sive archiepiscopi, sive episcopi, qui synodo nollent subscribere, & testari ab Ignatio perpetrata omnia, quæ in ipsum synodus conjecerat. Tum invasor ille sedis Photius *Ann. 859.*
ad Nicolaum papam litteras dedit, quibus per dolum significabat Ignatium ultro patriarchatu cessisse propter morbos, quibus conflictatus suo satis defungi munere non valeret. Nicolaus missis Constantinopolim legatis, de iis, quæ per fraudem sancto Ignatio imposuerat, jubet inquiri. Legato- *Ann. 860.*
rum uni nomen erat ***Zudithon***, (nescivit Annalium autor appellare Arabice Rodoaldum) alter *Zacharias* dicebatur. Audito eorum proximo adventu, Photius conquisivit multos, quos pecunia & muneribus depravavit, adjunxit e foro plures, atque e villis urbi proximis rusticos in urbem convenientes. Aulæ vero principes, nummis alios, alios amplissimorum sacerdotiorum promissione sibi adscivit, & in ecclesia apostolica LXXII. antistitum iniquorum, ac populi deceptorum concilium celebravit. Adstitit hæc sceleratorum turba in sanctissimi evangelii & venerandæ crucis conspectu, coram ambobus ab pontifice Romano missis legatis, quos etiam pecunia labefactatos sibi Photius conciliaverat. Jurare compulsi, jure jurando affirmarunt Ignatium annos ipsos XI. quorum spatio patriarchatum habuerat, neque jus cuiquam dixisse, neque creditum sibi gregem ex æquitatis legibus rexisse vel unum diem aut alterum; sed omnia ex animi libidine gessisse. Photium, inquit *Romanus*, narrant Annales Græci minime his contentum voluisse, ut suam ipse Ignatius manu sua damnationem probaret. Quod ut faceret, vinculis nullis aut verberibus cogi potuit. Tandem ab tortoribus in marmoreo strato crucis in

modum extensus prosternitur in faciem, & noctem totam lancearum punctionibus excarnificatur. Cumque magnam vim effudisset sanguinis, & vix spiraret, arrepta ejus manu carnifices crucis signum in charta, subscriptionis loco, effingunt. Qua accepta charta, Photius in ea sic scripsit: *Ego Ignatius Constantinopolitanus confiteor me ingressum esse sine calculis, non canonice electum, & his annis non sancte me gessisse, sed tyrannice.* O flagitium, exclamavit hic *Nicolaus!* o scelus nulla satis pœna plectendum! Parum hoc, subjecit *Romanus*. Nam cum postea imperator Ignatium passus esset domum redire, voluit Photius, ut id ipsum voce ipse sua Ignatius in ecclesia in Pentecoste profiteretur. Imo & eidem eruere oculos, & manum abscindere venit Photio in mentem. Jam aderant milites qui vim facerent, cum Ignatius re audita servi in morem indutus, ac sportas duas ex uno pendentes ligno humeris efferens, aufugit; variasque perlustrans insulas, & latebras sæpe mutans, victum sibi mendicato diu paravit, & gravia quæque perpessus est. Vindice denique Deo civitas Constantinopolitana maximis terræ motibus est concussa, quorum causam cum omnes fere in vexationem Ignatii refunderent, Michaelis imperatoris & Bardæ ipsius accepta jurejurando fide Ignatius suum se in cœnobium recepit. Appellavit interea ad Nicolaum, quem *præsidem & patriarcham sedium omnium ac principis apostolorum successorem & universalem papam* suis litteris nominat. Sed jam recita, Ignati, e codice tuo quid gestum postea. Cum primum, inquit *Ignatius*, Nicolao papæ res innotuit, & legatorum in accipiendis Photii muneribus flagitium, anathemate illos perculit, mulctatosque bonis omnibus in exilium amandavit. Habita quoque Romæ synodo dixit anathema Photio, illumque e fidelium cœtu, atque ipsius asseclas semovit. Quicunque vero initiati ab ipso sacris ordinibus fuissent, eos jussit nullis officii sacri ministeriis admisceri, sive archiepiscopali, sive episcopali, sive sacerdotali, sive diaconatus dignitate gauderent; sacræque exscriptum synodi ad Michaelem imperatorem, & ad omnes transmisit patriarchas, ut eos ab ecclesia ejicerent, qui communicarent Photio. Hæc ubi Photius audiit, animo

conturbatus & incensus est, & Michaelem imperatorem adiens, ea sibi omnia evenisse conquestus est, & propter missam ab Ignatio & magnatibus ad papam legationem, & propter negotia ea, quæ ipsi cum augusta matre sua intercesserant. Omni deinde composita fraude, cœpit eos qui e regio comitatu erant, suis occæcare largitionibus, induxitque in palatium libellos, in quibus legatorum Romanorum & omnium antistitum, imo & Ignatii ipsius referebantur subscriptiones ac testimonia, unde palam esset sponte se Ignatium, ac cogente nemine, abdicasse. Quæ postquam ad arbitrium fraudibus suis contexuit atque perfecit, ea emisit in lucem, & coacto fraudulento impuroque concilio evulgavit. Cum autem archiepiscopi, episcopi, & archimandritæ, ac cæteri sacerdotes hæc omnia conspexerunt, adverteruntque libellos istos in eos ferre anathema, qui per dolum, mala fide, quidquam egissent; factum habuerunt pro rato, deque omnibus Nicolaum papam, misso cum litteris Chalcedonensi episcopo, fecerunt certiorem. Verum fraus postea iniquissimæ synodi adversus Ignatium collectæ patuit. Porro res Photii, addit vetus hic Annalium codex, ejusque in causa Ignatii crimina prolixum desiderarent sermonem. Habetur vero totum illud in libro ecclesiæ sanctæ, cui, Collector historiarum, nomen est. Quod desideratur in codice tuo, inquit *Nicolaus*, suppleas quæso ex Annalibus aliis: juvat enim non nescire, quo fine tot Photii ac tanta flagitia conclusa sint. Quoniam jubes, reposuit *Ignatius*, paucis multa complectar, & summa rerum dumtaxat capita, ne fastidio sim, delibabo. Favit Photio Michael imperator, deditque ad Nicolaum pontificem acerbissimas litteras, quibus pontifex mitissime respondit, sic tamen ut dignas incendio pronunciarit; imo aliis postea litteris, eas ut igni traderet, sub anathematis pœna præceperit. Concessit tamen, ut Ignatii Photiique causa recognosceretur iterum: at Romæ, quo illi ambo vel per se, vel per legatos suos convenirent. Non multo post Petrum apostolum senserunt ultorem irreligiosi principes. Bardas nocte quadam sibi visus est S. Petrum intueri in solio assidentem, ejusque pedibus provolutum Ignatium, & efflagi-

tantem ut illatam sibi ulcisceretur injuriam : beatissimum vero Petrum precibus ejus & lacrymis motum, nescio cui hic adstanti gladium tradidisse, quo Bardam primum, tum postea imperatorem in frusta concideret. Turbatus est somnio Bardas, non mutatus. Nam ineunte quadragesima milites misit, qui Ignatium prohiberent, vel sacrum facere, vel cum ullo habere sermonem. At somnio fidem eventus fecit. Nam Bardas adversus Cretenses in exercitu cum imperatore profectus, cum essent in plano imperatoris tentoria, sua ipse in colle statuit. Quo fastu graviter offensus imperator, jubet illum interfici. Quod cum facere ob hominis immanem potentiam reformidarent cæteri, ausus est Basilius cubiculo imperatoris præpositus, abstractumque ab pedibus imperatoris, quo se veniam deprecaturus abjecerat, gladio confodit, & militibus permisit frustatim concidendum. Tum Michael Basilium imperii socium adscivit, creavitque Cæsarem. Is cum ab flagitiis multis deterreret imperatorem, eique obsisteret, illius in se odium concitavit, & ab ipso jussus est occidi. Evasit Basilius sicarii manum, & Michaelem vino obrutum aggressus cum suis interemit, eique manus abscidit. Hinc in palatium inductus edicitur imperator. Interim Photius coacta suorum synodo in Nicolaum pontificem ausus est sententiam anathematis proferre, missisque ad Ludovicum II. in Occidente imperantem legatis, ei, si Nicolaum sede exturbaret, Orientis imperium promisit. At Basilius statim atque adeptus est regnum, Photio ejecto sanctum Ignatium restituit. Nec mora, Basilii imperatoris & Ignatii legati Romam profecti, Hadrianum Nicolai successorem pro more venerati sunt. Acta Photianæ synodi adversus Nicolaum papam edita, cum magna detestatione & pedum proculcatione, imo & percussione gladii, tanquam ab ipso diabolo per os Photii eructata exhibuerunt. Illa Hadrianus collecta Romam synodo flammis jussit absumi. Ubi & id maxime admirandum evenit, ut cum in ignem fuissent conjecta, & vehementissime tum plueret, pluvia quasi injecto oleo flammas auxerit, quibus sunt redacta in cineres, & emerserit teterrimus inde fætor. Vide Nicetam Paphlag. in vita S. Ignatii. Nec

Romæ modo combusta sunt acta illa spurcissima, sed etiam Constantinopoli; quo cum Hadriani papæ & omnium patriarcharum legati convenissent, octava celebrata est œcumenica synodus, & Photius cum non resipisceret, intincto in Christi sanguinem calamo, damnatus est, & ejus scripta exusta. Obiit postea Ignatius, quem Græci religioso cultu ut sanctissimum colunt XXIII. Octobris, & catholica ubique ecclesia deprædicat. Jam, quod mirum, Photius ille diris omnibus toties devotus, suis & Santabareni nescio-cujus præstigiis, cum in gratiam Basilii imperatoris rediisset, mortuo quoque Ignatio in sedem rediit. Quin etiam missa ad Joannem tum papam legatione, confirmationem impetrat. In quo cum se minus viriliter pontifex gessisset, pro fœmina si non habitus est, certe fabulæ de Joanna papissa dedit occasionem. Joannis gratia abusus Photius, legatis ejus seductis, quas ab eo acceperat litteras, depravat, & habita synodo octavam œcumenicam ab Hadriano celebratam damnat: sed damnatus ipse propterea ab Joanne, tandem ab Leone sapiente, postquam excessit Basilius, deturbatus e sede fuit, & in cœnobium Armenorum amandatus, sceleratissimam paulo post vitam fine clausit non meliore. Ex iis quæ sunt a me ex Annalibus vestris commemorata, satis intelligitis, quantum pontifices Romanos vestri in Oriente & antistites, & imperatores observarent, quamque ab ejus nutibus & judicio penderent, ubi res fidei ac religionis agebatur. Sunt ista, inquit *Nicolaus*, contestatiora, quam ut refelli possint; & quod factum in omni ætate fuit, nostri, ut opinor, patriarchæ facerent, nisi principum Turcarum metus obstaret, per quos deferri pontificibus Romanis obedientiam minime licet. Forte faciunt, reposuit *Ignatius*, patriarchæ vestri, quod tu reris fieri non posse. Nam cum sint non dignitate modo, sed etiam virtute & doctrina superiores cæteris, quid debeant non nesciunt, & quod sciunt debere se non omittunt. Quid enim ita de ipsis vetat existimare nos & sentire? Non vetant, hoc scio, non vetant Turcæ principes suo illos defungi erga pontifices Romanos officio, uti christianorum neminem vetant Romani pontifices Turcis principibus,

quod suum est, exolvere. Quot Latinorum millia Turcico imperio subjacent, qui cum sint Romanis pontificibus obsequentissimi, tum Turcæ imperatori fidem, quam debent, studiosissime servant? Quid faciant patriarchæ nostri, inquit *senior quidam monachus*, nec scio, nec admodum curo scire. Hoc scio, caput ecclesiæ sub Christo vicarium papam esse; illum apud me, ut patrem & magistrum veneror, nec credo plus Deum a me, & ipsum quoque pontificem exigere. Hoc fac, respondit *Ignatius*, hoc fac, & vives. Nec dubito, quin ita omnes faciant, qui primum quærunt regnum Dei & justitiam ejus, depositoque omni partium studio, (quo nihil iniquius, vel exitiosius) non hominibus, non sibi placere, sed Deo contendunt. Nec enim aliter haberi ab homine potest æterna salus. Nam quo pacto eam ille consequatur, qui contra evangelii decreta & statuta conciliorum & Patrum præcepta ab apostolico patre & ovium Christi pastore, nullo penitus jure se abjungat? Causam abjungendi se gravem habere se nonnulli putant. Quænam illa sit, crastina die audies, cum pro more conveniemus ad colloquium.

DIALOGUS XII.

De emendato calendario.

ADFUERUNT hora solita qui erant ab negotiis liberi: atque ubi suis omnes locis assederunt, Latinos sacerdotes intuitus *Nicolaus*, Nullo, inquit, jure dicebatis hesterna die factam Græcorum ab Latinis discessionem, caussam illis abjungendi se esse nullam. Gravem proferunt e nostris non pauci, &, ut putant, necessariam. Queruntur enim inductam in religione ab Latinis esse mutationem. Si veritatem, respondit *Romanus*, cujus erat die illo dicere, ista expostulatio habet, eos valde laudo qui se ab Latinis segregant. At si plena falsitatis est, execratur eos Christus, qui corpus suum, id est, ecclesiam suam, varias discerpunt in partes & dilacerant; quo flagitio gravius nullum Chry-

soſtomus

soſtomus agnoſcebat. Quæ porro eſt a noſtris invecta mutatio? Paſcha, inquit *Nicolaus*, & feſta alia jejuniaque ſuis e ſedibus ejecerunt. Quid ais, ſubjecit *Romanus*? Quadrageſimali tempore non jejunant, non celebrant ſtatim ab jejunio feſta paſchalia? jejunant, inquit *Nicolaus*; & celebrant, verum æquo citius celebrant. Nam quæ certis ſunt diebus affixa, ea diebus decem ante peragunt quam ſolebant: quæ vero definita quadam moventur lege, ea accelerant hebdomadis aliquando quatuor, & ſæpe quinque, aliquando una. Jam vero jejunia quod ſpectat, eum tenent jejunandi morem, qui jejuniorum vim & meritum elidit. Bene habet, repoſuit *Romanus*. At ſi quid vitii in celebratione feſtorum eſt, vitium eſt, ut video, diligentiæ: neque tanti momenti eſt, ut propterea Græcis liceat ſeſe ab eccleſiæ aſpectabili capite, membriſque principibus ſegregare, atque illud incendere odium, quo deflagrat eccleſia, totque hominum millia pereunt, irridentibus ethnicis chriſtianorum vecordiam, plaudente ſibi & prædam locupletem agente ſatana. Quod ſi rem accurate expendas, eque Patrum decretis, imo veſtris, qui ſunt ad manum, libris judices, non peccamus diligentia; ſed ſuo omnia tempore, quemadmodum ſancitum eſt, facimus. Græci contra ab Patrum aberrant legibus, & conciliorum placita invertunt. Quia tamen feſtorum hæc celebratio fidei integritatem non evertit, pacis gratia, cujus amore diſcipulos ſuos Chriſtus definit, eos toleramus errare, quibus ſic placet, & quantum fas erit, tolerabimus. Deus bone, inquit *Methodius*! quam gravem nobis inuſſiſti notam, qui conciliorum nos decretis minime obtemperare dixiſti! & eorum quidem pronuntiata, cum amplectimur in omnibus, tum maxime in ea quam agitamus lite, neque vobis accedimus, ne videamur ab eorum diſcedere inſtitutis. Atque adeo cum mutaſtis traditas ab ipſis celebrandi Paſchatis leges, nihil duximus immutandum. Utri pareant Patrum conciliorumque ſanctionibus, inquit *Romanus*, facile eſt dignoſcere, ſi quod ab ipſis ſtatutum eſt, ponamus ob oculos. Profer librum illum Arabice ſcriptum, quem librum Legis dicitis. Hunc ſtatim protulit Methodius, & Romano porrexit. Is aperto volumine ſtatim incidit in ſynodum Nicænam

Quo tempore Paſcha celebrandum.

œcumenicarum primam, ubi scribitur quid de Paschate celebrando judicatum ab Patribus & sancitum sit. Tum verba ipsa libri, ne immutata quidem vocula legit, palamque recitavit. *Fe elába ettefaqou giamiäan bâd elmefaoüadat elgezilé elschedidé ou elhugiage elouadeha en yekoun elfaßehh fi elyoum eltalet elladi qám fih rabbena ou mukhullesna men beyn elamouat men mubteda youm elgiümah elmuqaddasse ellati tallam fiha ou hou youm elahad elladi ala eldayem yati bad faßehh elyhoud, elladi metálo fi elhesab elladi asasouh berouhh elqodos enno eda kan faßehh elyhoud fi youm elahhad elladi hou ahhad elzeitouné elmarouf belbaya ellati taffir ha elschâniné yekoun faßehh elmesiehh elmegid fi elahhad elladi bâdo ou en kan eletnayn aou ettelàta aou elarbah aou elkhamis aou elgemah aou elsebt yekoun faßehh elmesiehh fi youm elahhad elladi bad faßehh elyoud ou ala hada elrasin ettefaqet elgemaah elmuqaddasé.* *Post habitos ultro citroque sermones multos & graves, & adducta in medium apertissima argumenta, in eam voce una Patres convenerunt sententiam, Pascha celebrari debere die tertia, qua surrexit a mortuis Dominus ac servator noster, quæ scilicet ab sexta feria, qua passus est, numeratur, & dominica dies est, quæ Judaicum Pascha sequitur. Atque illius habes exemplum in calendario, cujus dederunt inspirante Spiritu sancto fundamentum. Ut scilicet cum Judaicum Pascha in dominicam olivarum incidit, quam & palmarum dicimus, celebretur gloriosum Christi Pascha subsequente dominica. Si vero in 2. 3. 4. 5. 6. feriam aut in sabbatum cadat, fiat Christi Pascha dominica illa, quæ Judaicum Pascha consequitur. In hanc porro definitionem consensu uno ab sanctissima synodo itum est.* Necesse est igitur, inquit *Romanus*, nos scire quo die Judaicum Pascha contingat, quandoquidem sic ab eo pendet nostrum, ut nisi exacto illo peragi non debeat. Quo vero die esse oporteat Judaicum Pascha, non aliunde melius discas, quam e vetere Mosaico instrumento. Audi præcipientem Deum Levitici c. 23. *Mense primo, quarta decima die mensis, ad vesperam, Phase Domini est.* Et num. 9. *Faciant filii Israël Phase in tempore suo, quarta decima die mensis hujus ad vesperam juxta omnes ceremonias & justificationes ejus.* Judæis hoc olim traditum; nobis vero christianis quid præceptum? Audiebas modo me recitantem ex

vestro Legis libro Pascha nobis esse dominica illa celebrandum, quæ Judæorum Pascha, id est, diem lunæ XIV. sequitur. Dic, Methodi, an obtemperant CCCXVIII. Patrum decreto, qui minime id observant? Si libro nostro assentimur, reposuit *Nicolaus*, Pascha peragi ea dominica debet, quæ diem lunæ XIV. sequitur. Id vero, inquit *Romanus*, jam Græci non agunt, neque Pascha unquam celebrant nisi post diem lunæ XVII. & aliquando XVIII. Verbi gratia, dies lunæ XIV. Græcorum Paschati hoc anno 1677. prævia continget feria VI. qui dies Aprili mensi juxta Græcorum computum sextus erit. Quare ex mandato conciliorum & Patrum dominica consequente celebrandum Pascha esset, octavo scilicet Aprilis: quod tamen eo die minime celebrabunt, sed XV. duntaxat die. Amabo vos, quid hoc rei est? Patres sanctissimos, imo ecclesiam catholicam eorum ore, Pascha fatemini addixisse dominicæ illi quæ lunam XIV. consequitur, nec tamen dominica illa Pascha peragitis, sed remotiore alia. Num illud est, palam, & ex animi destinatione Patrum edicta & ecclesiæ præcepta infringere? Cogis me, inquit *Methodius*, vel invitum assentiri tibi, & fateri errorem nostrum. At vestrum etiam fateamini necesse est, & multo graviorem. Quem vero errorem, quæsivit *Romanus?* Pascha, inquit *Methodius*, nonnunquam cum Hebræis peragitis, luna scilicet XV. totiesque istud, quoties epacta est 24. & D dominicalis littera, id est, quater spatio annorum 532. quæ magna est revolutio paschalis. Si quid peccamus, inquit *Romanus*, raro peccamus, quique annorum 535. spatio quater duntaxat aberramus, venia sumus dignissimi. At profecto nihil peccamus. Peccaremus vero, nisi luna XV. faceremus. Judæi si legi parent, Pascha celebrant luna XIV. Audi Mosem Num. c. 9. *Præcepitque Moyses filiis Israel, ut facerent Phase, qui fecerunt tempore suo*, XIV. *die mensis, ad vesperam.* Audi Josue c. 5. *Manseruntque filii Israel in Galgalis, & fecerunt Phase* XIV. *die mensis, ad vesperam, in campestribus Jericho.* Audi Esdram l. 1. c. 6. *Fecerunt autem filii Israel transmigrationis Pascha*, XIV. *die mensis primi.* Quin etiam sic addictum fuit a Deo XIV. lunæ, ut si quid fuisset impedimenti, quominus die

Pascha celebrandum XV. luna, si ipsa in diem dominicam incidat.

illo celebrarent Hebræi, jussi sint diem XIV. consequentis lunæ expectare, qua XIV. die festum agerent. Num. c. 9. *Præcepitque Moyses filiis Israel, ut facerent Phase. Qui fecerunt tempore suo, XIV. die mensis ad vesperam in monte Sinai. Juxta omnia quæ mandaverat Dominus Moysi, fecerunt filii Israel. Ecce autem quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere Phase in die isto, accedentes ad Moysen & Aaron dixerunt eis: Immundi sumus super anima hominis. Quare fraudamur, ut non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israel? Quibus respondit Moyses: State, ut consulam, quid præcipiat Dominus de vobis. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul, in gente vestra faciat Phase Domino in mense secundo XIV. die mensis, ad vesperam.* Cum ergo Judaicum Pascha autore Deo diem lunæ XIV. obtineat, non celebrat cum Judæis, nisi qui die illa XIV. celebrat quod a nobis factum nunquam est, & nunquam fiet; cumque parte ex alia jubeant SS. Patres Pascha ea dominica peragi, quæ lunæ diem XIV. sequitur: certe si luna XV. dominica est, ea paschalis erit. Atque ita liber hic Legis præscribit, cum imperat *Pascha nostrum dominica die celebrari, si proxime antecedente sabbato Judaicum fuit.* Sic porro decerni a Patribus, ut enarravimus, testis est Eusebius Hist. eccl. l. 5. Ambrosius in epist. ad episcopos per Æmiliam constitutos. Beda lib. de rat. temp. c. 57. Pascha, inquit *Methodius*, die illa lunæ XIV. minime finitur, sed protrahitur ad XV. & paschalis quidem agnus immolabatur XIV. ad vesperam, sed manducabatur de nocte postea, id est, XV. jam inchoata. Pascha vero luna etiam XV. contineri testatur abunde Lucas c. 22. ubi ait: *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.* Festus autem ille dies non erat luna XIV. qua decurrente licebat opera diebus festis vetita exequi; sed lunam XV. obtinebat totam. Atque adeo si luna XV. celebratis, vos necesse est cum Judæis Pascha facere. Mirum est, reposuit *Romanus*, abs te erudito viro ista proferri. Neque enim non legisti quæ sunt ab Mose tradita. Levit. c. 23. sic docet: *Mense primo quarta decima die mensis Phase Domini est, & XV. die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est.* Repete su-

periora alia quæ attulimus testimonia, quibus sacri codices x i v. diei Pascha ascribunt. x v. Pascha proprie non erat, sed dies festus azymorum: qui tamen Paschæ appellatione gaudebat, ut sex alii consequentes dies. Quin & ipsæ paschales victimæ eodem nomine dicebantur, teste Moyse Deuter. c. 16. *Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus & de bobus, in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.* Nempe sacrificia hæc, & dies illi principem illam cæremoniam, quæ luna x i v. ad vesperam perficiebatur, & proprium Pascha erat, attingebant ut appendices & ornamenta, nec alia quam ipsius de causa festivitatem habebant. Eadem etiam nunc ratione Pascha nuncupamus, non eam modo diem qua Christus surrexit e mortuis, sed etiam consequentes illam dies. Quare etsi dies lunæ x v. magna ab Judæis celebritate transigatur, non est Paschæ tamen, sed azymorum solemnitas. Pascha enim verum, quod in immolatione agni positum est pridie antecessit, luna scilicet x i v. Audi Joseph. l. 3. antiq. Jud. c. 10. *Mense*, inquit, *Xantico, qui nostris Nisan vocatur, & annum exorditur, luna* x i v. *sole arietem obtinente, quandoquidem hoc mense ab Ægyptiaca servitute liberati sumus, sacrificium, quod tunc exeuntes fecisse diximus, Pascha nominatum, quotannis instaurare lege jubemur, celebramusque id per sodalitia, nihil e victimis in sequentem diem relinquentes, quæ est* x v. *& azymorum festivitatis prima. Nam hoc festum priori continenter succedit.* Utut sit, inquit *Methodius:* num nefas est die illo peragere Pascha qui Judæis solemnis est? Si hoc nefas, respondit *Romanus*, gravissimo vos sæpe scelere obstringitis, cum eo die celebratis Pascha, qui e septem paschalibus ultimus est. Etsi enim, quod ait Levitici liber c. 23. *dies primus est celeberrimus & sanctus*, celebriorem tamen & sanctiorem esse septimum prodit. At ubi legisti unquam vetitum esse, ne, qui dies Hebræis festus est, nobis paschalis sit? Evolve Patrum decreta, conciliorum leges, ipsas librorum vestrorum sententias. Hoc prohibent ne Pascha nostrum die lunæ x i v. quo die Judæi celebrant suum, peragatur, & quarto decimanos damnant non quinto-decimanos. Jubent Pascha dominica

Quandonam Latini hebdomada una ab Græcis in Paschate celebrando discrepant.

lunam xiv. consequente fieri. Nimirum Christi Domini resurrectionem Paschate nostro colimus : quæ resurrectio non xiv. luna, sed dominica, quæ proxime illam secuta, est, contigit. Vide autem quam aberretis. Neque enim dominica lunam xiv. consequente, ut par esset, celebratis persæpe Pascha, sed illud in dominicam alteram transfertis. Quod hoc anno 1677. a vobis fiet. Si ea re peccamus, inquit *Methodius*, quia nos proxima post xiv. lunam dominica aliquando Pascha non agimus, cum tamen ea Christus Dominus die surrexerit; peccatis vos quoque qui luna xv. Pascha celebratis, cum Christus Dominus opinione vestra luna duntaxat xvii. surrexerit e mortuis. Non video, inquit *Romanus*, quid hic peccati advertas. Nam cum Pascha celebrari semper die ab luna xiv. tertio non possit, quia sæpe non est dominicus, celebrari ea saltem dominica debuit, quæ proxima post illam est. Ea enim dominica surrexit Christus. Ac, ne pluribus vos morer, ante calendarii emendationem vicinis potissimum Nicænæ synodi temporibus luna xv. sæpe Pascha celebratum est. Atque ut exemplum unum e Clavio nostro proferam : anno Christi 340. bissextili, luna illa xv. Pascha contigit, die Martii 30. Erat enim aureus numerus xviii. lunam xiv. in 29. Martii die adscribens. Littera vero dominicalis post diem intercalatam erat E, qua dies Martii 30. notabatur. Imo, quod admiraberis magis, christianorum Paschata & Judæorum in eundem concurrerunt diem, ut notat Ricciolus, annis Christi 326. Aprilis 3. & 346. Martii 23. & 350. Aprilis 8. & 400. Aprilis 1. & 475. April. 5. & 495. Martii 26. & 500. April. 2. & 602. April. 15. & 700. April. 11. & 722. April. 12. nempe ob diversitatem cyclorum. Quam diebus istis volebant Judæi contingere lunam xiv. contendebant christiani esse xv. adeoque sibi paschalem. Certe ab majoribus vestris nostrisque celebratum esse Pascha luna xv. quin & plenilunio, constat ex cyclorum accuratissimis rationibus. Inspice laterculum e Ricciolo descriptum.

Anni Christi, in quibus Pascha in plenilunio contigit.				
Anni Chr.	Aureus numerus.	Lit. Dom.	Pascha in Plenilunio.	
206	4	B	3	April.
350	9	G	8	April.
401	3	F	14	April.
465	10	C	28	Mart.
509	16	D	22	Mart.
560	10	DC	28	Mart.
604	16	ED	22	Mart.
662	17	D	10	April.
709	7	F	31	Mart.
760	1	FE	6	April.
804	6	GF	31	Mart.
851	16	D	22	Mart.
902	10	C	28	Mart.
953	4	B	3	April.
977	9	G	8	April.
1001	14	E	13	April.
1051	7	F	31	Mart.
1102	1	E	6	April.
1150	11	A	16	April.
1197	1	E	6	April.
1245	11	A	16	April.
1249	8	D	19	April.
1360	13	ED	5	April.
1404	18	FE	30	Mart.
1462	19	C	18	April.
1505	5	E	23	Mart.
1539	1	E	6	April.
1560	3	GF	14	April.
1580	4	CB	3	April.

Quæsivit hic *Nicolaus:* Si vetere in calendario illud olim contingebat, quid causæ est, cur modo non fiat? Causa est, inquit *Romanus*, veteris error calendarii summa accuratione emendatus: aureum enim numerum adhibet calendarium ve-

Vnde fluxit veteris calendarii error de ætate lunæ.

tus, quasi lunæ ac solis motus accurate peræquantem, cum tamen non adæquet accurate. Censebant veteres, cum sol lunaque ab eodem puncto decurrere spatia sua cœpissent, annorum 19. intervallo ad idem punctum regredi, quo recurrerent singulis 19. annorum intervallis. Quare in altera 19. annorum periodo, iisdem plane diebus, atque in priore novilunia describebant. Ut, si 1. periodi prioris anno contigerat novilunium 8. Martii, hic etiam post annos 19. pariter contingeret. Verum aliter paullo sese res habet. Neque enim luna ad idem omnino punctum dici, unde cum sole discesserat, recurrit post annos 19. sed illud antevertit hora 1. 27′. 32″. altera vero 19. annorum periodo duabus horis & minutis aliquot, & sic periodis singulis, ut 300. annorum paulloque amplius spatio punctum illud die uno antecedat: nunc vero lunaris antecessio quatriduo superet metam illam. Unde cum aureus numerus lunam XIV. indicat, dudum illa præteriit, factaque est ex rei veritate XVII. Quare in ea quam modo Græci scribunt, Paschatis inveniendi methodo, Pascha legale ad XVII. lunam annotant. Quo mirari licet incredibilem eorum quibus errare placet, cæcitatem, ne quid gravius pronuntiem. Nam quid illud est, cum Deus lunæ XIV. Pascha legale addixerit, illud te ad XVII. impune devolvere? Certe vir e Græcorum gente ornatissimus, &, quod Romanæ ecclesiæ beneficium est, litteris excultissimus, Hilarion Zigala Cyprius tabulam hujusce formæ unam mihi exhibuit. Cum itaque nullam Græci jam habeant XIV. lunæ rationem, & in XVII. duntaxat intueantur; mirum non est, si XV. nunquam celebrent. Quod tamen factum olim ab ipsis est, cum legale Pascha lunæ XIV. Deo sic jubente, tribuebant, & evangelicum proxima post illum dominica ex Patrum synodorumque placitis exequebantur. Quodque admirabilitatem habet majorem, qui non ferunt nos luna XV. Pascha peragere, quod Christus, inquiunt, non altero ab Paschate Judæorum die, sed tertio quartove surrexerit, illi sua se accusatione involvunt. Scribunt enim legale Pascha ad XVII. lunam, & XVIII. celebrant aliquando suum, cum tamen Christus non nisi tertio, ut pertendunt, post legale Pascha die vitam mortis domitor receperit.

ceperit. Adde quod, si quid in antevertendo peccatur, cadit in ipsos etiam Græcos id peccati. Quippe qui sæpe die Martii XXII. & XXIII. & XXIV. Pascha faciant, cum tamen a mortuis revixisse Christum Dominum XXV. duntaxat die, in confesso sit. Hæc Romano demonstrante silebant omnes, nec cuiquam, quod objiceret, occurrebat. Ubi enim gentium traditum, non esse celebrandum Pascha, nisi post lunam XVII? ubi scriptum peccare eos qui XV. illud peragunt, si in dominicam diem illa incidat? *Nicolaus* tandem, ut alio sermonem averteret, Facile capimus, inquit, quæ sunt abs te nunc explanata: atque hinc intelligere est, cum dissidemus a vobis in celebrando Paschate una tantum hebdomada, id fieri quando luna XIV. feria quinta, aut sexta, aut sabbato contingit. Cum enim vos Pascha post XIV. lunam agatis, dominica sequente fiet: non item nobis quibus non licet facere, nisi post XVII. At unde est ut aliquando mense uno toto, imo hebdomadis quinque ipsis discrepemus: quod anno 1674. evenit. In causa est, reposuit *Romanus*, æquinoctiorum antecessio. Pendet enim ab æquinoctio verno legitima Paschatis celebratio: quippe quod mense primo lunaris anni peragi debeat. Mensis autem primus ille est in hujuscemodi anno, cujus dies XIV. vel ipsa æquinoctii dies est, vel proxime æquinoctium sequitur. Dies autem æquinoctii fit XXI. Martii. Quare mensis primus quo celebrari Pascha debet, is est cujus XIV. dies vel incidit in XXI. Martii, vel XXI. proxime sequitur. Ut ergo intelligas quo tempore Pascha nostrum esse debeat: vide primum, quo fiat die æquinoctium vernum. Diem hunc XXI. Martii dicito. Deinde adverte, quando futura sit luna XIV. Et consequentem dominicam Pascha esse pronuntia. Sic enim Paschatis rationem institui debere ab sanctissimis Patribus traditum nobis est. In eo porro peccatis, quod cum sit ab Patribus æquinoctium vernum XXI. Martii addictum, delabi illud ab ea sede passi estis ad XI. Martii, eoque amplius. Inde enim est ut lunam XIV. quæ facto æquinoctio ex Dei ecclesiæque mandato paschalis est, cum sit mensis lunaris primus, non habeatis paschalem, sed alteram expectetis, quæ post XXI. Martii vestri diem occurrat: at-

Unde fit ut Latini Græcis, quinque aliquando hebdomadis, præeant in peragendo Paschate.

Joan. Damasc. l. 2. de fide orth. c. 7. de luce, igne, luminaribus, sole, luna, & stellis. Aries, *inquit*, mense Martio, die 21. solem excipit.

que adeo non primo, ſed ſecundo menſe vobis Paſcha ſit. v. g. contigit æquinoctium anno 1674. die Martii veſtri XI. feria IV. eodemque die luna XIV. extitit. Eſt ergo hic menſis primus, eſtque hoc menſe Paſcha celebrandum dominica illa quæ lunam ſequetur XIV. Non celebraſtis autem, quia cum Patres æquinoctium XXI. Martii devinxerint, ſic computatis, quaſi XXI. Martii veſtri die etiamnum oriretur, lunamque eam paſchalem facitis, quæ ſtatim ab XXI. die illo veſtro decima ſeptima erit. Non fuit autem, niſi dominico die Aprilis veſtri XII. nec Paſcha peregiſtis, niſi conſequente dominica XIX. iſtius menſis veſtri; id eſt, quinque hebdomadis ipſis ſtatutum a lege tempus prætergredi veriti non eſtis. Multa dixiſti, inquit *Methodius*, quibus niſi lux affulgeat uberior, non omnino aſſentimur. Fatemur menſe lunari primo, quem Hebræi *Niſan* appellant, quique pro vario lunæ decurſu mox Martium noſtrum obtinet, mox Aprilem, quo utroque menſe Paſcha fit: fatemur, inquam, hoc primo menſe Paſcha eſſe peragendum. At unde habes menſem illum lunarem dici primum, cujus dies XIV. vel in æquinoctium cadit, vel proxime jam præterito ſuccedit. Habeo, repoſuit *Romanus*, ab autoritate omnium qui eruditorum hominum nomine cenſentur. Horum enim reperias neminem, qui menſem illum primum alia ratione definiat. Si quem habes qui aliter definiat, hunc appella. Ego tibi e multis paucos profero. Joſeph. l. 3. antiq. Judaic. c. 10. ſic ſcribit: τῷ δὲ μηνὶ τῷ Ξανθικῷ, ὃς Νισὰν παρ' ἡμῖν καλεῖται, καὶ τοῦ ἔτους ἐστὶν ἀρχὴ, τεσσαρεσκαιδεκάτῃ κατὰ σελήνην, ἐν κριῷ τοῦ ἡλίου καθεστῶτος. *Menſe autem Xanthico, qui noſtris Niſan vocatur, & annum exorditur, luna* XIV. *ſole arietem obtinente, quandoquidem hoc menſe ab Ægyptiaca ſervitute liberati ſumus, ſacrificium, quod tunc exeuntes feciſſe diximus, Paſcha nominatum, quotannis inſtaurare lege jubemur.* Accedat Euſebius autor Græcus c. 27. l. 7. Hiſtor. eccl Anatolius quoque Laodicenus epiſcopus teſtimonium affert Philonis Hebræi, Agathobulique, & Ariſtobuli qui unus fuit LXX. interpretum. Hi ſtatuunt nefas eſſe Paſcha celebrare niſi facto æquinoctio, luna ſoli, cum ſubit arietem, oppoſita. Atque id ut plane intelligas, ſic habe,

In anno lunari quis primus menſis?

Philo de vit. Moyſis: τὴν ἀρχὴν τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας πρῶτον ἀναγράφει μῆνα μηνῶν.

Judæos lunarem annum quo utuntur, ſolitos accommodare ſolari. Hæc enim *luminaria duo* conſtituit Deus *in firmamento cæli, ut dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora & dies & annos.* Nemo autem neſcit ſolaris principium anni verno æquinoctio notari, quo tempore arietem ſol ingreditur. Quare ut lunaris annus ſolari congrueret, ejus quoque initium æquinoctio verno, quantum licuit, addixerunt, poſtquam ſic eſt a Deo ipſo conſtitutum Exod. 12. *Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni.* Verum, inquit *Nicolaus*, cur menſem illum non dicis in lunari anno primum, cujus novilunium magis ad æquinoctium accedit? Opportunius enim videtur plenilunio ſeu XIV. die; quo die menſis eſt propemodum parte ſui media elapſus. Repoſuit *Romanus*, naturalem lunæ annum ab plenilunio inchoari. Eſt enim in plenilunio primum condita, ut præeſſet nocti. Ac præterea conſtitui menſis primus ille non potuit, cujus novilunium propius ab æquinoctio abfuiſſet. Nam quid fiet, ſi novilunia duo æquis intervallis ab æquinoctio diſtent, uti fit, cum plenilunium medium in meridiem XXI. Martii incidit? Exemplum ponit Clavius in vetere calendario, in quo aureus numerus VIII. ad diem VI. Martii, & ad V. Aprilis ſcribitur: in novo autem epacta 25. ad diem utrumque, æqualibus ab XXI. Martii ſpatiis. Quodnam novilunium primi menſis tunc futurum eſt? Quæro iterum, inquit *Nicolaus*, quæro (ne quid neſciamus) cur menſem primum eum non dixerunt, cujus dies XIV. proxime æquinoctium attingit, ſive præcedat, ſive ſequatur. Voluerunt autem eum eſſe, cujus dies XIV. vel in æquinoctium cadit, vel proxime ab illo elapſo diſtat. Cauſa hæc, ait *Romanus*, mihi venit in mentem, quod, cum lunaris menſis accommodetur ſolari, is eſſe primus debet, qui cum ſolari primo menſe vel omnes, vel certe plures ſuos dies decurrit. Verum quocunque modo res ſe habeat, conſtat autoritate majorum lunarem eum menſem primum eſſe, cujus dies XIV. vel in ipſo æquinoctio contingit, vel ab ipſo proxime elapſo numeratur. Quin ita ſit, nihil obſiſto, inquit *Nicolaus*. Quî porro efficis die Martii noſtri XI. non XXI. æquinoctium fieri? Nullos, adjecit *Romanus*, velim *Quo tempore æquinoctium vernum fiat.*

mihi testes nisi oculos tuos. Intuere solare horologium, in quo signa ex arte sint descripta, solem videbis umbra sua primum arietis gradum lambere, cum dies est Martii mensis vestri undecimus. In eoque si Babylonicæ horæ, quæ ab ortu solis recensentur, depictæ sunt, diem advertes duodecim horarum esse, & totidem horarum noctem, atque adeo contigisse æquinoctium. Quin etiam, si sic lubet, Persas, Arabes, Turcasque consule. Diem hunc vestrum XI. *Nourouz* appellant, id est, novum diem, seu novi anni diem primum, illumque ut nascentis veris ortum celebrant. At Patres, qui dies æquinoctio verno natalis est, eum XXI. Martii esse volunt. Illis ergo si estis liberi obsequentes, necesse est, ut eum diem, non jam XI. sed exemplo nostro XXI. numeretis. Id vero, inquit *Nicolaus*, quî fieri potest, ut qui dies XI. est, in XXI. evadat? Res est, reposuit *Romanus*, nullius prope negotii. Cum aderit dies Martii apud vos XI. dicite hunc XXI. & intermedios dies percensere hoc duntaxat anno prætermittite; confecta res erit, & Patrum conciliorumque decretis, ut decet, parebitis, imo & rationi. Qui enim plus accepit quam par erat, tenetur quod nimium est reddere. At in numerando quod ab synodo Nicæna effluxit tempore, dies decem, eoque amplius, supra quam necesse fuit, invexistis, quos idcirco, ne aberretis, debetis expungere. Idque nisi feceritis, post aliquot annorum millia ex computi vestri ratione mense Decembri æquinoctium, & media æstate paschale festum, & verno tempore natale Christi occurret. Fecit admirationem dicti novitas: cœperuntque Romanum urgere, totam ut rem exponeret. Tum ille, Annus, inquit, diebus constat 365. horis 5. 49'. Prolixiorem Julius Cæsar minutis undecim edixerat, & omnium tunc opinione accuratissime, atque adeo censebatur dierum esse 365. & horarum 6. Hinc nata est æquinoctii antecessio. v. g. ponamus æquinoctium Nicænæ synodi ætate, media nocte, quæ inter XX. & XXI. Martii intercessit, contigisse. Cum recurrit media illa nox vertente anno, non fuit hoc temporis puncto æquinoctium, sed minutis undecim antevertit & sex horis. Anno altero prædictum temporis punctum antevertit horis 12. & minutis

Nullo prope negotio calendarii emendatio potest admitti.

Nisi emendetur, maxima sequentur incommoda.

Unde nata æquinoctiorum antecessio.

22. Anno tertio, horis 18. & minutis 33. Quarto vero anno insertus est Februario dies unus, quem bissextilem appellamus. Collectæ sunt enim horæ, quæ cum essent 24. diem unum effecerunt, sed omissa sunt minuta, quæ spatio 133. annorum simul accepta diem unum constituerunt. Sicque æquinoctium non jam inter XX. & XXI. Martii, sed inter XIX. & XX. occurrit. Elapsis vero aliis 133. circiter annis, factum est æquinoctium nocte illa quæ inter XVIII. & XIX. erat media. In hunc modum singulis 133. circiter annis antecessit die uno æquinoctium, ut jam apud vos fiat inter X. & XI. diem Martii. Quare semper apud vos recedet æquinoctium, dum percurrat tempestates anni singulas; simulque movebuntur e suis sedibus festa omnia. Neque enim tum hieme, ut oportet, natalis Christi erit, sed vere; neque Pascha verna tempestate celebrabitur, sed æstiva; & menses hibernos ver obtinebit, æstas vernos, æstivos autumnus, hiems vero autumnales; & mirabuntur posteri, cum audient, friguisse Decembri. Qua rerum, temporumque perturbatione quid fingi potest gravius? Experimur, inquit *Nicolaus*, non raro æstivis caloribus Pascha nostrum ardere. Tumque, nisi fallor, subjecit *Romanus*, intelligitis, quantum distat vestrum celebrandi Paschatis tempus ab eo, quo suum Dominus fecit. Frigus enim erat, adeoque vehemens, ut igne famuli quo calefierent, haberent opus, quemadmodum evangelista testatur. *Ioan. 18.* Quid ergo, inquit *Methodius*, errarunt Nicænæ synodi sanctissimi ac doctissimi CCCXVIII. Patres, cum illud quo utimur, nobis calendarium tradiderunt? Non errarunt, reposuit *Romanus*. Præceperunt enim, ut, quomodo Romæ in usu erat, Pascha æquinoctii tempore, primo scilicet mense, eaque, quæ lunam XIV. excipit, dominica celebraretur. *Calendario errata ab synodo Nicani minime fluxerunt.* Quo nihil æquius vel sapientius edici potest. Calendarium vero non condiderunt, sed condi jusserunt hujuscemodi, quo recte & absque errore tum luna illa XIV. indicaretur, tum affigeretur diei XXI. Martii æquinoctium. Demandata hæc in primis provincia est Eusebio Cæsariensi episcopo & Ægyptiis magistris. Varii varia procuderunt calendaria. Nullum placuit ad tempora usque Justiniani imperatoris, quo Dionysius nomine Exiguus

suum obtulit cæteris paulo accuratius, quo sumus annos bene multos usi, dum puduit errare, & irrideri a doctis. Quam enim indignum christianos hominum, qui unquam extiterint, eruditissimos, calendarium abhibere, quo luna indicetur x i v. cum e rei veritate, x v i i. esse vel ipsis oculis usurpamus; tumque notare diem æquinoctii, cum jam dierum decem spatio præteriit: atque ita Pascha peragere, contra omnia Patrum decreta, secundo sæpissime mense, & dominica alia, quam quæ lunam x i v. sequitur! Pudebat olim maxime doctissimos Græcos tanti erroris, contenditque apud imperatorem Andronicum unus ipsorum Nicephorus Gregoras, ut juberet calendarium emendatius instrui, quo & æquinoctium ad x x i. Martii revocaretur, & luna x i v. recte notaretur. Tandem Gregorius X I I I. pont. max. præclarum hoc opus summa vel hæreticorum ipsorum approbatione confecit. Accitis enim ex orbe toto peritissimis magistris, quod Patres, quod concilia super celebrando Paschate decreverant, proposuit, eosque jussit calendarium efformare, quo accuratissime Patrum omnium conciliorumque leges servarentur. Scripsit & ad Græcorum in Oriente patriarchas, omnesque christianos pontifex ille vere maximus litteras paterni amoris plenas, quo suam etiam operi manum darent. Probarunt tunc temporis plerique conatum. Quin & Ignatius patriarcha Antiochenus Romam eo tempore se contulit, quo emendationi vacabant, tabulasque & regulas inveniendorum festorum mobilium, quibus sui utebantur Orientales, attulit, obtulitque. Ac denique pro votis, Deo bene juvante, confectum est emendatissimum calendarium. Rogavit *Methodius*, qua ratione revocatum sit ad x x i. Martii æquinoctium, ætasque lunæ, in qua errabat aureus numerus, quo alio meliore cyclo demonstrata. Rem istam omnem respondit *Romanus* non posse tam brevi tempore exponi; declarari tamen hoc posse: deprehensum scilicet æquinoctium decem ipsos dies ab x x i. Martii retro delapsum, quod Julius Cæsar annum fecisset minutis x i. quam re vera sit, longiorem, eorumque collectione minutorum ab tempore Nicænæ I. synodi ad annum 1582. quo absoluta est calendarii emendatio, decem confici dies, quos,

Quo studio quave prudentia est emendatum calendarium.

etsi non extiterant, nihilo secius, quasi extitissent, ex errore numerabamus. Resecti sunt, & qui dies erat v. Octobris, dictus est xv. quique xi. Martii erat, appellatus est xxi. Deinde cum e collectis minutis illis annorum 133. circiter intervallo, existat dies superfluus, ne rursus e sede sua discedat æquinoctium, diem illum centesimo quoque anno demimus, quem propterea omittimus facere bissextilem. Et quia centum annorum spatio non existit ex minutorum summa dies integer, nimioque plus tollimus, id restituimus quater centesimo quoque anno, quem facimus pro more bissextilem. Indeque est ut hæreat, quemadmodum edicunt Patres, in xxi. Martii civile æquinoctium. Aurei autem numeri loco cyclus epactarum adinventus est, quo accuratius lunæ ætas exhibetur. At quid est, inquit *Nicolaus*, quod videmini aliquando Judæis in celebrando Paschate anteire, cum lex Patrum jubeat christianum Pascha Judaico posterius esse? Pascha nostrum, inquit *Romanus*, Judaico semper posterius est. Judaicum enim appello quod primo mense fit, & xiv. ipsius luna. Quod si quando insaniant hodierni Hebræi, & Pascha secundo mense celebrent, æquumne est, ut insaniamus pariter, & sacratissima instituta proculcemus? Si veniret illis in mentem ad Maium mensem differre Pascha, an differretis pariter, ne videremini Judæis anteire? Majoribus porro nostris vestrisque quid fiet demum, qui Pascha ante Judæos, ut ex aurei numeri & litterarum dominicalium rationibus demonstratur, celebrarunt annis Christi 326. & 346. & 350. & 475. & 495? qui Pascha eodem cum Judæis die peregerunt annis superiore loco non parvo numero descriptis? Errare tum Judæos in appellando lunæ die opinabantur christiani, nec in Judæorum gratiam, sibi cum Judæis putabant esse errandum. Aderat in cœtu *nescioquis e rure senior sacerdos*, qui cum probari plerisque ea videret, quæ ab Romano dicebantur, non tulit; vocemque efferens, Si peccamus, inquit, in celebrando Paschate, quî fit, ut peccatum nostrum miraculo Deus quotannis approbet, emissa divinitus e sanctissimo Christi sepulcro luce, qua cerei fidelium accenduntur, majoris hebdomadæ sabbato, nostri pridie Paschatis. Id mira-

culi, inquit *Romanus*, si vere existat, non eo fit, ut probet Deus vestram in celebrando Paschate contrariam decretis Patrum consuetudinem; alias quod illorum ore edixit, miraculo ipse suo everteret. Quare si ex veritate fiat, vel ad commendandam loci sanctitatem, vel ad excitandam populi pietatem, vel alia de causa fit. Eo autem nec fidei integritatem confirmari, nec declarari celebrandi Paschatis legitimum tempus, palam est: quandoquidem Armeni quos habetis hæreticos, tum vobiscum fere quotannis, tum seorsim a vobis, quando tempore alio Pascha peragunt, lumen illud pariter atque vos excipiunt & ostentant. Contingit enim ut Armeni a vobis in celebrando Paschate aliquando etsi perraro dissideant ita, ut dierum octo discrimen sit. Evenit hoc 32. ferme abhinc annis, quo tempore Amuratus imperator Babylonem, sive, ut aiunt, Bagdadum, obsessurus in has Orientis partes accessit. Tum enim Armeni profusa pecunia id egerunt, ne vobis liceret sacrum ignem efferre, donec ipsi excepissent. Verum ope Georgiani nesciocujus principis accepto ab imperatore mandato pro more vestro fecistis, pro suo Armeni octiduo post. Utrique e sanctissimo sepulcro lumen, prout libuit, protulistis, diversis, ut apparet, temporibus, cum tamen legitimi Paschatis tempus unum sit. Ecquid, reposuit *plenus ille ruris sacerdos*, dubitas, an fiat; nec vereris hæreticis te adjungere qui illud negant? Si aliud nihil profiteantur erroris, inquit *Romanus*, hæreticos noli illos dicere, ne forte incidas ipse in hæresim. Qui enim quod nusquam a Deo revelatum est, christiana fide affirmat credendum, errat in fide ipse graviter. Alio illos nomine, si ita placet, appella, dic difficiles ad assentiendum, dic cæcos, dic contumaces, etsi nihil agunt duriore illa censura dignum. Tu pro libito miraculum hoc assere, alios patere sentire, ut volunt, qui te sinunt, quæ narrant miracula, vel admittere, vel repudiare ad arbitrium. Amabo te, inquit *senior ille vir*, tu ipse quid sentias, coram aperi. Cum hic nollet *Romanus* plenam invidiæ quæstionem solvere, ne grave id quibusdam accideret, duceretque silere satius, quam vel infirmi alicujus offendere animum, licere aiebat illæsa fide, quid quisque vellet, arbitrari & dicere. Verum
cum

D: miraculo sacri luminis quod aiunt e Domini sepulcro per sese, nullisque operis, erumpere.

cum urgerent omnes, affirmarentque, quidquid eloqueretur, fore gratissimum, cœpit hunc in modum differere: Si quid veritatis habet miraculum istud, cur in occulto fit, teste nemine, occlusisque diligentissime januis? Esset profecto e re christiana Deique gloria, ut omnium in oculis ederetur. Tum enim locus dubio nullus esset, ac intuitu facti admirabilis ad religionis capessendam veritatem errore deposito homines convolarent. Deinde si vere miraculum est, cur in occulto illo loco non admittunt saltem e Francis unum, virum pium, religiosum & doctum, qui rem videat & probet, quemadmodum uni ex Armenis copiam introeundi faciunt, quem tamen hæreticum censent & Dei hostem? Contestante enim veritatem Franco, eoque religioso & erudito, causa dubitandi fere omnis tolleretur. Præterea, (quod annotandum in primis) si autore Deo id portenti existeret: qui lumen illud divinum exoriri e vivifico sepulcro intuerentur, & exciperent, afficerentur religionis sensu admirabili, & quasi extra se raperentur: atque inde prodirent stupore sacro & pio tremore perculsi. Prodeunt autem eo quo sunt ingressi vultu, iisdem oculis, re nulla immutati, nihilque præ se admirationis ferunt. Denique lumen hoc quale tandem est, quo absumuntur cerei, inflammantur barbæ, manus uruntur, nec excipitur nisi pingui materia. Lumen hoc merus ignis est, non qualis ardebat in rubo incombusto coram Moyse; nam comburit: nec qualis ascendebat de petra, cum extendebat angelus summitatem virgæ in conspectu Gedeonis, nullaque eum fovente materia idonea, panes carnesque consumpsit; hic enim non ardet nisi in morem ignis alterius naturalis: nec qualis delabebatur e cælo, Elia invocante, coram infinita hominum multitudine, vorabatque holocaustum & ligna & lapides, pulverem quoque & aquam; hic enim nemo scit, unde sit, fitque nullo teste legitimo, januis occlusis, nihilque præter naturæ consuetudinem efficit: nec qualis post reditum e Babylonica servitute, Nehemiæ interventu ex aqua puteali & crassa ad solis ortum effulsit, inspectantibus omnibus; hic enim clam exoritur: nec qualis vere olim emittebatur a Deo in sanctissimi sepul-

3. Reg. 18.

2. Macc. 1.

cri, quod resurrectionis appellant, templo, sabbato majoris hebdomadæ. Tunc scilicet patebant fores omni ex parte; aderant non christiani modo miraculi testes, sed ipsi ethnici, & in omnium conspectu divinitus enato igne lampades accendebantur. Audi testes. Refert Urspergensis abbas apud Gretser. lib. 2. de cruce in hunc modum. Anno 1161. die sacratissimi sabbati, quo secundum antiquæ misericordiæ Domini paraclesin, baptismate jam consecrato, lumen de cælo devoti expectamus, usque ad vesperam orationibus solitis institimus. At propter peccata nostra dono cælesti, quod ante nos etiam in conspectu gentium christiani suscipere solebant, frustrati, absque omni festivæ synaxis officio, noctem illam resurrectionis Dominicæ lugendo transegimus. Sed summo mane cum litaniis a sepulcro Domini nudi pedes processimus, ingressique sumus ante templum Domini in monte Moria, in loco & area, ubi David in tribulatione pestis exauditus fuit, ubi & eos qui devote orarent, Salomoni exaudiendos Dominus promisit. Mox ergo post preces & lacrymas vix inde egressi eramus, & ecce concrepantia signa & laudes altisonas in occursum nobis, ab his qui remanserant, reboantes, audivimus. Intrantes ergo ecclesiam sepulcri, lampades duas cælitus incensas summo gaudio conspeximus. Quid plura? a baptismi officio quo pridie cessaveramus, incipientes totum servitutis nostræ pensum, usque ad missæ complementum læta devotione persolvimus. Nobis vero egressis in missam Syrorum, qui post nos in eodem choro psallere solent, lampades aliæ divinitus accenduntur. Sic contingit, ut pauci intra Jerusalem vel christiani vel pagani tam evidentem Dei potentiam non cernerent. Ecce tibi testis alius Rudolphus monachus lib. 4. Hist. Die magni illius sabbati, quo ignis Dei potentia mirabili veniens, ab universo populo expectatur, ibi cum cæteris incolis & peregrinis Guillelmo comite Pictaviensi, & aliis principibus peregrinis Odolricus Aurelianorum præsul adstabat. Jamque erat dies ipsa in vesperam transiens, repente penes horam, qua sperabatur ignis affuturus, unus Sarracenorum scurra impudentissimus, ex plurima illorum multitudine quæ adesse solet, exclamavit,

Vid. Mercant. coron. candel. myst. c. 7.

ut christianis mos est, cum primum videtur, ἅγιος κύριε ἐλέησον, & cavillanter cachinnum emisit, extensaque manu arripuit cereum de manu cujusdam christiani aufugere tentans. At illico arreptus a dæmonio turpiter nimium vexari cœpit, quem prosequens christianus cereum abstulit. Ille vero tortus acerrime, protinus inter Sarracenorum manus expiravit. Quod factum omnibus terrorem immisit, christianis autem gaudium & exultationem. Statim vero, ut assolet, Dei virtute erumpens ignis ex una lampadum, quæ ibidem pendent, cursim eructando cæteros inflammavit. Quam lampadem cum suo oleo dictus episcopus Aurelianensis emens auri libra a Jordano, qui tum erat patriarcha, secum detulit, atque in sede propria reposuit, ubi plurima infirmis contulit beneficia. Nihil tum fiebat in occulto, palam omnia, ne caderet in christianos quod ait Christus Joan. 3. *Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.* Si tunc, inquit *Nicolaus*, fiebat id miraculi, cur nunc non fiat? An minus habet sanctitatis sepulcrum illud, unde devicta morte vita enata est? An minus christiani nunc sumus, quam tunc isti erant? Nimio plus quæris, inquit *Romanus*, pace tua dixerim, nimio plus quam sit necesse, quamque respondere vellem, nisi me cogeres. Manet vivifico sepulcro sua sanctitas, sed non mansit christianis omnibus sua. Quam enim multi ab ecclesiæ capite & corpore se abjungunt, & odio nequissimo Romanam fidem, quam apostolus commendat, & sedem Petri quam firmavit Christus, nulla de causa impetunt! nihil veriti gravem Pauli sententiam, 1. Cor. 13. *Si linguis,* inquit, *hominum loquar & angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans & cymbalum tinniens: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum: & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quam multi sacerdotia, sacras dignitates & Spiritus sancti dona nundinantur! Notat Augustinus sacrum ignem apud Judæos

Vid. Franc. Richard. in suo fidei Clyp.

eatenus mansisse, dum Jason datis pecuniis pontificatum ab Antiocho rege mercatus est; postea evanuisse: quo significaret Spiritus sancti ignem simoniacorum ritibus ac mysteriis minime allucere. Fac alias esse miraculi cessantis causas. Certe continuandis admirabilibus portentis lege nulla Deus tenetur. Testatur Beda l. de loc. sanct. 7. ascensionis dominicæ die post factum sacrum annis singulis solitum esse ventum excitari adeo vehementem, ut dejicerentur in terram qui aderant: tota vero nocte ardere variis in locis ignes, & lucere flammas, ut mons quasi ex toto igneus videretur. Nunc istorum nihil apparet. Arcæ miracula, quanto tempore ante Christum natum esse desierunt; & sexcenta hujuscemodi alia, quæ commemorare frustra sit. Mittamus ista, inquit *Methodius* : vidi enim e nostris non paucos oculatiores cæteris, qui non valde miraculo huic accrederent. Nos quoque, subjecit *Romanus*, e vestris non paucos audiimus nolle illius haberi mentionem. Narrabat olim mihi P. Georgius Rihelius vir probatissimæ fidei, se, cum aliquando reverendissimum episcopum Berytensem Græcum invisisset, adfuisse religiosos Græcos, qui facta istius miraculi mentione, significarunt movendas esse quæstiones alias, sibi de illius falsitate jampridem constare. Novi & ego alium primæ notæ non aliter contestantem. Erat etiam e nostris P. Hieronymus Queyrotius, vir in litteris Græcis eruditissimus, & illustrissimo patriarchæ Jerosolymitano Græco perfamiliaris. Is cum ab amicissimo patriarcha fuisset amice, remotis arbitris, percunctatus, quo res modo gereretur; respondit arridens, Φυσικῶς, naturæ vi. Noster quoque P. Franc. Richardus audiit Athanasium Byzantium virum e Græcis sapientiæ laude insignem, cum referret, studio comperiundæ veritatis Jerosolymam contulisse se, idque unum potuisse ab reverendissimo patriarcha habere responsi, *quidquid fieret in locis sanctis, sanctum esse.* Melecius Samatricius & Myræus episcopus, cum accepisset Meletium Alexandrinum e Græcis patriarcham vetus calendarium contra novum scriptis propugnasse, neque sacri illius luminis, quod sabbato sancto celebrant, meminisse; ad ipsum contendit, causam sciscita-

turus, cur omisisset de illo dicere, unde luculento Romanos argumento propelleret. Sciscitanti respondit coram viris Alexandrinæ ecclesiæ principibus: *Hoc miraculum vel unum si ecclesiæ nostræ superesset, quotquot sunt a fide christiana alieni brevi sese ei adjungerent.* Tum Jerosolymam petiit: deque miraculo cum ab illustrissimo Theophane patriarcha Græco quæsiisset; ille nihil simulans *lumen illud arte hominum minime laudanda fieri* fassus est. Remque totam illustrissimo Cyrillo Constantinopolitano patriarchæ aperuit datis ad ipsum litteris XXI. Aug. anno Christi 1627. easque litteras ad veritatis, id est, Dei gloriam, mandari typis & evulgari permisit. Sed de his hactenus. Hoc unum addam, inquit *Ignatius*, nihil esse tam gravi tot tamque idoneorum testium fide opus; miraculi falsitatem oculos in ipsos incurrere. Hanc ipse his meis vidi anno 1674. vidit testis omni exceptione major, excellentissimus D Olerius marchio *de Nointel*, Regis Christianissimi apud Turcarum imperatorem legatus: viderunt quotquot aderant e suis. Sabbato illo quo illud fieri miraculum dicitur, ego paterque e nostris Græcorum peramans Robertus Salgerius, simul matutinis horis in sacrum sanctissimi sepulcri templum spectandi gratia sumus ingressi. Expavit primum sapientissimus ille vir ad inconditos tumultuantium hominum clamores & ejulatus: tum in aream divini loci nobis progressis, occurrit non orantium turba, non prostrata ad venerationem sacratissimi monumenti multitudo, non psallentium sacerdotum chorus, non quidvis aliud quod ad miraculum patrandum movere Deum valeat, sed insanientium juvenum & virorum vis magna. Circumcursabant illi præcipiti impetu sacrum sepulcrum, eosque edebant ludos, quos apud plebem vix ederent inverecundi de trivio histriones. Mox risum & cachinnos efferre; mox in iram versi mutuis sese verberibus cædere; inde compositis ad lætitiam animis pileolos sibi mutuo ac vestes detrahere; sibi mutuo insilire in dorsum; tum conjunctis manibus coronam agere, & excipere humeris stantes alios; hinc ducere choream, & in terram mixtim prolabi; mox excurrere & vociferari. Pauca e multis delibo. Nam quid loquar Maho-

metanos ſatellites in medium quandoque proſilire, & fuſtibus ſævire, ut compeſcant, pace veſtra dixerim, hominum protervorum atque impudentium conatus? Miſit præpoſitus ab imperatore Turca ſanctiſſimi ſepulcri cuſtodiæ, Turca ipſe, miſit qui debitæ in auguſtiſſimo loco modeſtiæ admoneret, prohiberetque ab ſacrilego illo tumultu. Haud ſcio an ſitis mihi fidem habituri: dicam enim quod vix quiſquam poſſit credere. Apud Turcam præſidem interceſſit e Græcis vir primæ notæ, ne prohiberet, ſed ſineret ſolito omnia curſu evolvi. Paſſus eſt. Noſter ibi Salgerius continere ſe non potuit, quin exclamaret noſtro idiomate: *Hæc tumultuantium veſania non alio quam diabolo autore concitatur.* Pudet enarrare quæ poſtea non oculis modo, ſed naribus hauſimus. Fætebat immundo ſtercore multis in partibus ſacratiſſimus locus, eoque fætore qui ne ſex dierum quidem ſpatio evaneſcit. Denique ea fiunt iſto ſabbato, ut e Coptis qui ibi adeſt ſacerdos, mihi dixerit, templum non jam templum, ſed tartaream furentium dæmonum ſpeluncam eſſe. Hic ad miraculum apparatus eſt. O apparatum, exclamavit *Romanus*, quo, vel ſi Deus vellet maxime miraculi gratiam conferre, omnino cohiberetur, ne conferret! Sed perge. Perſeverant, inquit *Ignatius*, incompoſiti illi motus & inconditi clamores ad horam poſt meridiem primam aut alteram; tumque videas omni ex parte occæcatam plebem efferre in altum cereos, & luminis ſacri efflagitare illapſum, reſpicere Armenos ſua ex parte, ſublatiſque oculis, teſtudinis ſcrutari angulos, num forte hinc adveniat; aſpicere pariter Græcos e ſua; omnes vociferari, & inter ſe comprimere. Paulo poſt ecce tibi Mahometani ſatellites Græcis ſacerdotibus viam remota fuſtibus turba faciunt. Illi præmiſſis non parvo numero vexillis ſacris & crucibus, ad pompam & majeſtatem induti, non magno pietatis, ut apparet, affectu, ſacratiſſimum ſepulcrum ter luſtrant. Tum qui præeſt ex antiſtitibus Græcis, admiſſo ſecum Armeno uno, ſanctiſſimum locum ingreſſus, januam ſedulo occludit, quam foris armati fuſtibus Mahometani milites ab acceſſu populi tuentur. Qui tum clamores & motus efflagitantium ex omni parte divinum lumen! Vix

effluxerat quadrantis horæ pars tertia, ac ne effluxerat quidem, cum aperitur sepulcri augustissimi janua, forasque se emittit Græcus antistes (is erat Gazensis præsul) utraque manu fasciculum cereorum gestans, ut multiplicatis cereis copiosior flamma erumpat, hæreatque tenacius: prodiit pariter Armenus: ambo elata & audaci fronte, nihil præ se vel admirationis vel stuporis, quod viso miraculo usuvenit, ferentes. Saltitabat Armenus sacerdos magno impetu, concitatoque ad suos cursu pergebat, turbam a se obversa cereorum flammi propellens; tumque mirabar homines ab divino illo, ut arbitrantur, lumine, sibi formidare, & barbæ suæ. Interea circumstabant antistitem suum Græci, proferebantque ad accendendum cereos, urgebant, comprimebant sic, ut in præsulis manibus, omine non bono, divinum sit extinctum lumen. Si divinum est, inquit *Romanus*, quomodo potuit extingui, quod ardere vel in mediis aquis valeat, & ex sese nullius ope materiæ effulgere? Sine me, reposuit *Ignatius*, rem uti gesta est, commemorare; tum ex auditis, quod videbitur, efficies & concludes. Regressus in Domini sepulcrum Gazensis, ex ibi accensa lampade cereos denuo succendit, unde suos Græci alii inflammarunt. Tum cœpit compleri fumo locus omnis, & fumi caligine lumen illud quasi obrui. An vero fumat divinum lumen, subjecit interrogando *Romanus*, tantumque abest, ut dispellat tenebras, quin faciat, suaque se fuligine prope extinguat? At forte lampades, quibus ubique templum ornatur, manum admovente nemine, exceperunt lumen, & arserunt? Observabam, inquit *Ignatius*, eas maxime, quæ supra sacratissimum sepulcrum in erecta illic testudine dependent: nec istæ, nec aliæ ullæ per miraculum sunt accensæ, sed ut erant, perseverarunt extinctæ, dum admota manu Græci suas, suas Armeni accenderunt. Aderant e primoribus Turcis cum excellentissimo legato nonnulli; mirabantur hi plebis cæcitatem. Obstupui ego; & paulo post religiosum virum Dominicum *de Lasdival*, terræ sanctæ procuratorem, rogavi, num esset super ea re olim cum illustrissimo patriarcha Nectario collocutus. Collocutum se respondit, dum amicus erat, illumque sibi amice

confessum, excuti lumen illud humana arte, seque majorum exemplo quasi ex necessitate peccare, ne, si quomodo id fiat, intelligeret populus, pars magna ad ethnicos, Christi abjecta fide, transvolaret. At nescio an probaret excusationem Paulus, qui negat facienda mala esse, ut bona eveniant. Præter quam quod nullo fere negotio sapiens moderator incommodo huic occurrat: utut sit, ex gesta re, & summa fide ab me commemorata, quid de lumine isto sentiendum sit, intelligite. Superest, reposuit *Nicolaus*, ut si qua habes ad novi commendationem calendarii miracula, pro more tuo ea referas. Jam enim quid sentiendum sit, abunde capimus. Non desunt, inquit *Romanus*. Narrat e Bzovio P. Franc. Richardus ἐν Ταργα τῆς πίστεως, quo tempore approbata est ab summo pontifice calendarii emendatio, cum docti viri duo pontificiis in hortis hiberno tempore deambularent, deque illa emendatione agerent, dixisse unum, non magis fieri posse, ut recta esset ac legitima, quam fieri tunc poterat, ut arbor quam habebant ob oculos, nuces suas hoc perfrigido tempore emitteret. Ecce tibi ad illam vocem, quæ videbatur arbor aruisse, nuces protulit, quarum aliquas in thesauro pontificum asservatas fuisse Bzovius scribit. Vis plura? audi. Deus ipse in faciendis miraculis novum calendarium sequitur. Narro quod refert in hæc verba Ricciolus noster, vir in mathematicis disciplinis longe celeberrimus. S. Geltrudis, inquit, Sueciæ in vigilia nativitatis Domini virgam aridam plantavit in horto sui monasterii, impetravitque ut in honorem triplicis virginitatis Deiparæ Mariæ, folia, & brevi intervallo flores, & paulo post fructus eadem nocte produceret. Quod miraculum etiam diu post Gregorianam correctionem quotannis instaurabatur: nosque dum Parmæ essemus anno, ni fallor, 1629. vidimus ramusculum ex ea arbore missum a P. Nigronio ex aula Viennensi. Testatur Reybadeneira gravis autor ad XXVI. Julii in suo de sanctorum fastis eximio libro, Ravellæ, quæ urbs est Neapolitani regni, contineri quoque in phiala quadam e S. Pantaleonis seu Panteleemonis concreto sanguine, qui annis singulis quo die ex novi calendarii computo martyris ornatissimi

natissimi memoria celebratur, solvitur & ebullit. Tradunt & in Annalibus suis Hispani scriptores, Valentiolæ non longe ab Almagro in Hispania, die S. Augustini festo plures cereos accendi & ardere per diem, nulla ponderis sui facta jactura. Fides sit penes autores. Dici nihil admirabilius potest, inquit *senior ille parochus.* Verum cum res ista fidem minime offendat: num satius esset ob pacis commoda communibus festis nos uti, eodemque tempore jejunare? Fateor, respondit *Romanus*, fore satius: sed fieri id non potest, nisi vel nos Latini vestrum Græcorum calendarium amplectamur, vel vos nostrum. Jam tu videris utrum æquius. Numero si componamini cum Latinis, vos estis paucissimi: potentia, si vires spectetis & regna, infinito intervallo, ut patet, inferiores; qui estis scilicet fere omnes servitutis jugo constricti: in orbis particula vos collecti; nos toto in orbe positi: nos ex Patrum & conciliorum legibus festa & jejunandi tempus servamus; vos contra quam præceptum est, facitis: factum nostrum certissimis Deus miraculis comprobat; vestrum nullis. Quamobrem, si cedere multitudo paucitati, vis infirmitati, particulæ totum, error veritati, contumaciæ obedientia, Deus homini debet; debemus & nos morem mutare nostrum, & vestrum amplecti. At si homo loquentem per miracula audire Deum debet, si obsequi Patribus, si anteponere veritatem errori, si totius habere rationem potius quam partis, si denique flumina minora in mare devolvi debent; debetis & vos Romanæ ecclesiæ in celebrandis festis consuetudinem admittere. Et admittetis, si patrum vestrorum insistere vestigiis placeat. Orta enim olim primis ecclesiæ temporibus super celebratione Paschatis christianos inter controversia, B. Polycarpus Smyrnensis episcopus S. Joannis Evangelistæ discipulus, non satis habuit audiisse apostolum, eumque apostolum quem diligebat JESUS; at sui esse officii judicavit eum consulere, cui, magistro suo præsente, JESUS oves suas pascendas tradidit. Quamobrem Anicetum adiit, ab eoque celebrandi Paschatis regulam accepit. Theophilus postea Cæsareæ in Palæstina archiepiscopus Romam quoque se contulit, ab Victore pontifice mandata super eadem contentione finienda quæ-

Græci Latinos in celebrando Paschate debent imitari.

siturus. Nicæna quoque synodus CCCXVIII. Patrum, quid facto opus edicens pro Paschate temporibus suis peragendo, quid observaret Romana ecclesia attendit, jussitque ecclesias omnes cæteras, illius sese accommodare consuetudini. Vide Socratem & Theodoretum Historicos Græcos. Atque ut de nostris exemplum quoque proferam; scribit venerabilis Beda Hist. eccl. l. 3. c. 25. excitatam in Anglia anno Christi 664. de faciendi Paschatis legitimo tempore controversiam. Disceptabant acriter super ea re Wilfridus presbyter & Colmanus monachus. Litem omnem rex ingeniose & uno pene verbo diremit. Sciscitatus enim, an uterque contendentium verba illa, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; ab Christo dicta apostolorum principi fateretur; cum ambo ita se credere ac profiteri respondissent. *Et ego*, inquit rex, *ego vobis dico, quia hic S. Petrus est ostiarius ille, cui nolo contradicere; sed in quantum novi & valeo, hujus cupio in omnibus obedire statutis, ne forte me adveniente ad fores regni cælorum, non sit qui reseret averso illo qui claves tenere probatur.* Hanc regis sententiam exceperunt assensu uno omnes, ac nemini visum est recedendum ab apostolicæ sedis laudata in celebrando Paschate consuetudine: neque metuendum est ab summo judice Christo Domino, si nos ejus oves, illum quem præposuit nobis, pastorem audierimus, fuerimusque, quo duxit, secuti. Est vero metuendi ratio gravissima, si oves cum simus Petro concreditæ, Petrum per suos successores pascentem, neque sequi, neque audire velimus. Tum *Nicolaus* religiosos suos cœnobitas contuitus: Mihi, inquit, ii videntur peccare non parum, qui Latinos temere arguunt: summa enim sapientia res suas ex Dei ecclesiæque mandatis moderantur. Superest ut religiosissimi illi patres qua sit ratione instauratum calendarium exponant, tum suum jejunandi morem nobis aperiant & probent. Multa enim habent in usu quæ christianorum natio nulla observat. De calendario emendato recitabo, inquit *Romanus*, quæ sunt brevissime ab Ricciolo nostro & accuratissime collecta. *Vitium calendarii veteris anno 1260. detexit Joan. de sacro Bosco, ac deinde Joan. de*

Saxonia, & Robertus Lincolniensis episcopus, regulas quasdam scripserunt pro reformando calendario, & postea Petrus Philumena & Nicephorus Gregoras, & anno 1372. Isaacius Argyrus, & in concilio Constantiensi Petrus de Aliaco cardinalis & episcopus Cameracensis anno 1414. & in concilio Basileensi Nicolaus cardinalis Cusanus ann. 1436. 1439. & 1460. Postea Joannes Regiomontanus a Sixto IV. ad id negotii Romam evocatus obiit 1476. & sepultus est in Pantheone. Postea errores calendarii relati rursus sunt ad Leonem X. & ad concilium Lateranense annis 1513. & 1516. scripsitque tunc ad Leonem X. Paulus Mildeburgensis, episcopus Forosemproniensis suam summam, & Joannes Stocferinus, Albertus Pighius, & Joannes Echius, rogantes & Maximilianum II. imp. ut hoc negotium susciperent, suam formam reformationis exhibentes, quam postea imminente concilio Tridentino exhibuit ex sua intentione Petrus Pyratus & Lucas Gauricus, aliique, rogantes Pium IV. ut in hanc reformationem incumberet. Itaque ex ejus nutu decreta fuit hæc reformatio in concilio Tridentino. Eaque occasione Campanus, Joseph Molatius, Joseph Zarlinus sua de hoc scripta evulgarunt. Convocatis denique Romam harum rerum peritioribus, & per decennium discussis variis formulis prælata est ea, quam Aloysius & Antonius Lilius fratres excogitarunt: missa ab Gregorio XIII. ad reges, principes, & respub. placuit, & anno 1582. summo consensu recepta est. Hæc ita Ricciolus. De nostro jejunandi more pomeridianis horis dicemus. Sentio enim nunc alio vos evocari.

DIALOGUS XIII.

De jejunio Latinorum.

CUM convenissent pomeridianis horis ex pacto, qui tempore matutino adfuerant, *Methodius* Latinos sacerdotes compellans, Haud scio, inquit, unde factum sit, cur vos ab reliquis christianorum nationibus sic in jejunannando recesseritis, ut nulla vobis, ne Maronitana quidem, quæ tota vestra est, consentiat. Jejunatis sabbato: feria IV. non abstinetis ab esu carnium: pisces, & quibusdam in locis

lacticinia quadragesimali tempore comeditis; solvitis meridie jejunium, & religiosi apud vos monachi extra jejunii dies vescuntur carnibus. Mirum est, reposuit *Ignatius*, id arguere te, quod in vobis alii pariter arguant, & in qualibet secta christiana. Alia enim Græcorum sunt, alia Armenorum, Surianorum alia, alia Maronitarum, Nestorianorum alia jejunia. Græci hebdomadis ante quadragesimam duabus id agunt quod christiani nulli alii; altera enim tota carnem manducant, tota altera lacticiniis utuntur, ne exceptis quidem feria IV. & VI. Armenis & Nestorianis olei & vini usus non licet; licet nunc Græcis. Licet Armenis, Maronitis, Surianis, Nestorianisque carnium esus & lactiniorum ab Paschate ad Ascensionem Domini; Græcis non licet. Carnibus vescuntur Suriani IV. feria & VI. horis vespertinis, quod nefas aliis christianis. Armeni jejunia sic per annum sua distribuunt, eoque ritu jejunant, quo præter eos nulli alii. Nestoriani in honorem apostolorum jejunant dies 50. & totidem alios in prophetæ Eliæ venerationem; quod minime fit a Græcis. Hoc ad vitandam prævaricationis labem satis, quod in jejunandi admittenda lege conveniant, etsi in servandæ legis ritu discrepant. Ista enim rituum varietas non minus ad splendorem confert ecclesiæ, quam juvat ad pulcritudinem corporis varietas quam cernimus, membrorum, & ad vestis venustatem eorum, quibus intexitur, discrimen colorum. Est enim Christi ecclesia, regina illa quam hinc commendat vates regius ps. 44. *Adstitit*, inquit, *regina a dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate*. Græci ipsi non eodem ritu jejunant. Testatur Socrates l. 5. c. 22. alios jejuniorum tempore solere vesci piscibus, alios avibus etiam quasi piscium more, ut tradit Moses, ex aqua prognatis, alios ova sola fructusque edere, panem alios, alios ipso etiam pane abstinuisse. Nunc in Moscovia Græci pisces edunt quadragesimali tempore. Constantinopoli, Alexandriæ, Jerosolymis jejunium meridie nunc solvunt: idque II. IV. & VI. dumtaxat feriis; diebus enim aliis sibi licere putant, qua placet hora, & edere & bibere, vel summo mane; nec valde creditur peccare, qui etiam recensitis modo feriis jejunium ante meridiem solveret. Olim absti-

Christianorum gens nulla in jejuniorum ritu cum alia convenit.

Suam in jejunandi consuetudinem Græci sæpe mutarunt.

nebant a vino omnes, teste Joanne Chrysostomo homilia VIII. de pœnitentia; producebant ad vesperam jejunium, si Basilio magno credimus. Immo Tertullianus l. contr. Psych. c. 13. stationum jejunia qualibet IV. feria & VI. ut mos tum erat, celebrata *semi-jejunia* appellat: quasi quadragesimalia duntaxat quæ prorogabantur ad vesperam, vera essent & solida jejunia. Et si qua fides libello huic, quem Horologii nomine appellatis, ita scribitur ad calcem de jejuniis Græcorum. *Quinquagesimus*, inquiunt, *sacræ Laodicenæ synodi canon sic habet: Non oportet ultima sanctæ quadragesimæ hebdomada feria* V. *solvi jejunium, & toto quadragesimæ tempore negligenter agere. Verum oportet sacram omnem quadragesimam explere jejuniis. Neque ullo cibo utantur nisi arido & sicco.* Quis eum nunc temporis ritum observat? Alias quoque, ut aiunt, teste Michaele patriarcha, *jusserunt apostoli post Deiparæ obitum, ut in ejus honorem quadragesimale jejunium aliud celebraretur, ab* VI. *Julii die, ad* XV. *Augusti. Neque enim ætate illa ullum præmittebant natali Christi jejunium.* De suis præterea jejuniis Græci sic loquuntur e scriptis Matthæi philosophi. *Quadragesimale in primis jejunium*, inquiunt, *quo Paschati præitur, solum præceptum est ab initio. Jejunia vero reliqua si extitissent, ea commemoraret canon apostolorum* XLVII. *At quod spectat cætera illa jejunia, apostolorum scilicet, & B. Virginis, & natalis Domini, nemo nos, meo quidem judicio, qui recte sentiat, arguendos propterea existimabit.* Audi etiam quid de Græcorum jejuniis Gregorius Hieromonachus protosyncellus, qui & patriarcha Constantinopolitanus, contra Marcum Ephesium, scribat: *Non novit igitur, ut videtur, eximius ille vir, quod & in hac magna civitate variæ sunt consuetudines jejuniorum & ecclesiasticorum rituum: sunt enim qui ante Christi natalem jejunare incipiunt die 14. Novembris, alii Decembris 6. & 20. alii sunt qui jejunium Calendis Maiis in honorem ascensionis Dominicæ inchoant, & alii alia servant jejunia, & in quadragesima alii sabbato & dominicis diebus pisces comedunt, alii aliis etiam diebus, alii penitus abstinent. καὶ οἱ μὲν τὰ σάββατα καὶ τὰς κυριακὰς ἁγίας καὶ μεγάλης τεσσαρακοστῆς ἰχθύας ἐσθίουσι, ἕτεροι δὲ καὶ ἄλλας ἡμέρας, ἄλλοι δὲ τούτων ἀπέχονται.* Deus bone! Quæ major fingi potest in

jejunando consuetudinum rituumque varietas, & mutatio, quam quæ extitit apud Græcos! Vide Socratem lib. 5. c. 22. Nemo tamen nostrum litem illis ea de causa movit. Neque enim nescimus quod præcipit apostolus Rom. 14. *Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet. Is qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit; stabit autem: potens est enim Deus statuere illum. Nam alius judicat diem inter diem. Unusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit, & qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo: nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur: sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur: sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Quæ cum ita sint, eaque Græci legant, & legantur ipsis dominica ea, qua relictis carnibus caseo & lacticiniis viam sibi ad quadragesimam muniunt; unde est, ut contra Pauli & ecclesiæ suæ mandatum *judicent manducantes, diemque inter diem judicent*, & vetent sabbatis jejunari. Non est hæc, subjecit *Nicolaus*, ab nobis imposita lex, ne sit sabbato jejunium. Sanxerunt id apostoli canone e suis LXV. quem & Trullana synodus canone LV. renovat. Fac, reposuit *Ignatius*, ita statuisse apostolos temporibus suis necessitate compulsos, tum quod placebat Judæos sabbaticæ quietis amantiores demereri, & adducere sensim, hac relicta lege, ad Christi jugum; tum quod edocente Spiritu sancto forte prænoverant futuros paullo post hæreticos qui dicerent, Deum illum, qui corporata condidit, & quievit die VII. minime esse colendum, imo in ejus odium, quo die quievit jejunandum esse & laborandum. Verum quæ sunt ab apostolis olim in canonibus suis præcepta, non nescis ea mutatis temporibus ad magnam partem mutata apud ipsos Græcos, ut ipsa canonum lectione facile quivis videat. Atque ut omissis majoribus minimum quid, quia magis ad rem facit, commemorem; num imperat canon LXIX. quartæ

Licet jejunare sabbato.

ac sextæ feriæ jejunium, neque tempus ullum excipit; Excipiunt tamen Græci, nec jejunium illud observant, tum paschalis festi hebdomada 1. tum ea quæ est Pentecostes, totoque illo tempore, quod ab natali Domini ad Epiphaniam decurrit, & duabus illis hebdomadis, quæ quadragesimale jejunium propius attingunt. Quod facimus, inquit *Nicolaus*, probante & concedente ecclesia facimus. Et id quidem, reposuit *Ignatius*, contra apostolicum canonem. At canones apostolici, subjecit *Nicolaus*, nihil aliud sunt, quam leges ab ecclesia positæ, quas, ut potuit ecclesia pro libito condere, moderari quoque ad arbitrium potest & mutare. Neque enim minus nunc autoritatis habet ecclesia, quam tum habuit. Responsum hoc tuum accipio, inquit *Ignatius*, idemque illud tibi refero. Legem potuit ecclesia ponere, ne sabbato jejunaretur, ut potuit jubere feriæ IV. & VI. jejunium. At quemadmodum potuit, quibus voluit per annum diebus, legem hanc tollere, potuit & illam sabbatici jejunii pro voluntate mutare. Quot enim alias pro rerum statu ac temporum conditione mutavit? Epistolarum Pauli, refragante nemine, major est autoritas, quam apostolicorum canonum. Quid jubet Paulus 1. Timoth. cap. 5. *Vidua deligatur non minus sexaginta annorum*, quæ scilicet diaconissæ fungatur munere. Et canone LXXIV. Nicænæ synodi, ut refert Franc. Turrianus, idem cavetur. Mutavit legem hanc in Chalcedonensi concilio ecclesia, ejusque deligendæ quæ XL. annorum esset, potestatem fecit. Quin &, si Zonaræ habemus fidem, in canone XIX. Nicænæ synodi licuit dispensante episcopo eas consecrare quæ XXXV. imo & XXX. annis minores essent. Sublatæ demum postea ab ecclesia diaconissæ. Quamvis ergo vere fuisset ab apostolis editus canon ille de jejunio sabbati; potuit illum ecclesia, ut alias multas etiam apostolicas leges sapientissime mutare. Itaque si pertendis obstinate canonem illum esse verum, dabo hoc; sed mutatum autoritate ecclesiæ affirmabo. At eruditorum hominum nemo pro vero eum habet. Nullus enim sanctorum patrum ejus meminit. Imo Epiphanius qui, nisi fallor, non nesciebat apostolicos canones, in expositione fidei dominicam diem,

Ecclesia pro rerum & temporum varietate varias consuetudines inducit.

Nullus est apost. canon de jejunio sabbati.

jejunio eximit ſolam, uti & Gangrenſis ſynodus canon. XVIII. ſabbatum exemiſſet ſimiliter, ſi ita fuiſſet ab apoſtolis ſancitum. Neque edixiſſent in Occidente Petrus & Paulus apoſtolorum principes, jejunium ſabbato, ut eos feciſſe tradunt Auguſt. epiſt. 85. & Innocent. papa ep. 11. Conſentit recentior autor Græcus Zigaras, ubi narrat dominica die Simonem magum ab B. Petro ex alto dejectum, cum pridie jejunium induxiſſet. Unde noſtram jejunandi in ſabbatis tradit emanaſſe conſuetudinem. Certe Socrates veſter l. 5. cap. 22. Romanos ſcribit ſabbatis omnibus jejunare: πᾶν Σάββατον νηστεύουσι. Ex quo intelligas, cum hic ibidem ait Romæ non fuiſſe in quadrageſima ſabbatis jejunatum, Romæ nomine non illam veterem, ſed novam, Conſtantinopolim ſcilicet, appellari. Ego, inquit *Methodius*, in veſtri gratiam ſic dicerem; vobis per apoſtolos jejunium hoc licuiſſe, vetitum nobis per eoſdem. Neque id temere, aut levibus de cauſis. Cum enim hic Judæis immixti degeremus, quos allicere ad fidem opus erat, voluerunt honorem haberi ſabbato, ut propiores nobis Judæos facerent, ſi ipſis nonnihil nos juberent accedere; quod abs te mox audiebam, & probavi. Vexat multos Ignatii Antiocheni epiſcopi autoritas, quod in ſua ad Philippenſes epiſtola pronuntiet, eos qui ſabbato jejunant, ſi ſabbatum majoris hebdomadæ excipias, Chriſtum rurſus cruci affigere: οὗτος Χριστοκτόνος ἐστί. Chriſti inquit, interfector eſt. At ex eo quod mox aiebas, & memini me in Epiphanii de hæreſibus libro, hæreſi 41. legere, commode explanatur. Erant enim qui ſabbato ea mente jejunabant, ut corporatorum deo, quem dicebant & malum eſſe, & ſabbato quieviſſe, quantum poterant, adverſarentur. Illos ait Ignatius Antiochenus hoc ſuo hæretico jejunio graviſſime peccare. Adde, Ignatium quoque, cum reſpiceret fore, ut Judæi hoc ſabbati jejunio vehementer offenſi ab amplectenda Chriſti fide omnino deterrerentur, ſcripſiſſe, ab iis denuo crucifigi Chriſtum qui ſabbato jejunarent, quippe qui jejunio illo ſuo minime tunc temporis neceſſario, illum perderent, pro quo Chriſtus mortuus eſt, Chriſtumque adeo in homine Judæo fidem propterea repellente, quaſi interimerent. Non capio, inquit *Ignatius*, quomodo

Explicatur difficilis S. Ignatii Antioch. locus.

quomodo e vestris quidam sic abhorrent ab jejunio sabbati, ut non vereantur male illis dicere, qui sabbato jejunant. Sciunt enim Paulum anachoretarum principem, Antonium magnum, Simeonem stylitam, Mariam Ægyptiam, & quot alios e Latinis, quos sanctos habent, & publico in templis suis officio venerantur, sabbato jejunasse. Latinis porro illis antiquiorem esse in Romana ecclesia sabbato jejunandi consuetudinem patet, tum ex Aug. epist. 85. tum ex Hieronymo ep. 28. ad Lucinium. Recita, quæso, inquit *Romanus*, Hieronymi verba ipsa: præclare enim de re proposita definit. Quæsierat, inquit *Ignatius*, quæsierat Lucinius ille ab Hieronymo de jejunio sabbati; sic respondit Hieronymus: *De sabbato quod scribis, utrum jejunandum sit.......... ego illud te breviter admonendum puto, traditiones ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiant, ita observandas, ut a majoribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subverti. Atque utinam omni tempore jejunare possimus: quod in actis apostolorum diebus Pentecostes, & die dominica apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus. Nec ideo Manichæorum hæresis accusandi sunt, cum carnalis cibus præferri non debuerit spiritali...... Nec hoc dico, quod dominicis diebus jejunandum putem, & contentas quinquaginta diebus ferias auferam; sed unaquæque provincia abundet in suo sensu, & præcepta majorum leges apostolicas arbitrentur.* Hieronymo juvat Augustinum accensere. *Alia vero,* inquit ep. 118. *quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quod alii jejunant sabbato, alii vero non: alii quotidie communicant corpori & sanguini Domini: alii certis diebus accipiunt. Alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur: alibi sabbato tantum & dominico: & si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes.* Nihil proferri, inquit *Nicolaus*, ad solvendam quæstionem accommodatius potest. At quæ movit ad jejunium illud instituendum ratio? Dic tu, reposuit *Ignatius*, quæ Græcos impulerit ad feriæ IV. jejunium? Canon, subjecit *Nicolaus*, canon apostolicus, si non scriptus; scriptum enim negas: at certe traditus. Merito autem illud, quia feria IV. Judas de prodendo Judæis Christo pactus est. Majus ego aliquid,

Cur sabbato jejunetur.

inquit *Ignatius*, tibi profero. Movit enim ad jejunandum sabbato Christi autoritas. Sic enim Matth. cap. 9. loquitur: *Non possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus. Venient autem dies, cum auferetur ab iis sponsus, & tunc jejunabunt.* Audin' jejunaturos Christi discipulos diebus illis, quibus ablatus ipsis sponsus est? Dies autem illos quos esse dices, nisi feriam VI. & sabbatum? Nempe Christum Dominum habuerunt in potestate Judæi, eumque abstulerunt discipulis feria VI. qua cruci est affixus, & sabbato, quo apposita custodia in sepulcro detentus est, sanctissima interim matre & discipulis summo in luctu planctuque degentibus. Ac præterea Petrus, ut aiebam, Simonem magum profligaturus jejunium illud imperavit, & hinc quoque devolutam ad nos & constitutam jejunandi sabbato consuetudinem tradiderunt scriptores. Esse porro Deo gratissimam miraculis non paucis palam factum est. Insigne fuit quod refert Cæsarius l. 7. c. 39. de latrone illo Tridentinæ regionis, qui cum religiosi cujusdam viri consilio statuisset sabbatis singulis in B. Virginis honorem jejunare, idque servasset; captus postea, & capite plexus est, peccatis confessione privata atque publica deletis. Tum in campum cadaver abjectum est, & humo conditum. Ecce tibi autem de nocte lumen admirabile loco affulsit. Eo cum accessissent virgines quatuor formosissimæ aperto tumulo, caput relicto corpori restituunt & annectunt; corpus in arcam opere eximio confectam involutum purpura deponunt; indeque ad civitatis deferunt fores, accensa in cujusque manu face. Præerat quatuor illis una alia cæteris forma & majestate nobilior. Expaverunt vigiles ad aspectum: sed revocatis animis jubentur ab augustissima regina illa, quæ se Deiparam Virginem prodidit, monere episcopum, ut clientem illum suum perhonorifico in sacra æde loco sepeliat. Monitus episcopus, postridie mane jussis obtemperat, miratus & caput corpori redditum, connexumque, & arcæ, purpuræque, qua continebatur cadaver, elegantiam. Quo miraculo permoti bene multi sibi spontaneum sabbatis singulis ad cultum B. Virginis jejunium indixerunt. AD JEJUNIUM illud quod attinet, inquit

Nicolaus, fecisti hactenus satis: sed mirum est jejunii vim piscium esu & lacticiniorum etiam, quibusdam certe in regionibus, a vobis infringi. Verbo reponam, inquit *Ignatius*, a nobis non magis quam ab Moscovitis Græcis infringi. Piscibus enim in quadragesima vescuntur, nec ea satis habent ad victum olera, quibus abundant; & usos olim christianos esse non paucos modo referebamus e Socrate. Deinde quo responso refellent Græci Armenos, si exprobrent Græcos jejuniorum suorum vim olei vinique usu, addo & coctionis elidere? Neque argui immerito id videtur, cum Græci in Horologii sui calce fateantur sibi ab Laodicena synodo præceptum, ut nullo nisi arido cibo jejunium quadragesimale decurrant; Græcisque Chrysostomus scribat ab vino tunc penitus abstinendum. Quin & Græcorum Typicon & Horologion certis jejuniorum diebus licere monent, & comestionem duplicem, & olei usum, aliaque hujuscemodi, unde constat diebus cæteris non licere. Fecerunt tamen sibi licitum; ut & licere sibi putarunt quater & amplius in anno carnes feria IV. & VI. comedere contra canonem quem volunt esse apostolicum. Amabo vos: quo jure fit, ut qui magis jejuniorum rationem suo ipsi testimonio quam alii quilibet immutarunt, de jejunio litem Latinis moveant, qui ab majorum institutis minime recedunt? Qua enim in synodo præceptum illis est, ne pisces edant, ne, etiamsi desit oleum, lacticiniis utantur? Lege decretum Telesphori papæ anno 134. quo nihil vetatur aliud, nisi carnis usus. Cur non audiunt monentem Paulum Rom. 14. *Qui non manducat, manducantem non judicet.* Quid distant pisces illi quos adhibemus ad mensam, ab piscium ovis & visceribus, ab illis ostreis & piscibus nesciocujus generis, quibus ipsi mensas, si ita lubet, & stomachum onerant? An nesciunt in hoc maxime positum jejunium christianum, ut una duntaxat vice comedatur? Dicentne non jejunasse olim Judæos, quod, licet die toto nihil cibi attingerent, carnibus utebantur ad cœnam? Jejunasse tamen illos sacræ litteræ testantur. Bene est, inquit *Nicolaus*: feramus id in laicis. At quis ferat monachos & religiosos viros per anni decursum carnes edere, quod apud vos usuvenit? Feret id,

Latinis licet pisces quadragesimæ tempore edere, & nonnullis in partibus lacticinia.

Carnibus vesci non est religioso viro indignum.

respondit *Ignatius*, qui religiosorum principes apostolos carnem manducasse e sacris codicibus acceperit, imo id Christi consilio quasi injunctum, Luc. 10. *In quamcunque civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.* Et Act. 10. magnum e cælo summittitur Petro linteum, in quo erant *omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli: & facta est vox ad eum: Surge, Petre, occide, & manduca.* Et Paulus 1. Corinth. c. 8. *Si esca*, inquit, *scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Feret id qui Christum Dominum religiosorum hominum caput & exemplar carnem manducasse noverit, uti sacra evangeliorum volumina contestantur. Manducavit enim paschalem agnum cum suis: ut cætera prætermittam, quæ illi instituta sunt variis in locis, convivia. Feret id qui hanc ab carne abstinentiam novo, non veteri jure Græcis religiosis præceptam e Græcorum ipsorum Annalibus didicerit. Audi Zigaram vestrum. Imperante, inquit, Theophane Augusta provinciale habitum est concilium, qua vetitus monachis carnium esus est. Rem, quemadmodum gesta est, enarro. Sabbato sancto cum sese Augusta in cœnobium quoddam missæ audiendæ gratia contulisset, templum ingressa neminem nisi sacerdotem unum, æditutum & cœnobii præsidem reperit. Obstupuit eo die monachos hinc abesse, accersit æditutum, sciscitatur de monachis, cur absint, ubi degant. Ille occupatos in horto respondit apparandis in crastinum diem cibis. Quo cum deduci se jussisset, monachos invenit, omnes prope tinctis sanguine manibus; cum illi agnos, hi vitulos, alii ex omni animalium genere jugularent, pelles alii plumasque detraherent. Ægerrime id tulit Augusta, doluitque religiosos viros, sacro missæ sacrificio, quod est immortalium ac divinorum animorum alimentum, abfuisse, ut vacarent instruendis caduco corpori epulis. Siluit tamen, dum festi dies abirent. Dominica vero ea quæ Pascha proxime excipit, vocatis patriarcha, episcopis, aliisque e clero non paucis, synodus provincialis habita est. Tum Patres monuit minime decere, neque vero oportere ab monachis carnes edi, quippe qui mundo, iisque quæ mundi sunt, remiserint nuntium, atque in mortuorum numero censean-

tur. Probavit synodus Augustæ sententiam, voceque unà sancitum est, ne monachi carnes ederent. Quam legem scripserunt & obsignarunt. Hæc e Zigara pene ad verbum. Paucis absolvam. Non in eo posita est religiosæ vitæ ratio, ut quis carnem non attingat. Eo continetur, ut quis abjectis opibus Christum pauperem pauper sequatur; voluptatibus repudiatis castitatem colat; & dimissa ad præsidis nutum voluntate, obedientia duce regatur. Propono, inquit *Nicolaus*, difficiliorem nodum, quem ubi docte pro Latinorum more exolveris, secedemus ad quietem. Suffocatorum & sanguinis esus apostolica lege in Jerosolymitana synodo vetitus est, cur legem adeo gravem non veremini infringere. Propono ego tibi, subjecit *Ignatius*, nodum non absimilem quem teneris solvere; nec potes, quin solveris illum tuum. Num est apostolica lege cautum, ut vidua deligatur ad diaconissæ officium non minus sexaginta annorum? cur deligi permittit Chalcedonensis synodus eam quæ sit quadraginta? Dicebamus modo, inquit *Nicolaus*, mutare ecclesiam posse quod est ab apostolis institutum: quia etsi fieri hoc nisi ægre non debeat, fieri tamen nonnunquam necesse fuit, rerum ac temporum conditione mutata. Sic reponam, inquit *Ignatius*, canonem de suffocatis apostolicum, eo, quo conditus est, tempore, ad Judæorum conciliandos animos necessarium, mutatis temporibus, & dominante Christi religione, mutari ab ecclesia debuisse, ne obstringi etiamnum legis antiquæ mandatis, & gravi illo, ab quo nos Christus exemit, premi jugo videremur. Augustini certe ætate in Africanis partibus, hæc apostolica constitutio, ut testatur ipse, desierat observari, vidente ac probante ecclesia. Adjungo suffocatorum esum non fuisse ecclesiæ Christi universæ prohibitum, sed Antiochenis duntaxat circumque adjacentibus populis, ubi exorta de legalibus contentio turbas moverat, & offenderat Judæos, institutorum veterum amantiores. Lege in Actorum capite XV quibusnam canonem hunc scribant. *Apostoli, inquiunt, & seniores fratres,* HIS *qui sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex gentibus, salutem.* Non scribunt totius orbis fratribus, sed illis paucis, quos ne teneri quidem hac suffocatorum ob-

Suffocata & sanguinem licet edere.

l. 32. contr. Faust. c. 13.

ſervatione, uti nec ulla veteri & Moſaica lege demonſtrarat Petrus. Et demonſtrat ſatis Jacobus, cum ait ſcribendum illis eſſe, ut abſtineant. Etſi enim non obligabantur ex lege Chriſti, voluerunt illos levi iſta lege ad tempus ſaltem aſtringi: & viſum eſt hoc illis imponendum oneris, quod neceſſe illud tunc appareret demulcendis Judæorum animis, Chriſtoque conciliandis. Hanc rationem nimirum affert Jacobus cum ait: *Moyſes enim a temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in ſynagogis, ubi per omne ſabbatum legitur.* Unde concludendum relinquit graviſſimum hoc Judæis fore, ſi omnem ejus legem aboleri ſtatim animadverterent, maxime de ſuffocatis. Hoc unum quippe illa ejus ratio innuit, aut certe, quod vel cogitare nefas eſt, Moſis legem chriſtianis eſſe ſervandam efficit. Suaſit porro Jacobus averti ab ſuffocatis: cum enim ab iis omnino Judæi abhorrerent, ſi chriſtianos iis uti deprehendiſſent, eorum fuiſſent ſocietatem execrati. Denique ea lege, eoque canone chriſtianos omnes non obligari, argumento etiam eſt, quod ibidem vetetur pariter idolothytorum eſus, quem licitum tamen Paulus docet 1. Cor. c. 8. *Neque*, inquit, *ſi manducaverimus*, (idolothyta ſcilicet, de quibus quærebatur) *abundabimus; neque, ſi non manducaverimus, deficiemus. Videte autem ne forte hæc* LICENTIA VESTRA *offendiculum fiat infirmis.* Si vetitus eſus ille eſt chriſtianis omnibus, quomodo licitum eſſe Paulus aſſerit, Paulus, inquam, qui adfuerat in concilio, qui miſſus Antiochia ad apoſtolos, qui ab apoſtolis Antiochiam remiſſus promulgandi canonis cauſa fuerat. Cæterum cum lex illa Judæis ad fidem alliciendis peropportuna viſa eſſet, multis aliis in locis ſuſceptam eſſe varia ſynodorum variarum decreta oſtendunt. At poſtquam illorum concidit natio execranda, & aucta eſt in univerſo terrarum orbe Chriſti religio, has legis antiquæ, quam ſervare non licet, reliquias chriſtiani dimiſerunt. Nihil opus eſt, inquit *Romanus*, ut rem ex ſeſe planam uberiore ſermone ſapientiſſimis patribus explices; ſatis effulget ex hoc quo utuntur *imponendi* verbo, cum aiunt apoſtoli *id ſe tantum imponere oneris*: ſatis, inquam, elucet, hoc eſſe præceptum apoſtolicum ſeu eccle-

ſiaſticum mandatum, quale eſt abſtinentia a carnibus feria VI. quod cum immutare certis quibuſdam anni diebus eccleſiæ Græcæ licuerit, licuit & iſtud, ut multa alia omni tempore. Apoſtolos vero hac uſos cum Judæis benignitate conſtat ex Pauli facto, qui ſibi Timotheum aſſumens eum circumcidit *propter Judæos*, qui erant in illis locis, Act. 16. cum ipſe tamen Galatis ſcribat: *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Nunc vale ornatiſſimis iſtis patribus dicendum, & agendæ pro tanta ipſorum erga nos humanitate gratiæ. Die enim craſtina proficiſcendum nobis eſt. Hic exurgens *Nicolaus*, & utrumque maxima benevolentiæ ſignificatione complexus, Noſtrum eſt, inquit, vobis rependere quas poſſumus gratias, ab quibus non fuimus cohoneſtati modo, ſed edocti. At beneficium a vobis nunc etiam aliud exigimus, ut qui tot dies ad colloquendum conceſſiſtis, unum ſaltem ad valedicendum tribuatis.

DIALOGUS XIV.

De ſculptis extanti opere imaginibus & ſigno crucis.

CUM hæc Græcorum hominum ſingularis neque dum viſa humanitas, tum vis imbrium vehementiſſima quæ triduum obtinuit, Romano Ignatioque diſceſſum cogitantibus fuit in mora. Quamobrem pro more, ubi perſoluto divino penſo, otium fuit, ad ipſos *Nicolaus* cum ſuis convenit, & apprecatus fauſtam lucem, Videtis, inquit, patres colendiſſimi, quam nobis faveat hoc diluvio Deus, unde terræ ubertas, nobis doctrinæ veſtræ fructus accedet. Superſunt perpauca, quæ rogare vos veſtris de rebus, niſi grave eſt, velimus, ne quis ultra incurrat obex mutuæ inter nos conſenſioni & optatiſſimæ paci. Cum pergratum hoc ſibi accidere uterque ſignificaſſet. Quæſivit primum *Nicolaus*, quo jure ſculptas e ligno vel fuſas ære aliove metallo imagines Franci erigerent, & venerarentur. Pari, inquit *Ignatius*, atque vos jure. Nam etſi hujuſce formæ vidi apud vos non admodum multas, vidi tamen non paucas. Sacros evan-

Sculptarum imaginum usus licet, etiam Græcos.

geliorum codices argenteis crucibus ſoletis ornare, quibus Christi imaginem argento fuſam & extantem ut plurimum affigitis. Præſules dum ſacris operantur, ſæpe quoque crucem manu deferunt eleganti opere e ligno excavatam & exſculptam, cujus in ſinu varia religionis myſteria affabre exciſa prominentibus figuris conſpeximus. Cruces ipſas adhibetis pleraſque non pictas duntaxat, ſed deſectas e ligno, aut e metallo effectas. Cumque non ita pridem agerem Damaſci, ſecum e Moſcovia candelabrum eximium illuſtriſſimus patriarcha Macarius attulit, cujus in vertice crux ænea Christi imaginem ſolidam & extantem offerebat. Hæc cum diceret *Ignatius*, acceſſit e vicina civitate neſcioquis, & aulam ingreſſus cœpit proſtrato ad terram corpore bis terve Nicolaum venerari, & acceptam ejus dexteram exoſculatus juſſit, quem adduxerat, ſervum, ſacculum ſericum aperire, unde extractum evangeliorum volumen abbati porrexit, legavitque cœnobio in perpetuum munus. Erat concinne compactus liber, & laminis munitus argenteis, quaque parte plebi obvertitur, cum defertur per templum, argentea in medio tabella Christum exhibebat ſolido & extanti opere cruci appenſum, & opere conſimili Mariam hinc Deiparam, Joannem inde dilectum diſcipulum ipſi adſtantes. Poſtquam abſceſſit qui librum attulerat; Palam eſt, inquit *Ignatius*, quod affirmabam modo, prominentis ac ſolidæ formæ imagines uſurpari apud vos. Habetis illas hoc ſacro in libro. Et, ſi fas eſt dicere, id imaginum genus in te ipſo aſpeximus. Cur enim vir ille bonus ad terram uſque provolutus tibi venerationem eam detulit, qua deferre Chriſto majorem vix poſſet. Tene conſtituit ſibi Deum? Abſit, inquit *Nicolaus*: ſed tenuitatis oblitus meæ, expreſſam in me ſacerdotii charactere & autoritatis nota Chriſti formam veneratus eſt. Nam ſi vir uxori ſuæ *imago & gloria Dei eſt*, ut Pauli verba adhibeam; jure certe potiori eccleſiæ ſacerdotes, & maxime antiſtites, idipſum ſunt chriſtianæ plebi. Et vero ſui nos imagines effinxit Chriſtus, cum dixit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos recipit, me recipit*. Præclare omnino, & aſſentior, repoſuit *Ignatius*. At ſi licet Chriſtum in vivis iſtis imaginibus ita colere, ſi licet in mortuis tabellis & planis depictum; quam ob rem

1. Cor. 11.

non

non liceat in ſtatuis exhibitum? In cauſa eſt, inquit *Nicolaus*, quod ſtatuæ præ ſe idolorum ſimilitudinem ferunt. Ad eum enim modum exſculpta e ligno, aut metallo fuſa proponebantur ad cultum. Et tibi forte conſtat, ſubjecit *Ignatius*, idola penicillo depicta in tabulis, nullam habuiſſe venerationem? Mihi minime dubium eſt habuiſſe: ac proinde, ſi abjiciendæ ſunt ſtatuæ, pictas perinde tabellas procul mittendas. Neque, opinor, alia de cauſa pictas apud vos imagines Iconoclaſtæ tanta veſania confregerunt, quam quod non idolis modo ſimiles dicerent, ſed idola; nec ullum ſtatuas inter pictaſque imagines ab idolorum cultoribus diſcrimen poſitum intelligerent. Audite me, ſi quid eſſet in exſculptis imaginibus retinendis vitii vel periculi, nec uti liceret niſi planis & pictis, dixiſſet id ſine dubio Patrum aliquis, & in primis eruditus ille imaginum defenſor S. Joannes Damaſcenus; certe monuiſſent ſanctiſſimi CCL. ſynodi VII. Patres. Cumque ſeſſione 7. anathema in eos dixerunt, qui ſacras imagines idola appellarent, diſtinxiſſent ſculptas inter & pictas, hiſque admiſſis, illas annumeraſſent idolis. Plane aliter ſtatuit divina ſynodus, definitque imagines qualibet ſint e materia efformatæ, religioſe colendas. Atque id cum evincere ſacrorum codicum teſtimoniis aggreditur, exempla adducit, non pictarum raſis in tabellis imaginum, ſed ſculptarum & mole ſua conſiſtentium. Ipſas ejus voces accipe. Suas enim fecit, quæ erant Leontii Neapoleos in Cypro epiſcopi, dum eas ſumma approbatione excepit. *Vere*, inquit, *terribilis ſermo, qui mandat Iſraeli non facere omne ſculptile, neque iconem, neque ſimilitudinem, quæcunque ſunt in cælo, & quæcunque ſunt in terra: & ipſemet præcepit Moyſi facere ſculptilia animalia Cherubim, qui & Ezechieli plenum imaginibus, & ſimilitudinibus ſculptilium leonum, palmarum & hominum templum oſtendit. Unde & Salomon ex lege accepta figura plenum fecit templum æneis & ſculptilibus & fuſilibus leonibus & bobus & palmis & hominibus: & tamen non eſt in his reprehenſus a Deo. Si igitur me reprehendere vis in imaginibus, reprehende Deum, qui hoc facere juſſit, ut in recordationem ſui eſſent apud nos. Judæus dixit. Sed non adorabantur illæ ſimilitudines, ſi-*

Sculpta imagines non ſunt idolorum loco.

Exod. 20.

cut dii, ſed ad recordationem ſolam efficiebantur. Chriſtianus dixit: Bene dixiſti., quia penes nos ſicut dii non adorantur ſanctorum characteres & imagines & formæ. Hæc Leontius & ex eo ſacra ſynodus. Tum addit, *per ſignum crucis ſalutari & adorari crucifixum Dominum, ut veneratur imperatorem qui ſigillum ejus exoſculatur*, &c. *Et ſicut Jacob acceptam a filiis ſuis tunicam ſanguinolentam Joſeph, deoſculatus eſt cum lacrymis, & oculis appoſuit; & non veſtitum amans & honorans hoc fecit; ſed per ipſum æſtimans Joſephum oſculari & ipſum in manibus habere: ſic & chriſtiani omnes imaginem Chriſti vel apoſtoli vel martyris tenentes & ſalutantes carne, æſtimamus animo tenere ipſum Chriſtum, vel martyrem ejus.* Plura ſi placet e ſynodi actis repete. Jam quæro. Num ſtatuæ perinde ſanctorum ſunt imagines ac tabellæ depictæ? An cultus in ſculpto ligno, aut fuſo ære ſiſtit? An vero hinc ad Chriſtum ipſum, ejuſque divos pertinet? Ac, ſi rem volumus ipſam nullo partium ſtudio æſtimare, num extans imago prototypum aptius refert ac plenius? Neque vero ſi ſtatuis ſunt olim abuſi ethnici homines, continuo execrandæ & amovendæ ſtatuæ ſunt; aut deteſtanda pariter atque evertenda ſancias ſidera fere omnia, quæ ſunt ab paganis deorum in numero habita. Panem quoque repudies ac vinum, nec in ſacris adhiberi ſinas, cum ſint etiam in fœdiſſimis illorum ſacrificiis uſurpata; atque, ut ait per Leontium epiſcopum ſeptima œcumenica ſynodus, inſurgas in ipſum Deum, cujus juſſu ad arcæ latera Cherubinorum ſtatuæ ſunt erectæ. *Exod.* 20. Te ipſum denique tuoſque anathemate ferias, qui, ut memorabam initio, ſculptas quoque ac ſolidas imagines, tum in crucibus, tum in ſacris inſtrumentis defertis, ac ſingulari veneratione proſequimini. Quid eſt ergo, inquit *Nicolaus*, quod noſtros lego ſic idolum ab imagine diſtinguere, ut idolum ſit, v. g. lignum ad viri fæminæve ſimilitudinem ſculptum, cujus pedes, manus, aut alia membra manu poſſis ſecernere ac tenere; imago vero, cujus partem e corpore nullam ſeorſim accipere manu valeas? Quod & volunt S. Germanum Conſtantinopolitanum epiſcopum apud Leonem Iſauricum imperatorem definiviſſe, cum eum ab perfringendis imaginibus deducere contenderet. Sic apoſtolus Zigaras

in Compend. hist. sic Damascenus Studita serm. 2. sui Thesauri. Recentiores omnes Græcos si audias, reposuit *Ignatius*, audies permira. Ita nuper audiebam antistitem e principibus, cum non mediocri in Romanam ecclesiam odio arderet, pronuntiare hæreticos, qui Christum pingerent clavis tribus cruci affixum, ratus Latinos solemni lege, non ad arbitrium ita facere; nec ipse advertens Græcos ipsos hoc ipsum pro libito pingentes usurpare, & in ipso Calvariæ monte Christum proponere tribus clavis e cruce pendentem. At vide quam non apostolice apostolus Zigaras definiat. Si idolum est, cujus adumbrata membra manu possint apprehendi; idola fuere qui viris sanctis visi sunt angeli, & ille in primis qui cum Jacobo colluctatus est: idola fuere illa Cherubim, quæ Deus apponi arcæ præcepit; & ipse Deus idolum fuit, cum se Danieli senis in formam conspiciendum præbuit: ipsi vos quoque idola estis, cum vos vestri venerantur, uti qui Christum refertis. Et si imago illud est, cujus membrum nullum secerni manu & capi possit, pessime erravit Paulus, cum Christum Dominum, imo & virum quemlibet scripsit imaginem esse Dei. Certe Paulus iste orbis magister non aliud novit imaginem inter & idolum discrimen, quam quod hoc rei minime existentis similitudo sit, adeoque, ut loquitur Habacuc, imago falsa; (*Scimus*, inquit apostolus, *quia idolum nihil est*) illa autem verum aliquid repræsentet. Nolite existimare ita desipuisse sanctissimum ac doctissimum Germanum, quomodo ei Zigaras affingit. Et vero cum de ipso Nicephorus Callistus, Zonaras, atque Cedrenus, aliique in Annalibus enarrent multa, nemo illum sic dixisse, sic sensisse commemorat. Præterea quænam hæc est oscitantia, ut idoli significatum ad viri fæminæque simulacrum contrahas, quasi idola non fuerint quadrupedum olerumque imagines, imo bruta ipsa animantia atque olera, quibus Ægyptii, ut populos alios taceam, divinitatem tribuebant. Idolum enim est non falsi modo expressa forma numinis, sed numen ipsum falsum. Patere, inquit *Methodius*, si scripsit ex veritate Zigaras, Germanum nostrum excusem: neque enim id officit causæ vestræ. Cum sanctissimus ille vir imperatorem videret plane decrevisse sacrarum

Quodnam discrimen inter imaginem & idolum.

c. 2.


eversionem imaginum, neque revocari ab sententia omnino posse, furori ejus concedendum duxit, ut statuas quasi idola essent, deponi juberet; sineret vero usurpari pro more depictas tabellas quas ab idolorum abesse forma, cum nossent omnes, nihil erat, si asservarentur vel peccati vel periculi. Qua via cum totum non posset, partem saltem habere salvam enitebatur. Potuit quidem optare, inquit *Ignatius*, ut sibi pictas in tabellis imagines concederet. At imagines solidi & extantis operis idola dicere, cum idola non sint, minime potuit. Utut sit, subjecit *Nicolaus*: at mihi assentiaris necesse est, cum propiores idolis statuæ sint, quam tabellæ, religiosius illos facere qui tabellis unis contenti statuas removent. Hoc argumento tuo., inquit *Ignatius*, valde nobis Iconoclastas commendas: cum enim absit ab idolis longius, qui nullas, quam qui pictas adhibet imagines, religiosissime fecerunt illi qui vehementi idolorum ducti odio, omnes Judæorum hortatu deturbarunt imagines, nullo pictarum vel sculptarum discrimine. Mihi vero sapere videntur illi qui sanctorum Patrum & conciliorum exemplo, nihil inter imagines distinguunt, & licere aiunt, quod licere Deus voluit. Imo si miraculorum testimonio rem æstimare ac definire perplacet, videmus plura extantium imaginum, quam planarum beneficio divinitus edita. Testes infinitæ in orbe universo ecclesiæ. Gratissimum feceris, inquit *Nicolaus*, si qua horum exempla huc afferas. Mitto, reposuit *Ignatius*, plures ejuscemodi imagines, vel delapsas e cælo, qualis illa Deiparæ, quæ ab Lætitia nomen habet apud Picardos in Francia; vel Dei instinctu & suasione conquisitas, vel admirabiliter quasi casu repertas. Unum alterumve profero, quod nostris temporibus, nec ita pridem contigit. Viro rustico ad Rothomagum in villa Haynonvillana junior erat puella, cui *Margarita Daché* nomen fuit. Hæc gravi correpta variolarum morbo, computrescentem ulceribus linguam ad imas usque radices exspuerat. Cogitabundus parens quid demum muta puella fieret, dum agrum excolit, cœpit Deiparam inclamare ac vovere, si loquendi usum filiæ restitueret, peregrinaturum se ad ejus statuam, quam ab Lætitia nuncupatam mox dice-

bam, eamque cultu quo posset veneraturum maximo. Concepit votum, ac totum deinde diem in fodiendo agro de more posuit. Sub occasum solis domum reversus puellam audiit sibi de reditu gratulantem ac bene precantem. Ille autem, Et unde, inquit, tibi, filia, hæc facultas loquendi, quæ carebas antea lingua. Carebam, subdidit illa, & careo & loquor; neque scio unde mihi hæc beatitas. At postquam egressus es mane, cœpi non multo post sic loqui, ut audis. Vidit hanc fœminam anno 1660. vir sanctitate & doctrina clarissimus P. Honoratus Niquetius e societate nostra, & audiit sine lingua admirabiliter loquentem. In imum illius guttur curiosius inspexit; nulla omnino visa est lingua; atque ita elinguis jam ab annis XXXVIII. loquebatur. Anno enim 1622. hoc Deiparæ beneficio gaudere ac frui cœpit, & forte etiamnum fruitur: neque enim scio an diem obierit extremum. Exemplum alterum longe recentius accipe. Nondum anni sunt XII. cum Mauri Algeriani prædam christianæ navis quam invaserant, partiti, suam cuique partem, ut sorte obtigit, tribuerunt. Horum nesciocui S. Josephi B. Virginis castissimi sponsi parvula statua egregio elaborata opere venit in manus. Quærebat Algerii Maurus ille in christianorum captivorum turba qui illam emeret. Emit illam tota sua pecunia vir Massiliensis, XVIII. si bene memini, nummis, veritus, ne Mahometanus ille sacram imaginem pollueret. Eam vix acceperat, cum ei venit in mentem se ab sanctissimo Virginis sponso liberandum in gratiam liberatæ imaginis. Quare de nocte compactis, ut licuit, tribus quatuorve tabulis, una cum amico viro altero se dat in mare. Postquam illuxit, adfuit pro votis navis christiana Massiliam contendens, in quam uterque exceptus paulo post in urbem feliciter appulit. Erat tum in quodam virginum cœnobio religiosa fœmina quam gravis summo cum dolore conjuncta paralysis lecto detinebat jam annos septem & amplius. Hæc, ubi rumor percrebuit cives duos hac sancti Josephi statua mirabilem in modum liberatos; Me, inquit, sanitati potest restituere, qui illos reddidit libertati: facite ut ad me sacratissima illa imago deferatur. Delata est. Et ecce, cum provolutæ in genua coram orarent devotæ Deo

virgines, cœpit, quæ jacebat in lecto, vivifico per totum corpus calore perfundi, & concussis emotisque quodammodo ossibus, sensit sua quasi componi & aptari ad motum membra. Continuo morbus omnis evanuit, acceptisque ipsa vestibus surgens e lecto, venerata imaginem cum pio apparatu ad cœnobii usque portam, dum reportaretur, comitata est. Hæc habetote e nostris; e vestris ista. Ad Damascum, Græcorum perantiquum & nobile cœnobium est *Saydnaya* Dei genitrici sacrum. In eo videbatur olim, & nunc, ut aiunt, asservatur beatissimæ hujus Virginis imago, quæ carnem dicitur induisse. Hæc cum plana primum esset pictoris arte, Dei nutu corpoream quasi in molem visa est eminere. Sed audite Eusebium Cæsariensem episcopum unum e CCCXVIII. Nicænis Patribus, Hist. eccl. l. 7. c. 14. Testatur is vidisse se æneam statuam Christi JESU quam hæmorrhoissa sanata in grati animi monumentum, supra domus suæ januam, Cæsareæ Philippi erexerat. *τοῦτον τὸν ἀνδριάντα, εἰκόνα τοῦ Ἰησοῦ φέρειν ἔλεγον.* Christum autem vicissim, quo significaret imagines abs se illas probari, insitatæ cuidam herbæ, quæ in ipsa basi enascebatur, cum vestis fimbriam attigisset, hanc indidisse vim, ut cujuslibet generis morbos sanaret: *ἀλεξιφάρμακόν τι παντοίων νοσημάτων τυγχάνει.* Addit Sozomenus illam ab Juliano apostata fuisse dejectam. Verum is cum suam in illius locum erexisset, immisso statim fulmine fuisse exturbatam, capite hinc miseri imperatoris exciso, inde membris reliquis comminutis & sparsis. Parum sapiat, inquit *Nicolaus*, qui litem super ea re vobis moveat. Nec ullus, inquit *Methodius*, Latinis olim movebat. Sculptis enim & fusis passim utebantur imaginibus, ante etiam quam invisa Deo ecclesiarum dissensio animos exulcerasset. Neque tum veniebat ulli in mentem, illas Latinis exprobrare imagines. Sed sanis aliud, aliud ægritudine laborantibus oculis videtur. Unum præterea est, inquit *Nicolaus*, quod a vobis doceri velim: unde nata sit illa signi crucis efformandi, quæ apud vos invaluit, varietas. Sic enim vos illud effingitis, ut manum ab capite ad inferiores pectoris partes, tum a sinistro humero ad dextrum ducatis; nos a dextro ad sinistrum. Natam esse varietatem

hanc antiquiorum quorumdam e vestris antistitum consilio scribit Innocentius P. III. lib. 2. de Liturg. c. 44. cum Romana ab ecclesia discerperent vestram. Et vero cum christianæ gentes omnes se cruce obsignent, nulla est quæ Græcos hac in re sibi putarit imitandos. Morem omnes ad nostrum sibi illam apprimunt. Ex quo palam est christianos olim omnes parem signandi sui consuetudinem tenuisse, eamque, quæ nunc nostra est, qua significamus, ut par est, nos merito crucis ab sinistra reproborum sede ad dextram electis addictam transiisse. Adde sacerdotes Græcos dum Christi vices obeunt, & crucis signo bene populo apprecantur, ab sinistro latere suo manum conferre ad dexterum quasi Christus ipsorum ore sic diceret: ab sinistra mea, qui hædorum locus, Dei unius & trini gratia, & vi crucis ad dexteram meam, ubi oves beatæ, transvoletis. Nos vero, subjecit *Methodius*, paullo aliter, &, ut opinor, commode interpretamur: atque ab dextero latere apud nos defertur manus ad sinistram, quo demonstremus Triados sanctissimo beneficio per crucem sedere nos ad dexteram, qui prius jacebamus ad sinistram. Hac qui mente se consignant, inquit *Ignatius*, non male faciunt. At mota ab sinistro humero ad dextrum manus habet explicatius aliquid; meritoque laudatur, qui, cum ita licet, optimæ christianorum omnium consuetudini se accommodat, ne videatur vel levi signo discessionem ambire. Abunde est, inquit *Nicolaus*: Deum oro nos omnes ad dexteram suam evocet. Sunt nobis pauca alia, de quibus sciscitari vos, nisi molestum sit, pomeridianis horis constituimus. Hic cum Ignatius Romanusque maximo se id honori ducere declarassent, promptosque se exhibuissent ad obsequium, soluto cœtu discessum est.

Vnde Græcos inter & Latinos varia signandi se consuetudo.



DIALOGUS XV.

De communione sub duplici specie.

ABSOLUTO prandio, & solita post illud quiete, religiosi sacerdotes perfuncti convenerunt ex pacto ad colloquium. Tum *Nicolaus*, Velim, inquit, bene de nobis mereri pergatis hodie, & quod superest institutorum quorumdam vestrorum, quæ longe discrepant a nostris, ratiotionem & æquitatem exponatis. Ac primum grave est, ac minime, nostro quidem judicio, ferendum, quod in sacra Christi cœna, nisi sacrificanti, nemini divinum poculum concedatis, jubeatisque alios omnes pane uno cælesti sine *Matth. 26.* potu contentos esse. Qua re videmini Domini labefactare *Ioan. 6.* præceptum, qui ***bibere ex eo omnes voluit***, & sanxit carendum nobis vita esse, ***nisi manducaverimus carnem filii hominis, & biberimus ejus sanguinem.*** Fateor, reposuit *Ignatius*, frui Christo neminem qui decesserit, posse, nisi Christo, dum viveret, sit usus, percepta corporis illius ac sanguinis formidabili communione. Si re ipsa non potest, voto saltem & animi proposito. At manducamus omnes carnem *Sub una specie accipitur corpus & sanguis Christi.* Domini, bibimusque ejus sanguinem, sive panis & vini utraque specie, sive alterutra donemur. Quid est enim manducare carnem filii hominis, & bibere ejus sanguinem, nisi Christum in sese totum excipere, & tota ipsius carne, *Rom. 6.* sanguineque toto potiri & ali. Fit autem illud, sive calice uno, sive una panis specie utaris. Nam cum Christus, postquam surrexit a mortuis, mori jam non possit, adest in panis specie suo animatus sanguine, & in calice sua carne perfectus. Alias non existeret in vivis, qui eductum haberet totum e corpore sanguinem: nec vere missam appellaretis τὴν ἀναίμακτον θυσίαν, *sacrificium incruentum*, quæ nihil ab crucis sacrificio discreparet, fuso hic perinde e venis Domini atque illic sacratissimo sanguine. Sunt quidem, subjecit *Methodius*, quæ affers omnino vera, sed propterea semovere ab sacra mensa poculum non licet: deesse enim tan-

to

to convivio non debet potus, nec recoli memoria mortis Christi rite potuit, nisi usurpato corporis seorsim & seorsim sanguinis sacramento, quo effusus olim in cruce sanguis ipsa significetur actione. Rationes istæ duæ, inquit *Ignatius*, si quid habent ponderis ac momenti, vos æque premunt ac nostros. Quoties enim pavenda mysteria sub una vel administratis, vel suscipitis specie, panem unum ægrotis porrigitis ad viaticum mortis; eundem unum in sacro τῶν προηγιασμένων, *præsanctificatorum* officio per quadragesimam accipitis. Quid hoc ais, inquit *Nicolaus*, intinctus est divino sanguine ille panis quem memoras? Et, quo communicamus populum, reposuit *Ignatius*, is sacratissimo illo sanguine non intinctus modo, sed plenus est, nec magis in vestro vini species, quam in nostro extat aut apparet. Penitus enim exsiccato humore evanuit. Erat quidem cum intinxistis; sed eam, quanta erat, totam vel tempus exsiccando absumpsit, vel subjecto igne vos delevistis. Panem illum, qui defertur ad ægrotos, feria v. majoris hebdomadæ consecratum, sinitis, non nego, in calice ebibere sacratissimam vini speciem. Verum hinc in disco acceptum, caldario supponitis, quo quidquid est humoris abeat in fumum, & ita siccetur panis, ut in minutissimum solvatur pulverem, quem toto postea anno ad morientium viaticum asservatis. Ab hoc porro pulvere, quem vix audeo appellare panem, cum nulla panis forma remaneat, sic abscessit vini species, ut nullo possit deprehendi sensu, non gustu ex sapore, non ex odore olfactu, non tactu ex humore, non ex colore aspectu. Addo, & vestigium illius si quod superesset, non fore tamen, quod maxime desideras, in cælesti convivio isto potum. Potus enim omnis liquidus est, & fluit. Neque, nisi fallor, bibere illum dixeris, qui panem multis ante mensibus vel etiam horis madefactum, ac postea induratum vel exsiccatum manducaverit. Jam vero sacram τῶν προηγιασμένων missam quod spectat, in ea qui communicant, solo utuntur pane, eoque dominica proxime elapsa consecrato, quem etsi sacerdos tum sancto sanguine levissime irroret, nullam tamen vini aut potus speciem, cum exsiccetur, retinet. Atque illius sacratissimi panis sic intingendi guttula, videtur

Græci eucharistiam administrant identidem sub una specie.

de novo mos inductus, si credimus ipsis Græcis. Sic enim Michael Constantinopolitanus antistes, & Romanæ ecclesiæ infensissimus, si quis unquam, hostis, in iis quæ de missa illa scripto edidit, testatur: *οἷς ἄρτοις καὶ πιστευομένοις καὶ οὖσιν αὐτὸ τὸ ζωοποιὸν σῶμα τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὐκ ἐπιχεῖταί τις ῥανὶς τοῦ θείου αἵματος ἀποτιθεμένοις οὕτως καὶ τοῦ ῥαντισμοῦ τούτου χωρίς. Panibus illis, qui creduntur, & sunt vivificum ipsum Domini ac Dei ac servatoris Christi corpus, nulla divini sanguinis gutta infunditur; verum ita reponuntur sine ulla aspersione.* Michaeli Harmenopulus concinit in collectione canonum: *τὸ μὴ χρίειν τὰ προηγιασμένα διὰ τῆς λαβίδος τῷ δεσποτικῷ αἵματι, ἐν τῷ μέλλειν αὐτὰ φυλάττειν, ἀκριβέστερόν φησιν ὁ μακάριος Ἰωάννης, ὡς καὶ ἐν τῇ καθ᾽ ἡμᾶς μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ γινόμενον. Non esse ante consecratos panes e cochleari inungendos dominico sanguine, dum asservandi sunt, accuratius docet B. Joannes, uti fit in nostra quoque majore ecclesia.* Quæ cum ita sint; in principe Græcorum ecclesia, sacris magni jejunii diebus sub una panis specie perficiebatur synaxis. Neque verebantur tum antistites, ne divino convivio potus deesset, aut minus Christi passio in memoriam veniret. Nimirum manducare Christi carnem, & bibere ejus sanguinem tum dicimur, cum Christum ore sumimus sub specierum alterutra, quippe nec deest in pane sanguis, nec caro in calice. Tuis crede, non mihi. Sic orat sub sola panis specie communicaturus sacerdos: *καταξίωσον τῇ κραταιᾷ σου χειρὶ μεταδοῦναι ἡμῖν τοῦ ἀχράντου σώματός σου καὶ τοῦ τιμίου αἵματος, καὶ δι᾽ ἡμῶν παντὶ τῷ λαῷ. Dignare valida tua manu nos immaculato corpore tuo & pretioso sanguine communicare, & omnem per nos populum.* Ac postea gratias Deo agit *ἐπὶ τῇ μεταλήψει τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, pro sancti corporis & sanguinis Christi communione.* Exhibiturus autem ægrotis sacratissimum panem, sic pronuntiat: *μεταλαμβάνει ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ ὁ δεῖνα τὸ τίμιον καὶ πανάγιον σῶμα καὶ αἷμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν. Accipit Dei servus N. pretiosum ac sanctissimum corpus ac sanguinem D. N. Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Vix ausim, inquit *Nicolaus*, hic opponere, quod aiebat Michael ille patriarcha, quem modo appellasti: opponam tamen, etsi

Ita citatur ab Leone Allatio.

forte inſulſum eſt, ne quid mittamus intactum. Scribit ille cum in ſacra τῶν προηγιασμένων miſſa panis conſecratus immittitur in calicem, tum mutari vinum in Chriſti ſanguinem, & ita credi. Quod illius effatum ſi verum eſt, utraque ſacerdos communicatur ſpecie. O effatum, exclamavit *Romanus*, maxime nefandum, minimeque credendum! Neque enim Michaeli uni aſſentiri ſapientis eſt aut chriſtiani. Unde habet effatum illud? Non a Chriſto, non ab apoſtolis, non ab ullo Patrum hoc hauſit. Et temere, ne quid gravius dicam, ſic pronuntianti Michaeli habebimus fidem! Si fas eſt hominum cuilibet quæ ſomniat, animoque effingit, effutire, Deus bone! religione noſtra quid fiet? Si panis immixtus vino, vinum immutat in ſanguiguinem, neceſſe eſt, ut & ſanguis aſperſus pani, panem immutet in corpus Chriſti. Neque jam ad conſecrationem ſacerdotio opus erit; poterunt & ipſæ mulieres conficere Chriſti corpus, & conſecrare ſanguinem, vel immiſſo divino pane in vinum, vel guttula ſanguinis pani infuſa. Pudet iſta, quæ per ſeſe concidunt, pluribus profligare. Hoc tantum adverte panem diviniſſimum prius appellari corpus & ſanguinem Chriſti, quam demergatur in calicem. Sic enim ſacerdos cum e Protheſi in ſacram menſam illum eſt delaturus, ἰδοὺ, inquit, τὸ ἄχραντον αὐτοῦ σῶμα καὶ τὸ ζωοποιὸν αἷμα κατὰ τὴν παροῦσαν ὥραν εἰσπορευόμενα τῇ μυστικῇ ταύτῃ προτίθεσθαι μέλλει τραπέζῃ. *Ecce immaculatum corpus ejus & vivificus ſanguis hac ipſa hora ingredientia, in hac myſtica menſa proponenda ſunt.* Quamobrem, qui divino pane ſolo communicat, corpus Chriſti & ſanguinem percipit. Adde ſacratiſſimum panem morientibus ita porrigi, ut ſæpe aquæ immiſceatur, non vino. An tum dixerit Michael Patriarcha ſancti attactu corporis aquam in ſanguinem immutari? Id ſi affirmat, affirmet quoque fructus, carnes, & cujuſvis generis poculenta, ſi forte donis formidabilibus attingantur, ſanguinem fieri & corpus Chriſti. Cur enim de aqua aſſeveres, neges de iſtis? Valet ergo ſynaxis apud vos ſub una ſpecie. Jam quod aiebas, deſiderari utriuſque uſum, quo vocetur mors Chriſti in memoriam ſecretione carnis & ſanguinis, minime id neceſſe eſt. Satis enim ſub una

Oo ij

ſpecie mors illa exhibetur ; cum ſub alterutra Chriſtus contineatur in morem mortui, ſenſus omnis & motus expers, & aliena panis & vini forma quaſi conſepultus. Prætterquam quod facta in miſſæ ſacrificio ab ſacerdote hæc carnis & ſanguinis, non re quidem, ſed verborum ſignificatione ſecretio, ſatis ſuperque Domini mortem annuntiaſſe viſa eſt. Nos una nonnunquam uti ſpecie, inquit *Nicolaus*, feciſti omnino palam, & minime mihi dubium eſt, cum ſumatur in ſynaxi Chriſtus vivus, in quavis ſpecie corpus accipi, ſimulque ſanguinem. Quare Paulus eum qui hanc vel illam ſpeciem uſurpaverit indigne, corporis & ſanguinis Domini reum pronuntiat. *Quicunque*, inquit 1. Cor. 11. *manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Dominus ipſe, quem utrique ſpeciei fructum, hunc uni attribuit. *Si quis*, inquit, *manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Adde, ſubjecit *Romanus*, Chriſtum nobis exemplo præiviſſe, qui cum a morte ſurrexiſſet, ſeque viæ comitem diſcipulis duobus Emmaum proficiſcentibus adjunxiſſet, divertiſſetque apud eos, ſub una panis ſpecie ſacra, illos corporis & ſanguinis ſui communione impertitus eſt. Tum enim confeciſſe e pane divinum ſuum corpus tradit Chryſoſtomus hom. IX. in varios Matthæi locos, & Theophylactus in Commentariis ſuis; ſed omnium diſertiſſime & elegantiſſime Auguſtinus l. 3. de conſenſ. evang. c. 25. *Non incongruenter*, inquit, *accipimus impedimentum in oculis eorum a ſatana factum fuiſſe, ne agnoſceretur* JESUS ; *ſed tamen a Chriſto eſt facta permiſſio, uſque ad ſacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Chriſtus poſſit agnoſci.* Neque fingi poteſt calicem quoque illis ab Chriſto oblatum, cum ſtatim manducatione panis agnitus ab oculis eorum evanuerit. Quid dicam de naſcentis eccleſiæ alumnis, quorum cum quotidianæ communionis uſum laudat in apoſtolorum actis B. Lucas, panis unius fractionem commemorat? *Erant*, inquit, *perſeverantes in doctrina apoſtolorum & communicatione fractionis panis & orationibus.* Quid proferam veterum teſtimonia? Teſtatur Euſebius Pamphili in eccl. Hiſt. l. 6. c. 36. fuiſſe in more

Chriſtus ipſe ſub una ſpecie adminiſtravit euchariſtiam.

Luc. 24.

Act. 2.

positum particulas siccas eucharistiæ asservari viaticum iis necessarium, qui e vita discederent, easque sumi vel aqua vel vino maceratas, vel alio quocunque modo. Scribit Basilius in sua ad Cæsariam patriciam epistola, solitos ex eremo monachos, ubi non suppeteret copia sacerdotis, asservasse domi communionem, eamque sibi suis manibus sumpsisse. Imo Alexandriæ & in Ægypto unumquemque etiam de plebe Eucharistiam, ut plurimum, domi habere. Atque id quidem de vini specie minime potest intelligi, vel una hac de causa quod facile acescat. Narrat quoque Evagrius l. 4. Hist. c. 35. hanc fuisse Constantinopoli peranti-quam consuetudinem, ut corporis sacri quæ particulæ superessent, distribuerentur puerulis, quos ab peccato puros ætas tenerior præstaret. Quo loco insigne affert Judæi infantis divinitus in fornace, harum quas susceperat particularum beneficio, servati miraculum. Plura prodis quam necesse sit, inquit *Nicolaus*, in re per sese apertissima. Unum nobis videtur grave, quod veterem usurpandæ speciei utriusque morem sic sustulistis, ut nemini, quando ita lubet, liceat uti utraque, cum tamen Christus & apostoli id licere voluerint. Hoc, ut alia non pauca, sic licere voluit, reposuit *Ignatius*, ut quando & quomodo liceat, ecclesiæ decretis voluerit definiri. Atque illam qui audierit, Deum audit. Licere Christus voluit perceptionem eucharistiæ post cœnam; ecclesia Christi interpres vetuit illam sumi nisi a jejunis. Licere Christus voluit esum carnium, nullo concessarum olim, vel prohibitarum discrimine, 1. Cor. 8. & Rom. 14. *Non est* enim *regnum Dei esca & potus, & omnia sunt mundis munda.* Cum tamen quæcunque licent, non expediant omnia, vetuit Christi autoritate ecclesia, ne quadragesimæ tempore ederentur carnes. Esset forte quod merito querereris, si quid damni laici ablato calice paterentur. Verum qui una communicat specie, cum tantum accipiat, quantum qui duabus, id est, Christum totum; non video cur animo minus æquo nonnulli id ferant. Non vides, inquit *Nicolaus*, quod antiquum est, id sacrum esse, nec ulla posse labefactari mutatione (patere ut sic loquar) sine flagitio; nisi forte id extorqueat ratio gravissi-

Ep. 179.


Laicis ecclesia merito sustulit usum calicis.

1. Cor. c. 11.

mæ necessitatis. Vobis autem quæ ritus veteris mutandi causa? Non una aut levis, respondit *Ignatius*. Nam cum summa debeatur sacratissimo sanguini reverentia, nec propinari sine effusionis metu posset commode, in tanta, quanta est hodie accedentium ad synaxim turba, laicos ab calice judicarunt majores nostri amovendos, ne quid incurreret periculi divinus sanguis. Id quoque ut facerent, persuasit in rerum divinarum usu modis omnibus curanda consensio populorum. Cum esset autem tunc temporis cuique liberum, ut admitteret, vel dimitteret calicem, multique eo abstinerent, vel religionis studio, ne iis assentiri viderentur, qui negabant totum sub una specie Christum existere; vel ægritudinis metu, si quis morbo contagioso & turpi laborans (laborant autem plurimi) calicem prælibasset; vel ipsius horrore vini, cujus ne odorem quidem patiuntur multi: cum, inquam, plurimi eapropter vini specie abstinerent, alii numero pauciores illam optarent, ne qua oriretur ab illo consensionis christianæ sacramento dissensio, populos omnes ritu uno adstrinxerunt, jusseruntque panis specie, qua totus, quantus est, exhibetur Christus, esse contentos. Movit etiam illos vini raritas, quæ permultis in regionibus vexat; eaque est aliquando, ut incredibili pretio sit emendum. Narrat certe Josephus Acosta l. 4. c. 4. lagenam parvam in Indiis fuisse trecentis nummis aureis venditam. Unde palam est, illic vini speciem omnibus administrari non posse. Prius autem quam facio dicendi finem; monitum te velim non sic arceri ab calice laicos, ut sumere illum nunquam valeant. Possunt enim sumendi facultatem ab summo pontifice & petere & impetrare. Jam, inquit *Nicolaus*, non possum non probare ecclesiæ vestræ factum. Vidi enim non raro sanctissimi sanguinis guttas aliquas apud nos, in communicantium vestes aut barbam effundi, non sine sacramenti despicientia, vel injuria; & præclara mihi visa est hæc omnium vestrum in unum percipiendæ Eucharistiæ ritum conspiratio. Superest, ut pro more exempla quædam proferas, quibus ista Deo probari consuetudo declaretur. Quid exemplis opus, reposuit *Ignatius*, postquam Christus ipse facto præivit, & duos illos

discipulos in villa Emmaus eucharistia sub una panis specie recreavit? Ecce tibi tamen de multis pauca. Narrabat mihi olim e nostris unus, cui Delatrio nomen fuit, sibi, cum per urbes & vicos ad concionandum missus esset, hominem occurrisse, qui, cum sacræ se mensæ sisteret, excipiebat quidem in os sacratissimam hostiam, sed eam non poterat unquam deglutire. Quare necesse erat, ut sacerdos digitis immissis divinum panem colligeret, reponeretque in pyxidem. Flagitabat infelix ab patre remedium. Ille, cum causam ex anteactæ vitæ factis multa sciscitatus investigaret, hominem comperit magicam artem professum, atrocissimis se obligasse criminibus. Atque ea, etsi arbitrabatur apud sacerdotem, bene deposita, & sacramento abolita, jubet tamen, ut in sese inquirat diligentius, seque generali confessione expurget. Fecit quod jussus erat, accuratissime, nec sine ingenti copia lacrymarum. Tum pater illum cælesti mensa exceptum divino pane communicat. Recepit illum cæterorum more, nec ullam deinceps in deglutiendo difficultatem expertus est. Hoc recens: habeto tibi aliud e nostris, nec valde ab hac ætate dissitum. Laborabat gravissimo morbo B. Stanislaus Kotska nobilis adolescens Polonus; & desperata ab medicis valetudine, hoc illi unum dolebat, quod apud hæreticum hospitem, cum fratre hæretico commorans, accersere sacerdotem non poterat, a quo sacri communione viatici reficeretur. Meminit tum legere se alias, eum qui S. Barbaræ opem supplex imploraret, nunquam in morte viatici beneficio cariturum. Hac provocatus memoria flagrantissimo animi motu, beatissimam martyrem sibi propitiam invocat. Neque id frustra. Nam haud multo post illi se stitit, cum angelis duobus cultu summo sacratissimam eucharistiam deferentibus, quorum alter propius accedens illam ipsi administravit. Aderat ejus educationi præpositus moderator, quem beatus adolescens, ut Christo præsenti genua inflecteret, angelosque & S. Barbaram veneraretur admonuit. Quid angelos commemoro? Christus ipse se B. Claræ à Monte-Falcone appellatæ in eucharistia tradidit. Nam cum rerum cælestium in contemplatione defixa, aliud nihil cogitans in templum, quo mo-

niales ad communionem accesserant, fuisset sine pallio ingressa, illam Joanna ipsius soror communione interdixit. At cum efflagitasset a Christo sponso, ne se pane illo cælesti privari sineret; Christus se illi aspectabilem præbuit, suaque ipse manu Eucharistiam porrexit, sub una pro regionis more panis figura. Silere hic quoque non possum quod B. Bonaventuræ contigit. Nam cum Christi Dei majestate & dignitate summa perterritus, ab percipienda eucharistia tanquam indignus dies aliquot abstinuisset: cum missæ aliquando adesset, hostiæ propositæ pars in ipsius os sponte devolavit. Verum hæc obiter exposuisse sufficiat. Possem appellare virgines plurimas, quæ vivifica illa carne sub panis imagine admirabiliter pastæ, alio nullo cibo ad annos bene multos usæ sunt, ac nostra etiam ætate floruerunt. Audivimus, inquit *Methodius*: sed quia video vos festinare & parare discessum, patimini alia nonnulla breviter percontemur. Patere tu, reposuit *Nicolaus*, venerandos patres quiete aliqua recreari; & aderit quærendi tempus. Fieri enim non potest, ut cælo hoc pluvio proficiscantur a nobis. Hæc cum diceret, pluebat reipsa vehementissime, & ad stuporem. Neque enim ea anni tempestate evenire id solet, aut evenisse meminerant seniores, ut detinere illos in cœnobio dedita Deus opera videretur.



DIALOGUS XVI.

De numero œcumenicorum conciliorum.

UBI adfuit colloquendi hora, convenerunt solitum in locum Græci Latinique sacerdotes; & *Methodius* statim, accepta a Nicolao venia, Latinos compellans, Unde est, inquit, quod a nobis in conciliorum numero dissidetis, & præter synodos illas œcumenicas septem quas probatis, alias plures admittitis apud vos habitas. Nam quî sint œcumenicæ, quæ privatis Latinorum studiis sunt in Occidente peractæ, nostra Orientali ecclesia neque assentiente, neque vocata. Quæ vero celebrandarum illarum necessitas fuit,
cum

cum sint septem nostræ priores sic omni ex parte absolutæ, ut nihil quo stabiliatur fides atque religio, deesse videatur, ut e nostris non pauci sentiant, cogi præterea ullam aliam nefas esse? Quæris, inquit *Romanus*, quamobrem synodos œcumenicas septem prioribus plures amplectimur; negasque œcumenicas, quod ad illas celebrandas neque interfuerint vestri ex Oriente antistites, neque vocati sint. Hoc tibi primum si assentior, non interfuisse synodis quibusdam Græcos, pernego alterum, non esse vocatos. Neque enim coacta unquam est generalis apud nos hujuscemodi synodus, quin illam summus Pontifex indixerit, ad eamque omnes illos invitarit, quorum est adesse, & ecclesiam Dei regere. Quod si pertendas obstinatius synodos eas, ad quas Græcorum nullus convenerit, non esse generalibus accensendas, ex consequenti fateberis, neque illas œcumenicas esse, in quibus Latinorum nullus sederit. Qua confessione tua synodos Constantinopolitanas primam & secundam, quarum hæc Vigilii pontificis, illa Damasi ætate habita est, id est, secundum & quintum concilium, ex œcumenicor m numero expunges. Neque enim Romanorum ullus utrique interfuit. Atenim, reposuit *Methodius*, secundum Damasi autoritate collectum est: quintum autem Vigilio pontifice tum Constantinopoli agente. Lege, inquit *Romanus*, datas ab Constantinopolitana prima synodo ad Damasum & episcopos in Romano concilio congregatos, litteras; atque animadverte non fuisse Damasi mandato Græcos Patres Constantinopolim, sed Romam *tanquam membra propria* evocatos, peractamque synodum, non modo non annuente Damaso, sed etiam nesciente. Vigilius vero, etsi Constantinopoli tum versabatur, cum habita est V. synodus, neque illam sua vel legatorum præsentia ornavit, neque censeri voluit œcumenicam. Qui fit ergo, reposuit *Romanus*, ut a vobis, nobisque summa consensione in œcumenicis utraque numeretur. Velim, inquit *Romanus*, nodum hunc, si valent, solvant qui summæ pontificis autoritati refragantur. Neque enim synodi istæ locum in œcumenicis obtinuerunt, nisi quod sic obtinere jusserunt Damasus & Vigilius. Hic nempe Evagrio teste

Vt censeatur synodus œcumenica, satis est invitari quibus licet adesse; interesse vero minime necesse est.

Tom. 3. conc.

Lib. 1. regist. epist. 24. ad Ioan. Constant. lib. 4. cap. 37. per litteras synodo V. postea consensit; eamque œcumenicam habuere consecutis temporibus Gregorius magnus, & Leo hac appellatione secundus. Damasus vero secundam teste Photio lib. de 7. concil. confirmavit. Minime igitur ex necessitate debuerunt synodis nostris interesse *Ep. ad Constant. imp. in VI. synodo.* Græci, ut œcumenicarum dignitate gaudeant. Satis est communi pontificum diplomate fuisse vocatos. Sed per me licet, hoc tibi sume, quod minime verum est, debuisse non modo exciri Græcos, sed adesse: œcumenicas synodos præter illas septem habebis alias multas, quæ communibus Græcorum Romanorumque studiis celebratæ sunt. In iis VIII. synodus est CII. episcoporum, anno Domini DCCCLXIX. die 5. Octobris Constantinopoli incœpta, & anno proxime consequenti, die Februarii ultimo absoluta, Hadriano II. summo pontifice, imperatore Basilio. Deinde Lateranensis IV. anno MCCXV. Innocentii III. summi pontificis jussu collecta, eaque CCCC. episcoporum & DCCC. aliorum patrum, abbatum, decanorum, & priorum, ut aiunt, conventualium. Tum Lugdunensis II. anno MCCLXXIV. Gregorio IX. pontifice maximo. Florentina denique anno MCCCCXXXVIII. Ferrariæ inchoata, mensis Octobris 8. die, & perfecta Florentiæ Novembris 22. Eugenio IV. sedem apostolicam tenente.

His ut respondeam, inquit *Methodius*, non ex mea, sed aliorum sententia, neque enim tam parum scio, ut œcumenicas synodos nesciam plures esse quam septem: sed e nostris nonnulli sibi videntur non abs re octavam ab œcumenicis expungere. Non video, reposuit *Romanus*, quam proferre valeant illius expungendæ rationem. Nam *Primo*, quod forte volunt, & minime necesse est, adfuerunt Latini & Græci. *Secundo*, cogi synodus debet Romani autoritate pontificis, ut tradit Alexandrina, in qua erat Athanasius, cum scribit ad Felicem papam in hæc verba: *Scimus in Nicæna magna synodo ab omnibus esse una consensione roboratum, non debere absque Romani pontificis sententia concilia celebrari, nec episcopos condemnari*. Et in synodo Chalcedonensi Dioscorus damnatur, quod sit ausus non adscita ulla sedis apostolicæ autoritate synodum facere, *quod nunquam rite factum est, nec fieri licuit*. Octava de mandato Hadriani II. papæ

Octava synodus Constantinopoli habita, legitima est & œcumenica.

celebrata est. *Tertio*, sic haberi nutu pontificis maximi synodus debet, ut ad eam episcopi invitentur. Unde in concilio VII. repudiatur quæ acta est Constantinopoli Leone imperante, adversus imagines synodus; neque censetur vera, *quoniam non habuit cooperantem Romanum papam, nec illius sacerdotes, nec per vicarios, nec per provinciales litteras, quemadmodum fieri in synodis debet.* Et hæc lex in octava synodo præclare servata est. Nam synodum illam indixit Hadrianus Romanus antistes. Convenerunt ejus locum tenentes Donatus & Stephanus episcopi, & Marinus diaconus, cum Ignatio Constantinopolitano patriarcha, & vicariis Orientis Thoma Tyri metropolita, locum tenente sedis Antiochiæ, & Helia presbytero & syncello, locum tenente Theodosii Jerosolymorum patriarchæ, Josepho sedis Alexandrinæ legato, aliisque episcopis, fuitque CII. episcoporum cœtus, ut mox aïebam. *Quarto*, disceptari in conciliis oportet, non negotia quælibet, sed quæ ad fidem, rectamque christiane vivendi disciplinam pertineant, & ex librorum sacrorum testimoniis & certa Patrum traditione definienda sunt. Atqui id factum in octava synodo, ubi scilicet eorum damnata est hæresis, qui duas in homine docebant esse animas; suus sacris imaginibus honor assertus, repressis qui contra VII. synodum insurgebant hæreticis; & restituta, quam adulteraverat Photius, ecclesiæ disciplina. *Quinto*, conspirare debent in eandem sententiam Patres, si non omnes, ad maximam certe partem. Conspirarunt in octava nullo dolo malo, nulla vi compulsi. Quin imo Basilius imperator Patres allocutus sub concilii exitum, sermone ad alios omnes converso, *Quisquis*, inquit, *aliquid habet contra hanc sanctam & universalem synodum, aut ejus canones, stet in medio, &, quæ sibi videntur, dicat, sive sit de ecclesiastico clero, sive etiam laicus sit, aut ex his qui civilibus officiis mancipantur.* Ex quo singularem agnoscas factam omnibus dicendi libertatem. *Sexto* denique, rata debent haberi ab pontifice Romano synodi acta, quemadmodum patet ex litteris Constantinopolitanæ I. synodi & Ephesinæ, his quidem ad Cælestinum papam, illis ad Damasum datis; & ex relatione Chalcedonensis concilii ab SS. Patribus ad Leonem ponti-

ficem ter magnum transmissa, ut alia multa missa faciam. Nec defuit octavæ synodo hæc conditio: illam enim Hadrianus II. confirmavit. Cum igitur nihil in illa ad absolutionem concilii œcumenici rationem desiderari possit, quid est quod hac illam minime dignam appellatione censeant & ab œcumenicorum conciliorum numero eximant? Ego, inquit *Methodius*, in œcumenicis colloco, & ponebant olim nostri omnes, ut videre est in Horologio quod pueri ipsi versant in manibus. Est enim ad calcem positus alveolus sive area, cujus in variis quadris conciliorum nomina, tempus, personas, &c. descripta videre est, & octavo loco hanc Constantinopolitanam IV. synodum pro Ignatio contra Photium, sed nunc recentioribus in libris, nescio quo fato, non apparet. Relinquitur duntaxat locus vacuus, ut eam adscribat, credo, qui sic voluerit. Quin etiam in sanctæ Sophiæ omnium oculis cum synodis septem prioribus descripta in marmore objiciebatur, his verbis: *Octava vero sancta magna & œcumenica synodus Constantinopoli habita est, Basilio ejusque tribus filiis Constantino, Leone & Alexandro regnantibus, Hadriano Romano pontifice, Ignatio divino confessore Constantinopolitano patriarcha, præsentibus Romæ veteris & reliquarum Orientalium sedium sanctissimis legatis,* CXLII. *episcopis, præsidente in synodo Marino divinitus electo apostolicæ Romanorum ecclesiæ archidiacono, qui post Joannem VIII. sedit papa. Hæc autem synodus collecta est adversus prævaricatorem, & crucis proculcatorem, & divinarum humanarumque legum contemptorem Photium, qui ut fur & latro Constantinopolitanum patriarchatum invasit.* Quare probasse mihi videris optime synodos prioribus septem plures esse, & hanc vere fuisse œcumenicam. Valentne pro conciliis aliis eædem rationes? Valent omnino, reposuit *Romanus*. Audi enim quod de Lateranensi IV. testatur abbas Urspergensis. *Anno*, inquit, *ab incarnatione Verbi* MCCXV. *celebrata est sancta universalis synodus Romæ in ecclesia Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, mense Novembri, præsidente D. Innocentio papa III. pontificatus ejus anno 18. in qua fuerunt episcopi* CCCCXII. *inter quos extiterunt de præcipuis patriarchis duo, videlicet Constantinopolitanus & Jerosolymitanus; Antiochenus*

Act. VIII. synod. sub finem.

Synodus Lateran. IV. vere est œcumenica.

autem gravi languore detentus, venire non potuit, sed misit pro se vicarium Anteradensem episcopum: Alexandrinus vero sub Sarracenorum dominio constitutus fecit quod potuit, mittens pro se diaconum suum Germarium: primates autem & metropolitani LXXI. *caterum abbates & priores ultra octingentos: archiepiscoporum autem & episcoporum, abbatum & priorum & capitulorum absentium non fuit certus numerus comprehensus. Legatorum vero regis Siciliæ in Romanorum imperatorem electi, imperatoris Constantinopolitani, regis Franciæ, regis Angliæ, regis Ungariæ, regis Jerosolymorum, regis Cypri, regis Arragoniæ, necnon & aliorum principum & magnatum, civitatum, aliorumque locorum ingens fuit multitudo.* Hæc Urspergensis. Adfuit etiam Jonas olim Maronitarum antistes, tum Surianorum patriarcha. Hic cum Græcis inita fidei consensio, damnatæ Albigensium & Almarici hæreses, & multa præclare pro reformandis moribus sancita, de communi omnium voto & voce. Quæ, amabo te, synodus magis œcumenica esse possit? Verum, inquit *Methodius*, imperantibus tum Francis, qui erat Constantinopoli patriarcha, Latinarum erat partium, cum interea Theodorus Lascaris suum secum Constantinopolitanum antistitem Nicææ in Bithynia haberet. Hoc tibi, inquit *Romanus*, non ibo inficias: tum scissi duas in partes Græci, alii hunc sibi volebant patriarcham, illum alii. At quis merito neget patriarcham legitimum eum fuisse qui concilio adfuit, non modo quod Græcorum pars magna ab ipso staret, sed quod ab summo Pontifice rite confirmatus sedem urbis occuparet? Qui vero Nicææ sedebat, sibi non habebat consentientem magnam Græcorum partem, tum *non intrarat per ostium in ovile ovium.* *Ioan.* 10. Neque enim illi *ostiarius qui claves regni cælorum accepit a Christo, aperuerat, sed ascenderat aliunde.* Sed fac vere hunc Constantinopolitanum extitisse patriarcham: cur non adfuit vel per se, ut Maronitarum antistes sive Surianorum patriarcha; vel per legatos, ut Alexandrinus & Antiochenus; cur saltem per litteras, ne synodus absente se & repugnante haberetur, non intercessit? Adde, si patriarcharum aliquis concilio absit, non continuo concilium nullum esse. Quid enim Ephesino fieret, ab quo non Constantino-

politanus modo Nestorius, sed Antiochenus etiam Joannes abfuere? Jam synodum Lugdunensem II. nemo pariter ab œcumenicarum numero jure eximat, quæ maxime in Græcorum gratiam coacta est, & ad quam ipsi accesserunt cum Michaelis imperatoris sui & sex metropolitanorum principum synodicis literis. Synodicas appellavi literas, quod eas de communi episcoporum sibi subjectorum consilio metropolitæ dederunt. In illa eandem cum Romana ecclesia fidem *Græci professi, eam se inviolabiliter servaturos, & in ea omni tempore perseveraturos, nec ab illa ullo unquam tempore recessuros, vel quoquo modo deviaturos, nec discrepaturos, advocato in testem Deo, promiserunt, & apposita ad sacrum evangeliorum codicem manu confirmarunt.* Has adeo œcumenicas synodos cum nullam Græci possunt fingere repudiandi rationem, tum maxime premit illos Florentina, quam nisi œcumenicam fateantur, nullam antiquiorum, ac ne ipsam quidem Nicænam hac appellatione dignam merito censebunt. In prioribus septem pontificum Romanorum nemo per se adfuit; abfuerunt ab quibusdam e patriarchis aliqui, ut in Ephesina Nestorius Constantinopolitanus, & Antiochenus Joannes; atque in Chalcedonensi Dioscorus Alexandrinus. In quibusdam non sederunt imperatores, abnuerunt in nonnullis episcoporum non pauci subscribere. Nicænæ decretis noluerunt assentiri teste Nicephoro eccl. Hist. lib. 8. cap. 18. Menophantus Ephesinus, Eusebius Nicomediensis, Theognis Nicænus, Maris Chalcedonensis, Theonas Marmaricanus, Secundus Ptolemaïdis, Patrophilus Scytopolis, Narcissus Nerodiadis antistites. Rufinus Hist. l. 10. cap. 5. enumerat septemdecim, quorum sex passi sunt se in exilium abigi cum Ario suo, simulate undecim alii manu sola, non animo, in Patrum sententiam visi sunt cedere. In tertia Joannes Antiochenus, postquam Ephesum accessit, unaque cum eo tres & quadraginta episcopi negarunt se subscripturos. In quarta Ægyptii præsules adduci ad subscribendum minime potuerunt. Verum hic in Florentina synodo, unum si excipias Marcum Ephesium, subscripserunt omnes; interfuit per sese Joannes Palæologus Græcorum imperator, nemo patriarcharum defuit: aderat enim Jose-

Synodus Lugd. II. sine dubio est œcumenica.

Florentina synodo universalior & magis œcumenica nulla est.

phus Constantinopolitanus, & cum ipso cæterorum legati Antonius Heracleensis, & Gregorius protosyncellus pro Philotheo Alexandrino, Isidorus metropolita Syriæ pro Antiocheno, & Dositheus Mopsuestiensis pro Jerosolymitano; & præfuit per sese Eugenius IV. pontifex maximus. Actum in hac synodo de rebus fidei gravissimis, si quæ sunt. Deliberatum de iisdem mature, scite, accuratissime, anno ferme uno, & summa omnium consensione pronuntiatum. Cumque vix Latinorum ullus in iis quæ apud Græcos celebrata sunt conciliis, præter pontificis legatos accesserit, in hoc Florentinum tum Græci, tum Latini antistites numero magno convenerunt. Quamobrem sic existimo eum qui synodum Florentinam habere œcumenicam renuat, nullam proponere posse tanto nomine digniorem. Videtur id quidem, inquit *Methodius*, nisi gesta essent per fraudem omnia, & extorta a Græcis suffragia spe munerum, & minarum metu. Neque dubium hoc esse cuiquam potest: quandoquidem id, qui synodo intererat Sylvester Syropulus, gravissime scripto libro contestetur. Neque unus ipse in testem est, sed ex episcopis multi, qui reversi Constantinopolim sponte sibi in proditæ fidei pœnam sacris interdixerunt. Mirum est, reposuit *Romanus*, ea sic commemorari a Græcis, quæ si vera essent, par esset, si consultum honori vellent, obruere silentio. Nam si tantum ignaviæ, tantum perversitatis in selecto illo Græciæ flore extitit, quodnam erit de cæteris ferendum judicium? At longe absunt a vero, qui sic referunt. Vis cui facta? ubi? a quibus? Mihi crede: si adhibita fuisset, non evasisset Orientis portentum & exitium Marcus Ephesius; illum in malam rem, vel in aliorum abire sententiam compulissent. Neque capitula fidei quinque habuissent satis, qui vim putantur fecisse; sed quasdam jussissent immutari consuetudines, quæ Latinis non valde probabantur. Sed quia pacifice omnia & amice propositum erat exequi, quod tolerari potuit, dimissum est. Reorum contumacium, absit verbo injuria, expostulatio hæc est solemnis; negant rite peractum judicium, ne se reos fateantur. Sic Ariani primam œcumenicam synodum, Macedoniani secundam, tertiam Nestoriani, Eutychiani &

Jacobitæ quartam repudiandam pugnabant, quod nihil, si ipsos audis, nisi dolo malo & vi pessima sancitum esset. Minime tamen audiendos illos putarunt nobiscum Græci, cum Spiritus sanctus, qui unus ore Patrum in synodo legitima pronunciat, nulla vi, dolo nullo adduci possit, ut inducat in errorem. Sint Patres concilii Balaamo deteriores, non potest rex Moab diabolus tota pecunia sua facere, male ut dicant: sint Caipha pejores, ut ille *non a semetipso dixit expedire, ut unus moriatur pro populo, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit.* Ita illi non a semetipsis, sed quia sunt in synodum congregati Spiritu sancto præside, quod verum est edicunt. Sylvestrum Syropulum appellasti testem, & in caput suum jurantem, spe aut metu depravatam fuisse antistitum fidem. Sic jurabant superiores hæretici. Tum Sylvestro tuo longe nobiliores & sanctiores viros opponimus Josephum Methonensem episcopum, & alios synodi Patres, qui libris editis contestati sunt, rite omnia, & ex Christi ecclesiæque legibus confecta esse. Quos vero aiebas sibi sacris post suum Constantinopolim reditum interdixisse; illis certum est tum injectum metum, & populi metu eo compulsos. Nemo enim nescit, quas Marcus Ephesius turbas moverit. Sed finge, hoc illos sponte, quasi se faterentur reos, fecisse, tum peccarunt agente illos in præceps Spiritu proprio, qui duce sancto Dei Spiritu in synodo non peccarant. Quid ergo, inquit *Methodius*, Bessarionem summus pontifex cardinalitio locupletavit pileo, nisi in præmium proditæ suorum fidei? Vellem, respondit *Romanus*, molliore te usum verbo. Tantum abest, ut Bessarionem habuerint proditorem Græci, ut statim ab reditu sibi illum in patriarcham voluerint; quam cum a se dignitatem removisset vir quietis & salutis amantissimus, (quod minus erat ad pompam & opes) cardinalem illum pontifex dixit. Unum aut alterum superest, inquit *Methodius*, cui cum feceris satis, necesse est ut synodum illam nostri admittant, vel Deo indicant bellum. Post actas priores septem synodos, inquiunt, habere octavam non licet, nisi mancas, & imperfectas superiores illas autumes, quasi non satis quæ fidei sunt, exposuerint. Arrisit *Romanus*, &, Credo, inquit,

Ioan. 11.

inquit, hoc profers joci gratia. Nam quid insulsius? Si ante synodum septimam eodem argumento Iconoclastæ contendissent præter sex priores synodos nulli posse probari septimam, auditi-ne ab Græcis essent? Quis Patrum unquam synodorum numerum septenario definivit? An cum nova exoritur hæresis, tam est necesse illam coacta synodo debellari, quam necesse fuit debellari Arianam? Neque qui aliam ab septem prioribus agnoscit, is defuisse illis quidquam astruit. Præclare quod sui erat instituti unaquæque absolvit. Divinitatem Christi manifestam egregie fecit prima synodus, quod tunc temporis quærebatur; & de divinitate Spiritus sancti, si nihil protulit, ut testatur Menæum vestrum, non continuo manca est & imperfecta. Capimus hoc, inquit *Methodius*. Ecce tibi nodum alium, haud scio an arctior sit. Aiunt synodos omnes œcumenicas claruisse miraculis, id est, in iis sedisse Patres, qui admirabilia ederent supra naturæ totius vires atque consuetudinem; nihil autem visum in Florentina simile. Ubinam, inquit *Romanus*, ubinam hæc lex descripta, ut nulla sit in œcumenicis numeranda synodus, nisi ubi divinitus sint edenda miracula. Si valet, vereor, ne quintam & sextam & septimam e synodorum numero expungamus. Verum ut hoc illis nunc annuamus, aio non desiderari in Florentina synodo miracula. An leve est quod S. Bernardino ibi concionante evenit? Incredibili ardebat Græcos ad concordiam revocandi studio. Verum cum Græce nesciret, nec posset interpres cogitata ejus & animi sensa belle explanare; venit illi in mentem contulisse Deum apostolis, ut gentium omnium linguis loquerentur, neque sibi pro salute amplissimæ gentis optimum Dominum defuturum. Fusis ea mente ad Christum precibus, mox animo atque ore inflammatissimus cœpit ad Græcos de suggestu dicere, idque Græca lingua tam probe, tam facunde, ut mirati sint omnes, & affirmaverint, non posse ipsum, si in Græcia natus esset, castigatius disertiusque perorare. Sed perorabat in ipso, cujus tum cum Græcis agebat causam Spiritus sanctus, & dabat in illa hora quid loqueretur. Nam ubi habita concione e suggestu descendit, ut erat antea, sic mansit linguæ Græcæ ignarus. Neque ex parte Græcorum Pa-

Bail. in Comp. concil. ex ejus vita.

Hist. Flor. concil.

trum miracula defuerunt. Nam qui princeps in antistitum cœtu erat Josephus patriarcha Constantinopolitanus, divinitus de morte admonitus, cum lectum ea nocte qua obiit, peteret, sibi afferri chartam jussit, in qua fidem catholicam Romanam professus, in ea se mori affirmavit, eadem opera Græcos hortatus, suos scilicet in Domino filios, ut illam, & synodi decreta amplecterentur. Nemo tunc suspicabatur eum morti proximum, neque quid scripsisset noverat, dum postridie mane concilium ingressi familiares, mortuum in lecto, & depositam in mensa chartam repererunt. Quid dicam Gregorium illum Mammam pœnitentiarium protosyncellum, & sedis Alexandrinæ in synodo vicarium, illa peracta post Metrophanem in patriarcham evectum miraculis claruisse? Vocat illum Matth. Kigala in sua nova Synopsi ἁγιώτατον πνευματικὸν, eumque ait, cum videret augeri in dies apud Græcos scandala, tum urbis Constantinopolitanæ obsidionem & vastationem futuram prænuntiasse. Quid memorem Marci Ephesini mortem Arii morte fœdiorem? Erumpentibus enim in maledicam linguam alvi sordibus, eas ore cum anima evomuit. Quid referam Nicolai papæ in suis ad Constantinum imperatorem litteris scriptum vaticinium de evertendo post annos tres Græcorum imperio, nisi suscepta synodo Romanæ adjungerentur ecclesiæ. Hic *Methodius* ad suos conversus, Non video, inquit, quid causari nostri ultra possint, quominus synodum hanc venerentur & admittant: vel hæc divina est, vel nulla alia esse potest. Verum non est par conciliorum aliorum ratio, in quibus Græcorum nullus adfuit; quæ tamen œcumenica haberi deberi decernitis. Quæro abs te, inquit *Romanus*: Constantinopolitanam synodum, ubi damnatus est Macedonius, num fatentur Græci œcumenicam, cum tamen Latinorum nemo in ea sederit? Nec sedit etiam nostrorum ullus in quinta. Hoc tibi assentior, respondit *Methodius*: at Constantinopolitana ab Damaso papa, ut jam dictum est, & hæc altera ab Vigilio postea confirmata est. Adde, subjunxit *Romanus*, ambas illas cum eo nomine, tum maxime quod erant invitati totius orbis episcopi, etsi non adfuerunt omnes, œcumenicas appellari. Ut enim concilium aliquod in


Crus. in Hist. polit. & alii.


Quas habent Latini œcumenicas synodos, illæ vere sunt œcumenicæ.

œcumenicis censeatur, jam notavimus satis esse, si encyclicis litteris evocentur episcopi, & synodus, postquam absoluta est, autoritate pontificia stabiliatur. In quibusdam si minime adfuerunt Græci, volentes defuerunt. Abunde est inquit *Nicolaus*. Nihil mihi veritate antiquius & carius. Quid dubii in apertissimis his sermonibus? Væ iis iterumque væ, qui pacem ecclesiæ respuunt, & resistunt semper Spiritui sancto per legitima hæc concilia edocenti. Nolite vero existimare, religiosissimi patres, Græcos a vobis aversos vobis adversa sentire. Aversos quosdam, cum palam sit, quis neget? sed indoctos illos & malevolorum sermonibus deceptos quis non novit? Sic habemus, ecclesiam unam esse ex Francis Græcisque, & ex omni hominum genere conflatam; neque nationis studio, vel animi fastu inanissimo, *ab veritate, quæ una liberat*, discedemus unquam. Satius est Christo placere, quam sibi & suis. *Si hominibus placerem*, aiebat Paulus, *Christi servus non essem*. Jam vobis, patres ornatissimi, quas referemus gratias, qui cœnobium hoc nostrum non cohonestastis modo præsentia vestra, sed tam multiplici tamque sana doctrina locupletastis. Doctrinam hanc ad magnam partem, pater colendissime, inquit *Ignatius*, e librorum vestrorum fontibus hausimus, ut agnoscere beneficium nos vestrum teneamur, non vos nostrum. Hoc lætamur uno, e vobis jam neminem vocare in dubium, quin summa sit Romanos inter Romæosque, ut nominis, sic fidei & religionis consensio. Unde intelligere est Græcum non esse, qui aliter sentiat & profiteatur. Photianum dicite a Photio, Marcianum ab Marco Ephesino, alio nomine ab aliis pacis & communis boni hostibus ducto nuncupate. Græcus autem qua ratione nominari ille possit, qui Patrum Græcorum sententiis, qui libris ecclesiæ Græcæ induxit obstinate in animum non assentiri. Gratias vero quas nobis habere te significasti, rependere nostrum est. Sumus enim ea a vobis benevolentia excepti, ut deprædicare illam pro merito non possimus. Hærebit certe apud nos alte defixa tanti beneficii, dum vivemus, memoria. His aliisque verbis cum sese humanissime Græci Latinique consalutassent, vale sibi dixerunt.

Joan. 8.

Gal. 1.





DIALOGUS XVII.

De Taborio lumine, Dei essentia & operatione, Gregorio Palama, & conjugio sacerdotum.

CUM essent postridie duntaxat mane profecturi Latini sacerdotes, & pomeridianis horis vacarent, ad eos Nicolaus abbas & Methodius fructus alicujus percipiendi gratia accesserunt. Vexabant Græcos homines dubia præterea nonnulla de lumine Taborio, quo Christus Dominus admirabiliter, cum *transfiguratus* est, effulsit; de divinis operationibus, quo ab essentia modo distinguantur; de Gregorio Palama, rebusque aliis levioris momenti. Quapropter visum est de his etiam quærere apud sacerdotes Latinos, scrupulum ut sibi, & metum errandi omnem evellerent. Ad eos ergo cum fuissent ingressi, Vereor, inquit *Nicolaus*, patres ornatissimi, ne interpellatores convenerimus: sed istuc nos rapuit humanitas vestra singularis, & vehemens veritatis studium, quo Christi nos amor accendit. Dum lucem habemus, ad eam venimus, ut manifestentur opera nostra, & qui filii lucis & sumus, & esse semper, Deo bene juvante, volumus, illa exoptamus perfundi, in ea exultare, & ambulare, eam tota mente excipere & fovere. Nihil nobis, reposuit *Ignatius*, accidere jucundius potest suavissimo vestro congressu. Novimus sacerdotes Christi omnes solis instar a Deo esse emissos in lucem mundi, & si qua a nobis ad vos perveniet, accedet ad nos e vobis non absimili effluxu, ac vicissim conjunctis luminibus illustrabimur. Quoniam luminis, inquit *Methodius*, incidit primum mentio, amabo vos, quid de Taborio illo, quo Christus in *transfiguratione* admirabiliter resplenduit, nobis dicendum. Hoc dicendum, ait *Ignatius*, quod fides, quod recta ratio, quod sancti Patres de illo pronuntiant. An pronuntiant, reposuit *Methodius*, quod visi sunt affirmare Barlaamus & Acyndinus, ipsam fuisse Dei substantiam, vel divinitatem creatam? Absit, ô: absit, inquit *Ignatius*: excidit prorsus e mente ac fide, qui creatam divinitatem invehit. Quod

enim Deus est, id cum causa prima sit, causam priorem, ab qua procreetur, fieri non potest ut habeat. Non fuisse vero ipsam Dei substantiam, qui habet aures audiendi, ex evangelio audit, & si mente præditus est, satis capit. Nihil enim discipulorum oculis tum Christus objecit, præter corporatum lumen, quale solis est, & candorem emicantem, qualis in nive scintillat. Lumen autem corporatum, & candor non modo non sunt ipsa Dei substantia, sed ne substantiæ quidem nomen obtinent, cum ex eorum numero sint, quæ substantiæ accidunt. Quid ergo, inquit *Methodius*, Patres sanctissimi statuunt, (quod in Triodium nostrum ex Nicephoro Xanthopulo immissum est) *divinissimum scilicet istud lumen increatum esse, & naturalem gratiam, & fulgorem, & operationem ex ipsa divina substantia inseparabiliter, semperque emanantem, effusionem divini splendoris, & gloriam absolutissimam, quæ nec mente capi, nec explicari oratione possit, gloriam æternam Filii, & regni Dei, & pulcritudinem veram & amabilem, quæ divinam & beatam naturam ambiat, naturalem gloriam Dei, & divinitatem Patris & Spiritus sancti in Filio unigenito effulgentem, ut divini & pleni Deo Patres dixerunt, Athanasius & Basilius, magni ambo, Gregorius theologus, Joannes Chrysostomus, & Joannes etiam Damascenus?* In hunc modum si Patres illi dixissent, reposuit *Ignatius*, excidissent e Patrum gradu, neque essent vel philosophis annumerandi, qui contra fidei decreta, & rationis edicta tam insulse docuissent. Nicephoro affirmanti noli temere assentiri. Quid enim in his novit de plebe vir, ac minime initiatus, qui suere extra crepidam voluit, & docere ausus est, absit verbo injuria, ὡς Ἀθηνᾶν, sus Minervam. Qui in annalibus hominum parum vidit, nec scite potuit ab veris falsa secernere acuminis inopia, quid perspexit in divinis adytis, quæ ne de limine quidem salutavit. Videte autem viri laici temeritatem dicam, an amentiam, qui fidei dogmata tot perculit anathematis, qui nefandis erroribus fauste acclamari toties jussit beneque dici. Parcite, si contra quam soleo, paulo illum appellavi durius: sed quis mitius illum habeat, qui Græcos suos, qui Patres, qui ecclesiam tam fœde commaculat, suos illis errores affingit,

& in orthodoxos anathemata acerbissima contorquet. Misso Nicephoro, satius est nos audire quid sentiat Chrysostomus. Quid est divinum illud quod Christo adfulsit lumen? ὑπόδειγμα, inquit, τῆς δόξης ἐκείνης, *exemplum illius gloriæ*, qua scilicet gavisurus est, cum e mortuis surrexerit. Atenim asserit Nicephorus esse ipsam gloriam, imo divinitatem Patris & Spiritus sancti in Filio effulgentem? Sed quid Chrysostomo faciemus perneganti, & inculcanti, lumen illud, etsi admirabilitatis plenum ac valde optandum erat, fuisse tamen σωματικώτερον, *valde corporatum?* An contra Chrysostomum pronuntiabimus, & gratificaturi Nicephoro, profitebimur naturalem Dei gloriam, σωματικωτέραν, valde corpoream esse? Quam inique testem adscivit Nicephorus Chrysostomum, tam immerito alios, quos laudat, Patres induxit, quorum alii hoc de lumine nihil scripserunt, alii non absunt ab Chrysostomi sententia; nemo increatum asseruit lumen illud, aut finxit naturalem esse Dei gloriam. Quid ergo extitit lumen illud Taborium, inquit *Nicolaus?* Cui *Ignatius*, Lumen erat, inquit, corporeum, creatumque ex increato & spiritali lumine, divinitate scilicet Christi promanans, quo promanabit modo ex beata anima in corpus lux illa singularis, *qua justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Et quemadmodum lux illa corporis alia erit ab animæ luce, quacum tamen necessario conjuncta est, ita lumen illud transformati Christi aliud ab lumine divinitatis, ab quo profluebat, extitit, tamque discrepabat ab alio aliud, quam differt a corpore spiritus. Fuit enim, ut recte sentit Joannes Damascenus, orat. de Transfiguratione Domini, *fuit lumen illud Taboricum corporis splendor*, τοῦ γὰρ σώματος τὸ φάτος ἡ ἔκλαμψις γέγονε, sed splendor adeo cum sempiterno & increato splendore conjunctus, ut vere deitatis claritas & gloria dici possit; quippe qui nullo alio in corpore reperiri hujuscemodi valeat, nisi in eo quod unum quiddam cum Deo ὑποστατικῶς existat, & in ipso existere quasi ex necessaria naturæ consecutione debeat. Quod si *invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas*, in illo maxime lumine hæc visa sunt. Non enim Dominus JESUS adscititium habuit illud gloriæ ornamentum,

Homil. 57. in Matth.

Lumen quod in transfiguratione e Christo effulsit, non est increatum, neque divinitas appellari debet.

Matth. 13.

Rom. 1.

ut ait Joannes Damascenus, sed ex insita divinæ gloriæ claritate: οὐκ ἐπίκτητον ἔχει τὸ τῆς δόξης ὡραΐσμα, ἀλλ' ἐκ τῆς ἐμφύτου τῆς θείας δόξης λαμπρότητος. Ubi vides sic secerni Taborium lumen *ab naturali Dei gloria & claritate*, ut ab causis distinguuntur effecta. Cum autem effecta illa sint causarum decus & gloria, quia ipsæ effulgent in effectis; sic lumen illud non abs re deitatis radius, imo & gloria appellari potest. Neque enim ulla in re alia suam Christus divinitatem conspiciendam magis expressit. At dici increatum ὀρθοδόξως omnino non potest. Nam primo solus Deus increatus, est ut docent una voce Patres omnes. In his Gregor. Nyssen. lib. 12. adversus Eunom. & Gregorius Nazianzenus orat. 1. περὶ ἀρχῶν, & Joan. Damasc. lib. 1. orthodoxæ fidei. Ergo cum lumen istud non sit ipse Deus, necesse est creatum esse. Deinde omnia per verbum facta sunt, ut scribit Joannes primo evangelii sui capite, omnia, inquam, ut ait Paulus epist. ad Coloss. sive in cælo, sive in terra. Igitur cum omnium de numero sit illud lumen, factum esse aliquando, palam est. Præterea erat corporum oculis aspectabile, & in corpore positum. Quamobrem & corporeum ipsum quoque fuit. Jam qua, amabo te, ratione quod corporeum est, æternum sit & coævum Deo? qua ratione quod corporeum erat, corpus antecessit & existere sine idoneo & naturali sibi subjecto æternitate retro tota potuit, contra quam rerum ordo postulat? Denique quî possit e divina natura spirituali materialis ille fulgor ἀχωρίστως ἀεὶ, *inseparabiliter semper*que emanare. Si inseparabiliter profluit: ergo in spiritu illo purissimo semper adfuit materiæ nonnulla, imo infinita concretio. Immensum enim lumen fuerit oportet. Si ab divina emanat substantia: ergo errat Græcorum ecclesia in Octoecho in κα' ἤχῳ πλ'. δ'. cum Deum ab simplicitate laudat, appellatque τριάδα ἁπλῆν ἁγίαν, *trinitatem sanctam simplicem*. Est enim, si Nicephorum audimus, ex substantia & lumine illo increato, quod ab illo effluit, in eoque recipitur, compositus. Quin etiam illum component non absimili modo ἐνέργειαι & operationes reliquæ divinæ. Vide sis, inquit non valde serio *Methodius*, vide sis quid hic postremo asseras. Anathema enim iis in Triodio dicitur,

Ibid.

Dei energiæ & operationes internæ non distinguuntur ab essentia.

sive qui censent unum & idem esse sine ullo discrimine substantiam divinam ejusque operationem, sive qui affirmant, constituto inter utramque discrimine, ex utriusque complexione fieri in Deo compositionem, naturæ scilicet & operationis. Sit creatum Taborii lumen, quoniam sic visus es demonstrare; sed splendorem illum, quo fulget in sese Deus, sed aliam quamvis operationem, quæ ab divina substantia inseparabiliter semperque promanat, creatis rebus noli accensere. Fateor, inquit *Ignatius*, naturalem Dei proprietatem & vim agendi, internasque ejus & immanentes operationes, ut intelligendi actionem minime procreatas esse, sed illas aio unum idemque esse, sine ullo discrimine, cum divina substantia. Eos vero qui ab hac illas secernunt, contendo inducere compositionem in Deum. Est enim compositio, nisi fallor, rei cum re positio. At ponunt cum Dei substantia distinctas ὄντως ἐνεργείας, operationes: Deum igitur componunt. Imo destruunt. Quod enim compositum est, fieri non potest, ut Deus sit. Deus enim est & appellatur, qui seipso perfectus est. At quod variarum rerum compositionem admittit in sese, non seipso, sed rerum illarum accessione completur & absolvitur. Adverte, quæso, reposuit *Methodius*, quod docent, Nicephoro teste, sancti, *nullam scilicet compositionem ab iis quæ naturalia sunt in natura fieri.* Testem utinam alium, inquit *Ignatius*, cui fides haberi posset, evocasses. Nam qui sunt tandem illi sancti? Ubi, non dicam acumen, sed ubi mens hominis tam falso, tam insulse respondentis? Corpus & anima naturalia sunt homini; nonne fit ab iis in natura hominis compositio? Intelligere & velle naturalia sunt angelo, ut & intelligendi & *volendi* vis, annon facit hoc in angelo facultatum & substantiæ & actuum compositionem? Qua re Deus angelo simplicior est, nisi quod actus purus est, ut aiunt cum Aristotele sancti, id est, ipse sua operatio. Quid ais, interpellavit *Romanus*, Deum destruunt? Imo mihi videntur plures nobis deos procudere. Nam operationes illæ & energiæ, quas a Deo semper emanantes a Deo secernunt, differunt ab substantia divina, quo plane modo persona divina ab alia discrepat, ut id quod *principiat* scilicet, ab eo quod *principiatur*. Jam cum

Petav. theol. dogm. tom. 1.

res

res nulla existere omnino possit, nec animo cogitari sine sua essentia, cum operationes illæ & energiæ illæ distinguantur a divina, aliam sibi propriam quæ divina quoque sit, habeant necesse est. Atque adeo varii multiplicis formæ dii erunt. Quo dicto quid vecordius fingi potest aut gravius? Non sic personæ divinæ, quæ cum idem omnino cum divina essentia sint, unus omnino sunt Deus. Nescio, inquit *Methodius*, an plures Nicephorus ejusque vel duces vel asseclæ deos admittant. Eos certe anathemate feriunt, qui plures divinitates negant existere, noluntque hoc nomine Dei operationes & ἐνεργείας afficere. Sibi illi, reposuit *Ignatius*, quidlibet audendi fecerunt potestatem: at Græci incredibilem illam divinitatum turbam execrantur. Audi illos Octoechi in libro ᾠδῇ θ. οὐ θεοτήτων τριάδα, ἀλλ᾽ ὑποστάσεων, οὐδὲ μονάδα προσώπων, ἀλλὰ θεότητος σέβοντες, τέμνομεν τοὺς ταύτην διαιροῦντας· συγχέομεν δὲ πάλιν τοὺς σύγχυσιν τολμῶντας κατὰ ταύτης τὴν μεγαλύνομεν. *Cum veneremur non divinitatum triadem, sed personarum, & colamus non personarum unitatem, sed divinitatis, abscindimus eos qui illam dividunt & distribuunt. Sic eos quoque confundimus, qui in illa quam extollimus, deitate audent confusionem facere.* Age ergo, inquit *Nicolaus*, quid nobis Græcis de divina substantia ejusque operationibus & ἐνεργείαις sentiendum? Quod canitis in vestris templis, reposuit *Ignatius*, quod ab sanctis Patribus accepistis, Deum scilicet substantiam esse simplicem, compositionis penitus expertem, ut in Octoecho ἤχῳ πλ. δ. ᾠδῇ: ἁπλοῦν κατ᾽ οὐσίαν: naturales vero ejus proprietates & ἐνεργείας nihil ab ipso Deo re ipsa differre, sed sola cogitatione secerni, ut docet Dionys. de divin. nom. c. 5. οὐκ ἄλλο εἶναι τἀγαθὸν καὶ ἄλλο τὸ ὄν, καὶ ἄλλο τὴν ζωὴν, ἢ τὴν σοφίαν, οὐδὲ πολλὰ τὰ αἴτια, καὶ ἄλλων ἄλλας παρακτικὰς θεότητας ὑπερεχούσας καὶ ὑφειμένας, ἀλλ᾽ ἑνὸς θεοῦ τὰς ἄλλας ἀγαθὰς προόδους. *In Deo*, inquit, *non est aliud bonitas, aliud essentia, aliud vita, aliud sapientia, neque plures causæ, neque divinitates plures, quarum aliæ producantur ab aliis, excellentiores aliæ, aliæ inferiores, sed universæ Dei unius sunt processiones bonæ.* Nempe ejus una eademque essentia pro varia effectorum, quæ ab ipsa profluunt consideratione, modo sapientia, modo boni-

Qui in Deo distinctas ponunt ab essentia proprietates & operationes, illum componunt.

tas, modo justitia, alia modo appellatione afficitur. Audi vero quam præclare Dionysio hierarchico theologo Joannes e Damascena civitate theologus concinit lib. 1. orth. fid. c. 12. τὸ θεῖον ἁπλοῦν ἐστι καὶ ἀσύνθετον, τὸ δὲ ἐκ πολλῶν καὶ διαφόρων συγκείμενον σύνθετόν ἐστι. εἰ οὖν τὸ ἄκτιστον καὶ ἄναρχον καὶ ἀσώματον καὶ ἀθάνατον καὶ αἰώνιον καὶ ἀγαθὸν καὶ δημιουργὸν, καὶ τὰ τοιαῦτα οὐσιώδεις διαφορὰς εἴποιμεν θεοῦ, ἐκ τοσούτων συγκείμενον, οὐχ ἁπλοῦν ἔσται, ἀλλὰ σύνθετον. ὅπερ ἐσχάτης ἀσεβείας ἐστί. *Deus simplex est, atque ab omni compositione alienus: quod autem ex multis ac diversis conflatur, compositum est. Si igitur increatum ac principii expertem esse, si incorporeum, immortalem, æternum, bonum, rerum omnium parentem & architectum, cæteraque id genus, substantiales Dei differentias dixerimus: quod ex tam multis conflabitur, non simplex erit, sed compositum. Id quod extremæ impietatis fuerit dicere.* Lege totum hoc orthodoxæ fidei caput, ubi Damascenus apertissime docet, unum & idem in Deo esse, bonitatem & essentiam Dei, ejusque item operationem; etsi bonitas & operatio naturam ipsam mentis consideratione consequantur, sintque in Deo variorum causæ nominum, quatenus ad varia Dei effecta comparantur. *Nam & eorum, quibus dominatur, dicitur dominus; & eorum, in quos dignitatem regiam obtinet, rex; & eorum quæ efficit, effector; & eorum quos pascit, pastor.* Jam intelligo, inquit *Nicolaus*, ab iis divinæ simplicitatem naturæ everti, qui Dei intrinsecam operationem ab ipsa Dei substantia distinguunt. Superest, exponas quid sibi velint, cum *Dei operationem quidem participari posse* affirmant, *substantiam vero non posse*. Quid sibi velint, reposuit *Ignatius*, haud scio, an ipsi capiant. Hoc scio apud Dionysium lib. 5. de divin. nom. sic asseri, non minus participari τὸ *esse* divinum, quam divinæ participantur sive virtutes, sive operationes. Imo tradit ex iis quæ participantur πρὸ πάντων αὐτῶν τὸ εἶναι μετέχειν, *ante omnia ipsum esse participari*. Certe dari christianis justis Spiritum sanctum, testantur passim sacri codices; ipsumque dari οὐσιωδῶς, ejusque communicari substantiam uno quasi ore Græci Patres profitentur. Ait Christus, *Accipite Spiritum sanctum*: exclamat Paulus, *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*: definit Petrus, *divinæ*

Quomodo divina substantia, ejusque operationes participari dicantur.

nos per gratiam consortes naturæ fieri. Filius hominis Christus nostrum omnium caput & salus, non sortitus est modo sapientiæ & scientiæ Dei thesauros omnes, sed inhabitantem in se divinitatis plenitudinem complexus est οὐσιωδῶς ὑποστατικῶς, *substantialiter personaliter.* At, amabo, explanent nobis recentiores illi de nesciocujus schola theologi, quid sit *participari operationem Dei*, quidve obstet, quominus divina in eundem modum participetur natura. Operari profecto in homine Deus non potest, quin in eo ad eum fere modum sit, quo operatur. Novi non sic homini christiano divinam communicari substantiam, ut communicatur Filio Dei, ejusque Spiritui; quippe jam homo non esset, sed Deus: neque ut communicatur homini Christo; fieret enim e divinis personis una aliqua. At communicatur miro quidem, sed vero modo, quo homo fit non Christus, sed christianus; non Deus, sed divinus; vehiturque ad statum naturali omni superiorem, & Filio Dei dignum. Hæc, inquit *Methodius*, cum ita sese habeant, valeat sane Nicephorus Xanthopulus: sed Gregorio nostro Palama quid tandem fiet, qui lumen illud transformati in Taborio Christi increatum asseruit, divinamque ἐνέργειαν increatam ab Dei substantia, a qua profluit, vehementissime propugnavit reipsa distingui, quemadmodum quod ab causa est, id ab ipsa omnino secernitur? Quid synodis illis fiet, quas Constantinopoli curavit habendas, & quasi moderatus est contra Barlaamum & Acyndinum, eorumque discipulos, ubi in ipsius sententiam manibus pedibusque itum est? Verum, ait *Ignatius*, Palamæ vestro & privatis illis ac tumultuariis synodis si assentimur, quid sanctis Patribus fiet, qui omnes, ut demonstravimus, contra sentiunt? Quid synodis œcumenicis, qui Patrum doctrinam comprobarunt? Quid Joanne Constantinopolitano patriarcha, quid Antiocheno Ignatio, qui Palamæ ejusque erroribus dixerunt scripseruntque anathema, ut refert doctissimus e Græcorum gente Allatius dissertatione sua 2. de libris Græcorum ecclesiasticis. An valere Patres, synodos, patriarchas vestros jubebitis, salvere autem Palamam? Excipietis hujus nefanda somnia, & multiplicem hæresim; Patrum vero dogmata, decreta synodorum, patriarcharum

mandata proculcabitis. At Palamas hic noster, inquit *Nicolaus*, in sanctis est, & alterius nullius memoria, encomiis apud nos majoribus celebratur. Nam & secundam illi e quadragesima dominicam consecravimus, iisque ibi laudibus extollimus, ut vix Christum pluribus. Immensa illa supra numerum & modum præconia, reposuit *Romanus*, quæsitusque iste adeo singularis dies, argumento sunt in sanctorum classem fuisse Palamam immissum dolo malo, quo fucus posteris fieret. Cum enim sanctitas omnis sic fidei veritate quasi fundamento innitatur, fieri non potest, ut qui judicio nostro sanctus est, carere illum veritate censeamus. Hinc est quod Nestorium Nestoriani, Jacobitæ & Armeni Barsumam & Dioscorum tot virtutibus exornant, tamque admirabili miraculorum gloria, ut quamvis turpissime ac stolidissime erraverint, eorum asseclæ hac anticipata sanctitatis opinione occæcati, errasse ipsos, vel in ipsa sacrorum codicum & conciliorum meridie, non videant. Nobis igitur, inquit *Nicolaus*, e sanctorum albo Palamas est expungendus. Vestrum est, reposuit *Ignatius*, quod est e re vestra facere. Hoc certe scio sanctum non esse Palamam, cujus 33. hæreses Demetrius Cydonius, vir in Græcis avitæ nobilitatis & summæ dignitatis, illi ætate æqualis singillatim enumerat; quem errores veterum bene multos, ne dicam pæne omnes, revocasse tradit eruditissimus e Græcia alius, quem execrandis Sodomæ flagitiis pollutum arguit Græcus alius ipsi coævus Nicephorus Gregoras, qui Hesychistarum & ὀμφαλοψύχων e numero, illusus dæmonum præstigiis se, cum ad pectus vel umbilicum caput apprimeret, & contorqueret suppresso spiritu vehementer oculos, divinam quandam & increatam lucem videre se, ardoremque Spiritus sancti concipere, ac per nares afflare affirmabat; qui denique fœdissimam, si Græcis credimus, vitam, turbarumque plenissimam gravi morbo discerptus, fœdiore morte clausit. Ut enim impurissimus olim Arius prolapsis ex alvo visceribus periit, sic Palamas animam cum stercore per os dejecto evomuit. Quod disertissime quasi rem minime dubiam testatus olim est Josephus Methonensis episcopus Græcus in sua pro concilio Florentino epistola adversus Marci Ephesii libel-

Quis fuerit Gregorius Palamas.

Allat. de lib. eccl. Græc. diss. 1.

Petav. theol. dogm. l. 1. c. 12.

lum. Quamobrem Græci ab hac noſtra ætate paulo remotiores Palamam hunc, ut audiſtis, ſanctis hominibus minime adjungebant: quonam autem recentiores conſilio ab annis circiter centum divum creaverint, omnino me latet. Triodia ante centum annos ſive manu deſcripta, ſive typis edita, nuſquam ſive Palamæ, ſive τῶν ἐνεργειῶν, operationum divinarum ab divina ſubſtantia diſtinctarum, unaque increatarum meminerunt. Et poſtquam officium de Palama in Triodium irrepſit, audio vetitum ſapientiſſimo decreto, ne quis illud in poſterum celebret. Celebratur tamen: heu! quot in locis ſumma Græcæ gentis ignominia & injuria! Quæ enim par animi cæcitas, ſi hæreticum & multorum teſtimonio ſpurciſſimum hominem, non habeas modo in ſanctis; ſed eo ritu colas, quo major excogitari non poteſt? At qua demum autoritate ſanctis adſcriptus eſt? an ſynodi œcumenicæ decreto, an privatæ cujuſdam placitis? an patriarcharum mandato? an populi totius communibus votis? Cum non extet, inquit *Methodius*, nec ſynodi ullius edictum, nec patriarcharum in eam rem conſenſio, voce populi factum id eſſe dixiſſem, niſi tot ac tantorum virorum, quos appellaſti, teſtimonio conſtaret, nec ætate ſua, dum erat in vivis, Palamam, nec poſt obitam mortem ſanctitatis, apud omnes exiſtimatione claruiſſe. Aiunt Philotheum Conſtantinopolitanum patriarcham Palamæ elucubraſſe officium, eique quaſi hominum prope maximo divinos honores adſcripſiſſe. An vero, inquit *Ignatius*, ſi Philotheus Palamam ſanctiſſimum dixit, continuo evaſit ſanctiſſimus, & is in univerſa Chriſti eccleſia haberi debuit. Eone ſe profert patriarchæ privati autoritas, ut ipſe unus, nulla coacta ſynodo, nullis auditis de ſanctitate miraculiſque viri teſtibus, poſſit ſanctorum albo, quem voluerit, pro arbitrio inſerere; & cum præſit privatæ eccleſiæ ſuæ ſoli, alias quæ ſibi non ſubſunt eccleſias, ad ſancti ſui cultum vocare & obſtringere? Liceat hoc certe, (ſi, quod nunquam licuit, nunquam licebit, concedi tibi poſtulas) liceat hoc patriarchæ legitimo. At Philotheus poſt depoſitum jure nullo Calliſtum per ſummum nefas, in patriarcham ab Cantacuzeno tyranno evectus eſt, cum rejecto Joanne imperatore legitimo pactus

esset, se Matthæo illius filio impositurum coronam, itaque patriarchalem cathedram proditione mercatus esset, proculcatis humanis legibus atque divinis. Denique id etiam tibi si dari vis, Philotheum vere & κανονικῶς patriarchali dignitate donatum, & potuisse per orbem universum christianis omnibus religiosam Palamæ venerationem indicere, & imperare. Potuerit: at id nunquam facere est aggressus, quod facere, nisi omni abjecto pudore, non poterat in recenti Palamæ memoria. Et vero delituit, quod ante annos trecentos in ipsius gratiam conscripsit officium; nec illud Palamitarum ausus est ullus efferre in lucem, & admiscere Triodio, nisi ante annos circiter centum. Tunc enim, *cum dormirent homines*, nec de Palama cogitarent, aut somniarent quidquam, obliti quis esset, quidve egerit, *venit inimicus homo*, & in librorum ecclesiasticorum quibus utuntur Græci, *agro*, ubi tot sancti Patres, aut potius Spiritus sanctus *bonum semen seminaverat superseminavit* officii hujusce Palamæi, & Synaxariorum Nicephori Xanthopuli *zizania*. Sed de Gregorio Palama, ni fallor, hactenus satis; neque, quod quæratis, aliud est. Multa supersunt, inquit *Methodius*; sed unum inprimis, de quo prius abs te edoceri velim, quam a nobis recedas. Video nostrorum plurimos offendi, quod conjugatorum hominum vel neminem initietis sacerdotio, vel initiatum jubeatis conjugio abstinere, cum *connubium* Paulus asserat esse *in omnibus honorabile, & immaculatum thorum*. Vestri illi, inquit *Ignatius*, an offenduntur peræque, quod conjugatorum hominum vel neminem deligatis episcopum, vel electum cogatis abstinere conjugio, quod cum *honorabile in omnibus* sit, maculam inurere episcopis non potest, nec fœdare ipsos monachos. Certe ita Mahometo visum est, cujus religiosi Dervichii liberos procreant, & Calvino pariter Lutheroque placuit, qui, episcopis & presbyteris nolunt esse satis ecclesiam sponsam, & spiritales liberos numero infinitos, aliam volunt addi uxorem, & alios liberos progigni. At monachi, inquit *Nicolaus*, vovent castitatem, nemoque, nisi e monachis episcopus est. Sacerdotes quoque nostri, subjecit *Ignatius*, castimoniæ sese voto obligant, adeoque quod laude dignissimum

De cælibatu sacerdotum.

Hebr. 13

Rem licitam esse & decoram.

in monachis est & episcopis, verti vitio sacerdotibus non potest. *Connubium* quidem *honorabile est in omnibus*, qui illud christiane volunt amplecti, horum thorus immaculatus est. At postquam Dei & castimoniæ amore capti, nuntium matrimonio miserunt, ut monachi & episcopi vestri, nostrique sacerdotes & olim, ut testatur Paulus, diaconissæ, si *luxuriati in Christo* nuptiis se implicent, & utantur conjugio, *damnationem habent; quia primam fidem irritam fecerunt.* 1. Tim. 5.
Quid est, inquit Augustinus in psal. 75. primam fidem irritam fecerunt? Voverunt enim, & non reddiderunt. Cum tamen, opposuit *Methodius*, sacerdos esse conjugatus possit, (nihil enim sacerdotium matrimonio repugnat) quid causæ est, cur sacerdotes nolitis esse conjugatos, maxime cum canon apost. v. prohibeat, ne suam presbyter uxorem abjiciat? Hoc ipsum abs te sciscitor, inquit *Ignatius*, unde est, quod episcopos ab connubio, maxime cum canon vi. episcopos in ea re ab presbyteris minime secernat? Recito: *Episcopus aut presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat; si vero rejecerit, excommunicetur; sed si perseveravit, dejiciatur.* Quos ferit canon ille apostolicus? Eosne episcopos qui nollent uti conjugio, an illos qui uxoris abjecta omni cura, ne victum quidem uxori, aut vestitum ministrabant? Mitte, inquit *Nicolaus*, episcopos nostros & nostra: vel, quod malim, edoce cur suos Græci episcopos, Latini sacerdotes suos, imo diaconos & subdiaconos jubeant aut carere uxoribus, aut ab illis continere se. De episcopis facile statues, respondit *Ignatius*, cum de sacerdotum causa audieris: quanto enim episcopi sacerdotibus dignitatis prærogativa præstant, tanto esse debent omni virtutum genere clariores. Jam rem attingo. i. Cum fide christiana constet, qui castimoniam colunt, eos esse cæteris, qui rei uxoriæ navant operam, puriores; nemo illos neget aptiores esse quoque sacerdotio. In quo ea mentis atque corporis exigitur mundities, ut ne angelica quidem sit satis; mireturque ecclesia Christum Dominum Virginis immaculatissimæ uterum non horruisse. ii. Nasci Christum in pavendis mysteriis sacerdotum ore vox & sententia Patrum est. Quem e Virgine decuit nasci φυσικῶς, non minus decet e virginibus,

Sacerdotes decet esse cælibes.

quantum licet ſacerdotibus, gigni *μυστικῶς* & renaſci. III. Chriſtum preſbyteri non tantum procreant ſacramento, ſed exhibent in ſeſe, ex quo illos conſecravit Chriſtus his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem.* & poſtea, *Accipite Spiritum ſanctum,* &c. Sicut miſit me Pater, & ego mitto
In lib. quæſt. & reſponſ. vos, caſtus caſtos. IV. Quærebat S. Maximus ante ſynodum œcumenicam ſextam, *cur legis ſacerdotes habere uxores non prohibebantur, Chriſti vero ſacerdotes vetantur, quantum ad conſuetudinem attinet.* Et Græcis ſuis Græcus reſpondebat: ὅτι ἐστὶν ἡ ἱερωσύνη κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ, ὃς οὐ γέγραπται γεγαμηκώς. κατ' ἀνάγκην οὖν οἱ κατὰ τὴν τάξιν αὐτοῦ ἱερατεύοντες οὐ προσίενται γυναῖκα. *Quia ſacerdotium eſt juxta ordinem Melchiſedech, qui non legitur fuiſſe conjugatus. Neceſſe eſt igitur, ut qui ſecundum ejus ordinem ſacerdotio funguntur, uxorem non admittant.* V. Sacerdotes in lege Moſis *procul a domibus ſuis anno vicis ſuæ in templo habitare juſſi ſunt,* ut notat Syricius papa epiſt. I. ad Himer. Tarrac. epiſc. *ne poſſent cum*
I. Cor. 7. *uxoribus carnale exercere commercium, ut conſcientiæ integritate fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent.* Debent igitur in lege Chriſti ab uxoribus ſemper abeſſe, qui non per vices anno uno, ſed diebus ſingulis in eccleſia ad vitæ uſque exitum famulantur. VI. Paulus conjugatos homines optat *ex conſenſu ad tempus abſtinere,* ut orationi vacent. Quid preſbyteros juvat facere, quorum eſt diu noctuque ſua & populorum vota Deo offerre? Quid aio autem vota offerre? Imo ipſum manibus ſuis Deo Patri offerre Chriſtum, vel offerentibus operam præbere. VII. Sacerdotes *oportet ſine ſollicitudine eſſe,* & ea quæ Domini ſunt, animo toto curare. *Qui autem ſine uxore eſt,* inquit apoſtolus, *ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.* Verba hæc mihi revocant in memoriam, quod in ipſo eccleſiæ cujuſdam choro auribus & oculis uſurpavi. Audivi, cum invitaretur ad pſallendum e ſacerdotibus unus, ridendo e media turba reſpondiſſe. Non ibi mihi uxor eſt, cui modulis meis placeam. Vidi cum filio ſuo alium in eodem illo loco geſtu & voce colludentem. VIII. Hoc ſacerdotibus maxime incumbit, ut peccatores hortentur, & a rebus venereis deterreant

reant cælibes. At qui si se ipsi non continent ab uxore sua, quanam, amabo, ratione vel fronte aliis, ut ab fœminarum abstineant consuetudine, suadebunt? IX. *Nemo militans Deo* (militant autem ex officio presbyteri) *implicat se negotiis secularibus*, ut Timotheum suum monebat Paulus: his autem implicare se conjugatos sacerdotes quasi necesse est, & familiæ sæpe suæ & liberis militant, non Deo. Norunt enim parentes, quo abripiat per fas & nefas liberorum amor natura præceps & cæcus. X. Presbyteros oportet, cum plebis christianæ sint patres, populis sacra doctrina instituendis, pauperibus juvandis, excipiendis hospitibus se impendere. Id vero liberorum & rei familiaris cura impediti qui possint? Vereor autem ne ecclesiarum sacros proventus, non expendant ad Dei gloriam & animarum salutem, sed ad locupletandos liberos transferant & absumant. Audite me, & gemite. Et si Græci sacerdotes uti sancte conjugio valent concessu ecclesiæ; tam parum tamen conjugium prodest comparandæ sanctitati, ut nemo ullum proferre possit uxoratum sacerdotem, qui vitæ merito sancti nomen & locum in Menæis adeptus sit. Addo qui etiam doctrinæ laude sic floruerit, ut doctorum Patrumque numero sit inscriptus. Ex quo apud Græcos sacerdotum sunt inducta conjugia, res eorum visæ sunt sensim prolabi, & eo tandem devolutæ sunt, quo sentitis & plangitis. Avocati enim ab inflammatissimo rerum divinarum zelo, rei domesticæ cura sacerdotes, passi sunt induci scandala, quibus ecclesia gravissime vexata & regnum ipsum eversum est. Quid ais, inquit *Nicolaus*; inducta apud nos sacerdotum conjugia? Num erant primis ecclesiæ temporibus? Num Nicænæ synodi ætate, cum Patres sanctissimi revocare sacerdotes ab uxorum contubernio amplexuque in hac synodo decrevissent, obstitit celeberrimus ille Paphnutius (cujus effossum propter Christi fidem oculum toties exosculatus est Constantinus magnus) & legem novam induci non est passus? Ex Ancyrana quidem provinciali synodo perantiqua, reposuit *Ignatius*, non nego colligi, sicubi summa esset ministrorum penuria, allectos fuisse diaconos, quibus non modo licuit uxoribus suis conjungi, si conjugati erant; sed etiam, si non erant, inire

2. Tim. 2.

Græcam ecclesiam multa post concessum sacerdotibus matrimonii usum passam esse.

ſuſcepto diaconatu matrimonium, cum in ipſa ordinatione proteſtati eſſent velle ſe conjugio copulari. Fateor & Epiphanium teſtari graviſſima aliquando de cauſa factum cogente neceſſitate, ut nonnulli ſingulari virtute viri, cum negarent poſſe ſe ab uxoribus ſejungi, fuerint in ſacerdotes conſecrati. Sed audio Epiphanium eundem lib. 2. hær. 59. cum leges exponit eccleſiæ, nobiſcum ſentire. *Re vera,* inquit, *non ſuſcipit ſancta Dei prædicatio poſt Chriſti adventum eos, qui poſt nuptias mortua ſua uxore ſecundis nuptiis conjuncti ſunt. Idque propter excellentem ſacerdotii honorem & dignitatem. Hæc autem tuto ſummaque diligentia ſancta Dei eccleſia obſervat. Quin & adhuc viventem & liberos gignentem unius uxoris virum non ſuſcipit; ſed eum qui ſe ab una continuit, aut in viduitate vixit, diaconum, & presbyterum, & epiſcopum, & hypodiaconum. Maxime ubi accurate canones eccleſiaſtici ſervantur.* Audite e noſtris quidem Hieronymum; ſed quid fieret ætate ſua in toto terrarum orbe recenſentem. *Proh nefas!* inquit, *epiſcopos ſui ſceleris dicitur habere conſortes. Si tamen epiſcopi nominandi ſunt, qui non ordinant diaconos, niſi prius uxores duxerint, nulli cælibi credentes pudicitiam; imo oſtendentes, quam ſancte vivant, qui male de omnibus ſuſpicantur. Et niſi prægnantes uxores viderint clericorum infanteſque de ulnis matrum vagientes, Chriſti ſacramenta non tribuunt. Quid facient Orientis eccleſiæ? Quid Ægypti & ſedis apoſtolicæ? Quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt.* Hæc cum Epiphanius, Hieronymuſque ſcriberent, inquit *Nicolaus*, credo, Paphnutii & Nicænæ ſynodi non meminerant. Non meminerant quidem, repoſuit *Ignatius*, abs te commemoratæ hiſtoriæ, de qua nihil unquam audierant, nihil legerant. Nondum enim prodierant Socratis & Sozomeni annales, quo intruſa eſt. Meram autem eſſe fabulam, non modo hinc patet, quod illius nullam ulli Patres fecerint mentionem; ſed quod Euſebius Cæſarienſis qui ſynodo interfuit, ſacerdotes ætate ſua caruiſſe uxoribus teſtetur l. 1. evang. demonſt. c. 8. *Nunc,* inquit, *in eccleſia Chriſti duo vivendi modi inſtituti lege ſunt. Alter quidem naturam ſuperans & communem vivendi ratio-*

Olim in eccleſia Græca ſacerdotes fuiſſe cælibes.

Contra Vigil.

De Paphnutii hiſtoria quid ſentiendum.

Vid. Petr. Arcud.

nem, οὐ γάμους, οὐ παιδοποιίας, οὐδὲ κτῆσιν, οὐδὲ περιουσίας ὕπαρξιν παραδεχόμενον, *non nuptias, non filiorum procreationem, non opes requirens.* Et hos docet Eusebius, *quasi quosdam deos reliquorum hominum vitam inspicere, quippe qui* ὑπὲρ τοῦ παντὸς γένους ἱερωμένοι τῷ ἐπὶ πάντων, *supremo omnium Domino pro universo genere sacrati sunt, & τὴν ὑπὲρ σφῶν αὐτῶν καὶ τῶν σφίσιν ὁμογενῶν ἀποτελοῦσιν ἱερουργίαν, pro se & pro aliis qui ejusdem naturæ sunt, peragunt sacrificium.* Tum concludit: *Igitur talis in rep. christiana existit perfectus vitæ modus. Alter inferior & humanior nuptiis modestis sese implicat, & vacat procreationi liberorum.* Et cap. 9. doctoribus & prædicatoribus verbi divini, *nunc* ἀναγκαίως, *necessario eo quod potioribus rebus vacent, magnum est studium abstinendi a re uxoria, velut iis qui divina & incorporea sobole propaganda occupati teneantur, & non unius, neque duorum liberorum, sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem sanctamque disciplinam, ac reliquæ instituendæ vitæ curam susceperint.* Denique vel ex concilii Nicæni canone III. satis apparet, illa ætate non fuisse presbyteros matrimonio conjunctos. Illum recito. *Interdixit universe magna synodus, neque episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque omnino alicui eorum qui in clero sunt constituti, coinductam*, συνείσακτον, *habere licere; nisi forte matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas tantum personas quæ omni suspicione carent.* Si tum presbyteri fuissent uxorati, ut synodus matrem, sic uxorem potissimum excepisset, quæ ut acute notat Arcudius, non solum omni suspicione caret, sed etiam causa est, ut ipse sacerdos, ab quo ducta est, a suspicione sit alienus. Et si vera est Paphnutii historia, maxime excipere uxorem synodus debuit. Quippe, ut scite advertit laudatus Arcudius, *regulam generalem tradere possumus, nihil in conciliis dubium controversumque solitum esse proponi, quod non ab iisdem conciliis dilucide declaretur, & certo canone in posterum decernatur. Quod si quæstio de habenda vel retinenda uxore proposita fuit: at certe illo III. canone contrarium sancitum est, & a numero personarum, quæ citra suspicionem cohabitare possunt, exclusa.* Adde, historiam hanc, si quid veritatis habet, Græcos æque atque Latinos premere. Neque enim episcopos illi suos re uxoria gaude-

l. 7. de matrim.

re magis ſinunt, quam ſuos Latini preſbyteros; cum tamen Paphnutius vehementer vociferatus ſit neminem vel preſbyterum ab illa, quam jam pridem, cum laicus erat, uxorem duxiſſet, ſejungi debere; & totus ſacrorum virorum cœtus verbis & clamoribus Paphnutii ſit aſſenſus, ac facultatem cuique fecerit vel uxorum utendi conſuetudine, vel ab ea abſtinendi. Quod ſi extorquere pertendiſti vere de Paphnutio narraſſe Socratem l. 1. Hiſt. eccl. c. 8. adverto ex ejus dictis, Nicænos Patres hoc dediſſe Paphnutio, ut, qui tum in epiſcopis & preſbyteris conjugati erant, quibus hactenus licuerat liberos gignere, cum in ipſa ordinatione declaraſſent nec poſſe, nec velle ſe ab uxoribus divelli, ſuo jure pergerent frui, & *συγκαθεύδειν ταῖς γαμεταῖς, αἷς ἔτι λαϊκοὶ ὄντες ἠγάγοντο*, *uxoribus, quas ſibi, cum laici eſſent, junxerant matrimonio, concumbere*: iidemque nova inducta lege minime cogerentur, rem ſervare viribus, ut expoſuerant, ſuis & forte uxorum ſuperiorem. At non interceſſiſſe Paphnutius legitur, quominus caverent Patres, ne quis admitteretur ad ſacerdotium deinceps, niſi qui vel *συνείσακτον*, coinductam uxorem non haberet, vel eam ipſius conſenſu ædibus ſuis amandaret, & in monaſterio collocaret, ut præcipiebat olim Baſilius magnus Gregorio ſeu Paregorio preſbytero. Caverunt autem canone ſynodi III. cum propagata fide & multiplicatis idoneis miniſtris neceſſitas nulla eſſet vel deligendi uxoratos, vel permittendi uxoratis uſum uxorum; & prohibuerunt ne epiſcopi & ſacerdotes & diaconi, & qui in clero eſſent, ut hypodiaconi, & clerici alii proxime conſecrandi, haberent *συνεισάκτους*, coinductas, id eſt, vel uxores, (uxor enim, ſi recte illam definis, fæmina eſt, quam ſecum vir induxit) vel contubernales alias fæminas, quæ rei venereæ ſuſpicionem, ut ipſæ uxores, poſſunt facere. Ut abſit a vero, inquit *Nicolaus*, quod de Paphnutio commemorant: an mendacii arguas ſynodi Quiniſextæ, *πενθέκτης*, ſeu Trullanæ, Patres CCXXVII. qui antiquum, ut aiunt canonem exquiſitiſſimæ diſciplinæ apoſtolicæ ſecuti, hominum qui in ſacris eſſent, conjugia *ἀπὸ τοῦ νῦν ἔῤῥωσθαι* valere in poſterum, ex hoc temporis puncto voluerunt, ne homo, quæ Deus conjunxit, ſeparet; aut immaculato toro

Ep. ad eundem.


Trullana ſynodus cælibatum ſacerdotum ſic tollit, ut tamen ſtabiliat.

probrum inurat; aut contra apostoli præscriptum alligatus uxori quærat vinculum suum exolvi. Abstinere tamen sacerdotes & diaconos ab tori consortibus, cum sacra contrectant mysteria, ex decretis Carthaginiensis synodi jusserunt. χρὴ γὰρ τοὺς τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντας ἐν τῷ καιρῷ τῆς τῶν ἁγίων μεταχειρήσεως ἐγκρατεῖς εἶναι ἐν πᾶσιν, ὅπως δυνηθῶσιν ὃ παρὰ τοῦ θεοῦ ἁπλῶς αἰτοῦσιν, ἐπιτυχεῖν. *Eos enim qui altari assident, quo tempore sacra sibi sunt contrectanda, continentes omnino esse oportet, ut quod postulant a Deo simpliciter, valeant obtinere.* De Trullanis Patribus, inquit *Ignatius*, multa sunt quæ respondeam. At paucis dico secutos illos esse, non apostolicum modo canonem, sed divinum, cum conjugia sacerdotum firma esse voluerunt & ἄρρηκτα, infringi & solvi non posse: *quod enim conjunxit Deus, homo non separet;* sed minime secutos, si presbyteris uxorium concubitum gratificati sunt. Ubi enim canon ille apostolicus, qui sic Dei sacerdotibus lenocinatur? Aiunt ipsimet, oportere eos qui divino altari assident, quo tempore attrectant sacra, esse omnino continentes, ut a Deo quod postulant, assequantur. Atqui sacerdotes divino quotidie altari assident, in quo vel Christum offerunt, vel assistunt offerenti, & quotidie attrectant sacra, non vasa modo, sed mysteria, tum orando in templis tum varia administrando sacramenta. Igitur eos necesse est non admisceri uxoribus. Nam quæ conventio Christi & veneris, spiritus & carnis? Denique statuere se affirmant, quæ prius erant Carthagine in synodo decreta. At sancitum illic est, *custodiri quod apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, ut scilicet episcopi, presbyteri, & diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant.* Quid vero Græcis episcopis fiet, si uxores habent. Audi, inquit *Methodius*, quid synodus Trullana jubeat can. XII. *Jubet omnino antistites, postquam sunt ordinati, a propriis uxoribus secedere. Ne autem contra quintum apostolicum canonem facere videantur, qui episcopis cum uxoribus suis habitare permittit, inferunt quod non divinis apostolis adversantes hoc decernunt, sed statum ecclesiasticum in pulcriorem ordinem provehi volentes. Quoniam apostoli, cum fides inciperet, ad fidelium imbecillitatem se magis*

demittebant. Cum autem evangelii prædicatio ſit magis ampliata, oportet & pontifices ad perfectam continentiam, vitam ſuam dirigere, ne ſtatus eccleſiaſticus ullo probro afficiatur. Præclare id quidem, repoſuit *Ignatius*, ſed ſeparant quod Deus conjunxit, & alligatos uxoribus volunt quærere ſolutionem, & honorabile conjugium in omnibus, prorſus epiſcopis abnegant; & cum Carthaginienſis ſynodus idem de epiſcopis, preſbyteriſque præcipiat & vetet quod continentiam ſpectet, ipſi epiſcopis nolunt licere quod preſbyteris. Si apoſtolica illa & ſynodalia teſtimonia nihil obſtant, quominus epiſcopi ab uxoribus abſtinere jubeantur; cur obſtant quominus jubeantur abſtinere preſbyteri? An quemadmodum perfecta pontificum continentia neceſſaria Trullanis viſa eſt, ne ſtatus eccleſiaſticus ullo probro afficiatur; illa quoque ſacerdotum videri eandem ob rationem neceſſaria debuit? Nec mirum tibi accidit ſynodum illam, cum privata fuerit & tumultuaria, ſine aſſenſu Romani pontificis coacta, imo non tantum ab Romano pontifice, ſed ab aliis patriarchis, ut refert Anaſtaſius bibliothecarius, rejecta, nonnihil erraſſe. Animadverte autem quod canone ſuo XIII. dicit, velle ſe *deinceps ex hoc temporis puncto ſacerdotum conjugia ſtabilia eſſe & firma*, id eſt, licere ſacerdotibus, uti explicant, re uxoria perfrui: quo oſtendunt id elapſis ante temporibus minime conſuetum fuiſſe, & eos qui factitabant, male audiſſe, nec exprobratione hominum & conſcientiæ caruiſſe. Quod & ex canone XIV. Chalcedon. ſynodi intelligere eſt, ubi ait in quibuſdam provinciis lectoribus cantoribuſque conceſſum eſſe, ut ducerent uxores, modo ne heterodoxas ducerent. *ἐπειδὴ ἔν τισιν ἐπαρχίαις συγκεχώρηται τοῖς ἀναγνώσταις καὶ ψάλταις γαμεῖν, ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος μὴ ἐξεῖναί τινι αὐτῶν ἑτερόδοξον γυναῖκα λαμβάνειν.* Ubi vides vix licuiſſe iis conjugium qui minoribus eſſent initiati ordinibus, quod ſacerdotii viderentur candidati; ſacerdotibus minime quos aperte ſilentio de ipſis ſuo ſacra ſynodus excipit. Sed quid pluribus vos moror? Vel ipſi Trullani Patres facile concedent Latinis ſacerdotibus, ſi ſic optant, ab uxoribus caſtos eſſe: neque enim, credo, minus favebunt Romanæ eccleſiæ, quam barbaricis illis ſacerdotibus, quibus canone XXX. ſta-

tuunt & definiunt, ne post susceptos ordines *ullo modo cum uxoribus consuescant.* Latinorum presbyterorum continentiam, qui non fuerit animo pessime affectus, nemo non probet. Probarem, inquit *Nicolaus*, nisi *satius esset nubere, quam uri*, & peccato pollui. Si, quoniam, inquit *Ignatius*, sacerdotum aliqui castimoniæ votum infringunt, & impudice agunt, vituperanda sacerdotum est continentia; nec ferenda illa monachorum & episcoporum erit, quia & illorum nonnulli se impure commaculant. Sed crede mihi: sicut non sunt facienda mala, ut eveniant bona; sic neque omittenda bona maxima sunt, ut mali nonnihil caveatur. Respondebat olim in hanc rem Gregorius Nazianzenus: *Qui voluptate se vinci sinunt, sibi probrum inferunt, non nobis, quibus pulcrum est castos esse.* *In sacr. carm.* An quia terra aliquando sterilis, & agricolæ vota non implet, continuo aranda non est? An quia angelorum multi peccando ceciderunt, nulli fuerunt creandi? An quia JESUM Judas prodidit, nulli erant colligendi apostoli? An quia legibus prævaricantur plurimi, lex nulla ponenda est? Sic rem facis planam, inquit *Nicolaus*, ut cuivis facile pateat. Essent alia, de quibus operæ pretium esset præterea quærere, sed jam dicendo videris mihi non mediocriter defessus, & die crastina mane summo, maximo nostro dolore, discedendum vobis est. Sed adeo vehemens excitastis vestri desiderium, ut ad cumulum beneficiorum adjungi hoc velimus promissi, fore ut quoties hac iter vobis, aut vestrum alicui erit, ne alio divertatis, & in hoc cubiculum, quod vestro nunc placet appellare atque ornare nomine, quam poteritis frequentissime, conveniatis.

FINIS.



RELIGIO CHRISTIANA CONTRA ALCORANUM PER ALCORANUM PACIFICE DEFENSA ET PROBATA.

Autore P. MICHAELE NAU, *Societatis* JESU *Presbytero.*



LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud GABRIELEM MARTINUM, via Jacobæa, ſub aureo ſole.


M. DC. LXXX.
CUM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.

Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ. *Marc.* 16. 15.

Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea quæ in vobis eſt ſpe, ſed cum modeſtia & timore. 1. *Petr.* 3. 15.



RELIGIO CHRISTIANA CONTRA ALCORANUM PER ALCORANUM PACIFICE DEFENSA ET PROBATA.



E fide Christiana cum Mahometanis agere visum est hactenus & periculosæ plenum opus aleæ, & labor inanissimus. Sic enim animum ferme omnes induxerunt, spem fructus esse omnino nullam, quod in malevolas & carneas animas nequeat spiritus sapientiæ introire, & occludat illi aditum metus acerbissimæ mortis, quam subire ei necesse est, qui Christo nomen dederit: adeoque ingratissimam illam & ineptissimam terram stulte excoli, ex qua nihil capere utilitatis valeas, vel si maxime labores. Sed periculo inprimis deterrentur & proprio & communi; quasi veritatem Mahometanis ostendere, perinde sit, atque facem admovere tormentario pulveri, quo absumaris statim, & partem undique in omnem spargatur

incendium. Nempe veritatis præconem morte damnabunt, tanquam qui legi divinæ (qualem arbitrantur suam) sacrilege contumeliam inflixerit; & ejus odio non modo exulare jubebunt verbi cælestis ministros, sed in alios fortasse Christianos desævient. Addunt Christi sapientissimum illud pronuntiatum, *Matth. 8.* quo vetat *mitti sanctum canibus, & projici margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant nos.*

Ego vero hæc cum fatear merito de illis dici, qui Christianæ religionis amore, non nimio quidem, (nam qualis erga Deum sit nimius?) sed temerario in præceps acti, Mahometanam directa fronte offenderent, & armis contra adversis aggrederentur odiosius; nego torqueri in eos posse, qui arte ac methodo decertantes, cogunt Mahometum sua quasi sponte famulari Christo, & Alcoranum Evangelio. Id porro quî fiat, intellige. Ab Mahometano patere te oppugnari: lacessentem amice & suaviter excipe; prætermissa ejus religione, tuam, quam impetit, propugna, & veram ostende, non divinis modo testimoniis, sed Alcorani ipsius assensu. Si ipse per se pugnam non moveat, nec de religione faciat sermonem: tunc inter colloquendum immisce, unde sciscitandi rapiat ille occasionem, tu causam demonstrandæ veritatis. *Epist. 1. c. 3.* Demonstra: sed, ut monet Petrus, *cum modestia & timore.* Sic *Marc. 16. Matth. ult.* periculo nullo *prædicabis Evangelium omni creaturæ, & docebis omnes gentes;* quod nobis ab Christo præceptum est: sic Mahometanam superstitionem, quam verbo non attinges, confutabis tamen & convelles totam. Neque enim probare Mahometano veram esse Christi fidem poteris, quin sentiat continuo suam esse falsam, & cum vera, si salutem velit consequi, commutandam. Non erit autem ex quo possit offendi tibi, & succensere: cum religionem ipsius neque injuriose appellaveris, neque vocaveris in sermonem, tuam duntaxat exposueris & rogatus, & ea animi moderatione ac demissione, ut laudi locum dederis & amicitiæ, non criminationi & iræ. At sic mittis sanctum canibus & projicis verbi divini margaritas ante porcos? Imo vero sanctum extollis, & margaritis pretium facis apud viros non jam rabie & insania canes & porcos, sed rationis & sapientiæ usu ho-

mines, quibus Christum minore damno prædicas, quam Judæis & ethnicis non paucis illum apostoli annuntiaverint. Bene est. Sed nullo unquam id tu fructu, apostoli sæpe multo? Nam quis Mahometanorum in Mahometanorum regnis amplectitur fidem, & Christo sese mancipat? Quis? Id vel si norim, nolim dicere, nec juvat. Sed fac, Christo accedat nullus. Hoc certe fructus colligis: primum quod Christo pareas jubenti *doceri omnes gentes*; deinde quod Christianæ religioni apud ejus hostes existimationem præclaram concilies, cum aperte demonstras veram; præterea quod infensos eidem innato quodam odio homines non pacatos modo facis, sed amicos; denique quod eo adducis non paucos ut animo & studio Christiani sint, quos esse ipsa re & Christo vivere metus mortis unus non sinit.

Quæ cum ita sint; de fide Christiana cum Mahometanis agere & licet, & operæ aliquando pretium est, non cuilibet certe, sed prudenti & erudito viro, idonea facultate, ecclesiæ autoritate munito qui sic res divinas percipiat, ut in iis exponendis non erret; sic exponat, ut animos in earum admirationem & amorem trahat; sic trahat, ut Mahometanæ sectæ despicientiam & odium pariat; sic pariat suavitate sermonis, ut sui odium non provocet: ita se denique gerat, & moderetur sua omnia, ut amicum esse cogat, qui obstinarat animum, esse hostem.


Atque ea videntur quidem per sese difficilia: sed nihil est, quod non possit ars assequi, & prudentia vincere, cum movetur divini Spiritus efficientissimo afflatu.

Erit & alius, nisi mea me spes fallit, hujusce opusculi lætior atque uberior fructus in Christianorum principum triremibus. Sunt enim remigum e Mahometanis pars magna, quibuscum sine periculo de capessenda religione Christi, impuneque tractes; quos facile videaris lucraturus Deo, si tuam in eo collocees operam, & nostris quæ paravimus argumentis, suavi & idonea methodo ad cælestes Regis æterni nuptias compellas intrare.

Quoniam autem, ut scite aiunt, per præcepta longum iter est, per exempla breve; ut laboris compendium faciam, modum agendi proponam in exemplo; & Christianum in-

ducam cum Mahometano differentem, quem suo ipso Alcorano amicissime cogat ad amorem Christianæ legis, & suæ odium. Ausculta, ac primum scribendi occasionem accipe.

Cum Mahometanorum nonnulli aliquando ab viris mihi necessitudine conjunctis de fide Christiana quæsiissent, rogassentque, quibus posset argumentis demonstrari vera, illi respondendi in me onus devolverunt, quem rebantur religionis Christianæ ac Mahometanæ paulo se ipsis scientiorem, expertique erant bellum cum hostibus pacifice & amice cum inimicis agere. Eorum tum cohortatione, tum Petri præcepto excitatus jubentis, *paratos nos esse ad responsionem omni poscenti de ea, quæ in nobis est, spe*, satis illis facere sum aggressus. Movit me etiam Alcorani autor his nos verbis sæpe provocans. اتوا ببرهانكم ان كنتم صادقين *Si quid ex veritate dicitis, hujus nobis demonstrationem proferte.* Profero, illamque ut plurimum ex ipsis Alcorani dictis excerpo, eaque verborum lenitate & comitate depromo, ut nemo, & ne hostis quidem, offendi possit. Quamobrem quærentem Mahometanum finxi, Christianum vero modeste ex illius quasi mandato respondentem.



DIALOGUS PACIFICUS

Christianum inter & Mahometanum de Christiana religione.

ASSIDEBAT aliquando Mahometano Syro Christianus Europæus, vir propagandæ Christi fidei studiosissimus. Et Mahometanus quidem, quam erat apud suos eruditionis fama, & intelligendi Alcorani gloria præclarus, tam erat a Christiana lege aversus, in eaque vellicanda & despicienda assiduus. Is postquam agnovit assidentem sibi Christianum & sacerdotem esse & virum non indoctum, benigne illum, at non sine fastu, intuitus, Miror, inquit, vos Christianos, cum sitis libro divino cælitus delapso instructi, اهل الكتاب ea profiteri, quæ ab hominum communi

ſenſu ſic ſunt aliena, ut ea nec animo percipere, qui ratione præditus ſit, valeat, nec excipere credendo, qui fide religioſa Deo ſerviat. An vero, repoſuit *Chriſtianus*, hoc te fugit, quo fide divina aliquis gaudeat, id deſiderari unum, dicenti Deo ut aſſentiatur, etiamſi myſteriorum divinorum arcanas rationes mente minime pervadat & capiat. Illas vetat inveſtigari altius ipſe etiam Alcoranus cap. de animalibus, ubi ſic præcipere Deum refert: *Cum eos videris qui dicta ſeu ſigna noſtra perſcrutantur, te ab illis averte, dum mutato ſermone alia indagent.* اذا رايت الدين يخوضون فى اياتنا فا عرض عنهم حتي يخوضوا في حديث غيرم & cap. de vacca, ſacros codices docet tum dubio omni procul eſſe, tum iis traditos, qui cum Deum timore caſto colant, remotiſſimis a ſenſu myſteriis dant fidem. الم ذلك الكتاب للمتقين الذين يومنوا بالغيب Quæ profitemur, nos Chriſtiani, utut ſe admirabiliter illa habeant, ſintque extra rerum quotidianarum & naturæ ordinem poſita, in his errandi periculum nullum eſt. Nam autore Deo qui credit, ſecurus eſt. Atque ut verbis hic veſtris utar: قد كفي بالله شهيدًا *Cum teſtis adducitur Deus, ut credamus, id ſatis eſt. Deus!* o! exclamavit *Mahometanus, o præter ipſum Deus nullus eſt.* لا الاه الا هو *Neque quod latet ac procul a nobis abeſt, novit in cælo & in terra ullus, niſi Deus.* ولا يعلم ما في السموات والارض الغيب الا الله Si cæcutimus in iſtis, quæ ſunt creatarum rerum in ordine conſtituta, quanto magis in divina procreatrice natura ejuſque arcanis. Quare tecum ſentio ſatis ad credendum nobis eſſe, ut eorum, quæ profitemur, Deum habeamus autorem & teſtem. *Nam quis in dicendo veracior ſit?* قد كفي بالله شهيدًا ومن اصدق من الله قايلاً *Cap. de mulierib.*

Hæc cum ita ſint, inquit *Chriſtianus*, & quod fidei noſtræ objicitur ad amplectendum, divina natura ſit, quæque ad ipſam pertinent ac referuntur; neceſſe eſt, ut idipſum ab communi ſenſu ſit remotiſſimum, omnique ratione creata ſuperius, & credat fidelis oportet, quæ nec ipſe, nec ullus alius percipere mente valeat. O quam parvus Deus eſſet, ſi parvula hominum mente capi poſſet! Jam intellige, nos, qui Chriſtiana obligamur lege, ea duntaxat credere, quæ nobis Deus ipſe enarravit, & ſpiritus ſui inſpiratione tradidit. In ipſum credimus ejuſque Verbum ac Spiritum, atque ipſius Evangelio, *de cujus veritate* (ut fatemini) *dubium nullum eſt*, الذي لاشك فيه ولاريب devotiſſimis animis obſequimur. Id qui faciat, fidei rectæ, ac ſuæ omnino ſalutis ſecurus eſt. Audi Alcoranum tuum de Evangelio ſic ſtatuentem cap. de menſa, *ipſum eſſe Chriſto ad devotorum Deo hominum illuminationem & directionem datum, deque rebus eſſe ex ejus præſcripto judicandum.* اتيناه الانجيل فيه هدي ونور ومصدقا لما بين يديه من التورية وهدي وموغظه للمتقين وليحكم اهل الكتاب بما انزل الله فيه ومن لم يحكم بما انزل الله فاوليك هم الفاسقون Verba expende ſingula quæ quaſi ab Deo prolata Alcoranus refert: *Evangelium tradidimus: in eo directio & lumen, eaque confirmat, quæ e vetere teſtamento habentur in manibus. Directio & adhortatio illis eſt, qui Deum reverentur & colunt. De rebus judicent ſtatuantque Evangelii ſectatores ex eo quod Deus in ipſo ad nos demiſit. Qui ex eo quod a Deo demiſſum eſt, ita non ſtatuunt, ii ſunt adulteratores.* Hic Mahometanus caput religioſo motu dextrorſum ac ſiniſtrorſum inflectens, & apertis admirantis in morem oculis, compoſita ad gravitatem voce ſubjunxit: امنا بالله وما انزل علينا وما انزل علي ابراهيم واسحق ويعقوب والاسباط وما اوتي موسي وعيسي

Cap. de vacc.

والنبيون من ربهم ولانفرق بين احد منهم *O! in Deum credimus, & fide omnia ea suscipimus, quæ ipse nobis, & Abrahamo, & Isaaco, & Jacobo, & tribubus docendo demisit, quæque Mosi & J E S U & prophetis ab ipsorum Domino tradita sunt; nec quidquam istos inter discriminis ponimus.* Atque omnino ex veritate pronuntiatum est: يا اهل الكتاب لستم على شي حتى تقيموا التورية والانجيل *O vos quorum est divinus codex,* (sic Alcoranum dicimus) *nihil omnino hoc vobis prodest, donec Testamentum vetus & Evangelium complectamini, præque feratis.* At verbum Dei immutastis, & sacras litteras depravastis. A quo si continuissetis ingenium & manum, recta profecto insisteretis via, Deo auspice ac duce. Ais, reposuit *Christianus*, adulteratas a nobis esse sacras litteras? At ego te Alcorani tui vocibus compello: هاتوا برهانكم ان كنتم صادقين *Si ex veritate dicitis, huc vestram demonstrationem.* Age, demonstra labefactatum immutatione aliqua Evangelium fuisse. Hoc enim æquitatis lex imperat, ut qui accusat alterum, idoneis argumentis, quod ipsi crimen impingit, comprobet, adhibeatque testes admissi flagitii omni exceptione majores. Quod nisi præstet, habebitur actor iniquissimus, nec ullus fidem dicenti dabit. Depravati Evangelii & Testamenti veteris, inquit *Mahometanus*, apertissimum hoc argumentum est quod sacratissimus liber noster, traditus nobis eapropter fuit, *ut quæ Evangelio vetereque Testamento continentur, rata haberet, ac confirmaret.* اوتي مصدقا لما في الانجيل والتورية Ab illo utroque divino volumine nihil discrepabat. Nunc vero immensum quantum discrepat. Facta igitur est immutatio in utroque illo antiquiore vestro codice; cadere enim in nostrum ulla non potuit. Et vero quis hactenus nos ausus est adulterati Alcorani insimulare & arguere? Verum, reposuit *Christianus*, unde porro constat demissum vobis a Deo Alcoranum in confirmationem Testamenti utriusque veteris & novi? Incul-

Cap. de mensa.

eo quod præcipit Alcoranus: *Si vere hoc dicitis, huc demonstrationem proferte.* Ecce tibi, respondit *Mahometanus*, quam Alcoranus adducit, jamque audisti: *O vos quorum est divinus liber, videlicet Alcoranus, vobis hic nihil prodest, nisi Evangelium ac vetus Testamentum complectamini præque feratis:* Prius ergo jubet Evangelium ac vetus testamentum suscipi, tum Alcoranum, cui vult idcirco haberi fidem, quod utrique illi divino libro consonet, quem autoritate sua confirmat, & ab quo vicissim ipse commendatur. Præclare est, subjecit *Christianus*, sibi sua in causa testimonium Alcoranus dicit. At amabo si quis nunc vobis Mahometanis veniat, librumque proferat aliquem novum, quem delapsum sibi divinitus e cælo affirmet, in confirmationem Alcorani, cum tamen ab Alcorano maxime dissentiat: an continuo dabitis huic fidem, & deposito Alcorano recentem istum librum ultro amplexabimini. Avertat Deus, exclamavit *Mahometanus*, imo statim illum impugnabimus, & temerarium virum negotio nullo arguemus falsi. Nam liber ille recens, quem affert, si dissentit ab Alcorano, qua fronte asserit a Deo datum ad confirmationem Alcorani, eone potest adstrui Alcoranus, quo penitus destruitur? Quod affers, inquit *Christianus*, responsi, idipsum tibi tuisque referimus. Quo jure Alcoranum asseritis ad confirmationem Evangelii divinitus datum, cum ab Evangelio penitus discrepet, ipsumque evertat? Evangelio reposuit *Mahometanus*, consentit Alcoranus noster, & dissentit. Dissentit depravato, quo nunc utimini, Evangelio; puro & illibato quod a Deo delapsum est, omnino consentit, & ad ipsius confirmationem datum est. Quod mihi sic objicis, inquit *Christianus*, idem hoc si tibi opponeret recentioris Alcorani præco, diceretque Alcoranum suum novum veteri consentire, ac dissentire. Dissentire depravato, quem nunc habetis ad manum Alcorano; puro & illibato, quem a Deo concessum opinamini, consentire, & ad ipsius confirmationem datum esse: An crederes hæc paria affirmanti, & abnegato Alcorano tuo, novum hunc sequerere? Corruptum, reposuit *Mahometanus*, esse Alcoranum vix demonstranti assentirer, nedum affirmanti. Et vero corruptelam Alcorano nostro

esse

esse inductam quo demum argumento posset efficere? Eo, respondit *Christianus*, eo ipso, quo tu invectam in Evangelium nostrum pertendis. Adulteratum enim esse Evangelium nostrum hinc probasti, quia Alcorano vestro minime concinit. Pugnaret & ipse depravationem Alcorani vestri, quia hic vester suo recentiori non consonat, quocum consonabat omnino primus & vetus. Si ita est, inquit *Mahometanus*, sine proferat primum illum & veterem, demonstretque eum ipsum esse, qui a Deo traditus est. Quod ubi evicerit apertissime, si ejus Alcoranus ab isto nihil discrepet, ambabus illum excipere manibus cogemur. At si asserat confidentius, teste nullo, nulla ratione, absit, o absit Alcoranum nostrum alio commutemus! Id tu quidem, subjecit *Christianus*, sapientissime diceres, quod & nos sapientissime similiter tibi tuisque reponimus. Affirmatis Alcoranum vestrum plane consentire Evangelio, non nostro hodierno, sed veteri ac vero. Ita se si res habeat, vetus illud verumque Evangelium proferte, demonstrate hoc ipsum esse quod a Deo hominibus demissum est, non nostrum; atque hoc demum in iis quæ docet, esse Alcorano simillimum, tum veritati, cum erit contestatissima, parendum erit. At si hoc affirmetis confidentissime, teste nullo, ratione nulla, absit, o absit, Evangelium nostrum alio permutemus! Jam proferri Evangelium vetus, inquit *Mahometanus*, non potest, cum jam pridem, quo fato nescio, sit amissum; & ejus loco substitueritis vestrum istud corruptissimum. Hoc autem, reposuit *Christianus*, hoc ipsum, si tibi novi Alcorani præco dixerit, periisse scilicet Alcoranum veterem quem postulas, & a vobis ejus loco suffectum esse vestrum depravatissimum. An dabis continuo manus, ibisque in illius sententiam? Amens sim, inquit *Mahometanus*, id si illi assentiar. Fieri enim non potest, ut verus Alcoranus sic pereat ubique terrarum, & amittatur, ut ejus ne exemplum quidem unum supersit incorruptum, maximè cum nos omni studio & cura ejus integritati & conservationi invigilemus, nihilque habeamus antiquius atque sacratius. Si fieri non potest, ait *Christianus*, ut Alcoranus verus ubique perierit amissusque sit, evenire multo minus potuit ut Evangelii veri codices omnes aboliti sint, & ex

hominum manibus & conspectu evanuerint. Erant scilicet numero infiniti, sparsi toto terrarum orbe quam late patet; habebant illos summo in pretio nationes hominum universæ, ut locorum spatiis, sic linguis, moribus, studiis, & naturæ affectionibus disjunctæ. Age modo: an fieri posse putas, ut nationum illarum omnium sibi invicem adeo adversarum homines singuli, excepto nemine, in depravandis Evangelii veri codicibus omnibus, prætermisso, vel ex oblivione, vel ex industria, nullo prorsus volumine, convenerint? Neque extiterit in orbe terrarum vir probus, vel unus, qui codicem saltem unum sibi recondiderit ab corruptela immunem, ad quem adulterata Evangelia emendari possint. Quo contigit fato, ut, cum Evangelium Christiani ubique terrarum vita ipsa haberent carius, reque qualibet sacratius, ac invigilarent omni cura, ne iota unum aut unius apex hæreticorum dolis & fraudibus, non dico, tolleretur, sed sua sede moveretur; mutato statim in odium amore, adulterari non modo passi sint Evangelium ab aliquibus, sed conjunctis ipsi animis, per sese, in toto terrarum orbe adulteraverint. At fuerint Christiani eo nequitiæ atque improbitatis prolapsi. Vos vero Mahometani quibus Evangelium eodem in numero ac pretio est, atque Alcoranus: sic enim profitemini capite de vacca;

في سورة البقرة *An credendo excipitis librum aliquem, aliquos vero alios abnegatis? Quæ pœna eis futura est, qui ex vobis id fecerint. Grave probrum nunc, dum vivunt, ferent, & extremo judicii die cruciatibus omnium acerbissimis tradentur.*

Cap. de vacc.

اتومنون ببعض الكتاب وتكفرون ببعض فما جزا من
يفعل دلك منكم اما خزي في الحياة الدنيا ويوم القيمة
يردون الى اشد العذاب

في سورة ال عمران Et capite de fam. Amran: *Credimus in Deum, & fide suscipimus quæ docendo ad nos demisit, & ad Abrahamum, & ad Isaacum, & ad Jacobum, & ad tribus, quæque Moysi & Jesu &*

prophetis tradidit, nec quidquam inter ipsos discriminis ponimus. Quæ cum supra Arabice recitaverimus, nunc sufficiat Latine dixisse. Vos, inquam, Mahometani, quibus tanti est Evangelium, quanti Alcoranus, cum sic furerent Christiani omnes, & omnibus Evangelii codicibus violentas manus inferrent; cur passi estis sic perire sacratissima illa volumina omnia? Cur aliquot saltem non servastis, quibus postea liceret impugnare & desertæ veræ fidei arguere Christianos? Imo quibus Alcorano vestro faceretis autoritatem, illumque probaretis, qua re maxime gloriatur, & nititur, esse مصدقا

للانجيل Evangelio consonum. *Frustra* enim, ut ait ipse, & modo referebamus, *frustra vos estis, nisi ante omnia Evangelium vetusque Testamentum suscipiatis.* Et في سورة الاحقاف Cap. de arena.

Librum mihi proferte, qui ante hunc, scilicet Alcoranum, extitit, id est, Evangelium, *aut aliquod doctrinæ vestigium, si veraces estis.* ايتوني بكتاب من قبل هذا او اثاره من cap de jona.

علم ان كنتم صادقين Et في سورة يونس *si quo in dubio verseris circa id quod demisimus ac tradidimus*, id est, circa Alcoranum, *eos interroga, qui librum*, scilicet Evangelium, *ante legebant quam tu existeres.* فان كنت في شك مما

انزلنا فسل الذين يقرون الكتاب من قبلك Jam si dicitis periisse Evangelium, quo fundari Alcoranum fatemini, quo res vestræ loco erunt? Diruto enim fundamento, quod ipsi superstructum est, una corruere oportet. Vide quo pergam. Quæro abs te: Cum Christiani mutare Evangelium, ut censes, decreverunt, fieri ne potuit, ut in eorum gratiam Judæorum, quotquot sunt in orbe terrarum, synagogæ omnes, communicatis consiliis in depravando vetere Testamento & adulterandis prophetarum oraculis conspiraverint, eaque in Testamentum vetus induxerint, quæ Christiani in Evange-

lium, tamque ſtudioſe, ut ſibi aliiſque ne codicem quidem unum intactum & illibatum purumque reliquerint? Id vero chimæra omni gignenda majus & operoſius eſt, repoſuit *Mahometanus*, nec eſſe unquam potuit aut poterit. Fuiſſe tamen id neceſſe eſt, inquit *Chriſtianus*, ſi labefactatum eſt & mutatum Evangelium. Nam quæ ab eo reſecta, & in illud ab Chriſtianis inſerta exiſtimatis, eadem ipſa reſecta, deſunt in vetere Teſtamento, & in eo illa leguntur, quæ Evangelio fingitis Chriſtianorum dolo adjecta. Mirum hoc & portento ſimile, ait *Mahometanus*: nam ſi quo tempore prodiit Alcoranus, tum diſcrepabat ab Evangelio; quam ob cauſam Evangelium ſibi adverſum, ut veriſſimum commendat, ſuaque dicta exigi præcipit & expendi ad Evangelii trutinam? Mirum hoc tibi, repoſuit *Chriſtianus*, & merito quidem: at admirabilius mihi quiddam eſt. Si vere tum Alcoranus cum prodiit primum in lucem, & Evangelio & veteri Teſtamento conſonabat, & utrumque ſuo confirmabat teſtimonio; tum, inquam, cum apud Chriſtianos non conquerebatur vim utrique, & labem ullam eſſe factam, ſed habebatur utrumque purum. Si vere, inquam, tunc erat Alcoranus Evangelio conformis, cur ait في سورة البقرة cap. de vacca: *Neque Judæis*, o Mahomete, *neque Chriſtianis probaris aut places.* لا يرضوا عنك اليهود ولا النصاري Et unde eſt, ut Chriſtiani librum hunc ad libri ſui ſanctiſſimi confirmationem divinitus traditum, ut perhibetis, non exceperunt lubentiſſimis ac lætiſſimis animis; maxime cum naturæ noſtræ quæ gravia ſunt, vel tollat penitus, vel leviſſima faciat, (quorum de numero jejunia ſunt, & auſterioris vitæ exercitationes aliæ, & cupiditatum repreſſio, & appetitionum vehementium, quibus corpus etiam aliquando abripitur, refrænatio) & profiteantur, *nolle ſe a ſuis difficilia & acerba, velle facilia & ſuavia?* يريد بكم اليسر ولا يريد العسر Evangelium porro illud tam ſimile & germanum

Alcorano, cur majores vestri vobis posteris non dederunt, quo improbam perfringeretis Christianorum contumaciam, quem ad modum Christiani demonstrant e vetere testamento, confunduntque Judaicam? Jam quod quæris, cur, si dissentit ab Evangelio Alcoranus, scripserit legis Alcoranæ lator, *ad contestandam Evangelii, ac veteris Testamenti veritatem, sibi e cælo venisse Alcoranum;* referebat mihi in Europa nescioquis, gentis vestræ amicus quidem, sed hostis religioni vestræ perinfensus, id illum sic affirmasse, quo sibi Christianos Judæosque conciliaret, qui cum legere plerique non nossent, & librum libro conferre, pronis animis legem humanæ cupiditati faventem amplectebantur, ubi audiebant ea se ratione Evangelio & sacris aliis veteribus libris obsequi. Quam etiam ob causam aiebat, dicere solitum religionis vestræ antistitem, se admittere libros a Deo cælitus Abrahamo, Isaaco, Jacobo & Ismaeli demissos, cum tamen constet his viris codices nullos legum esse divinitus datos; sed ita cum assereret, non poterat arte ulla sibi magis Christianos ignaros, Judæosque demereri. Hæc mihi Europæus ille: rectene an secus? tu videris. Nimirum, reposuit *Mahometanus*, prophetam nostrum quia oderat, illum existimabat legi suæ mendaciis & fraudibus autoritatem parere voluisse. Sed misso isto, dic tu mihi: Possisne efficere necessariis argumentis non esse immutatum hactenus labefactatumque Evangelium, sed ejusmodi esse, quale a Deo primum accepistis? Velim abs te ante rescire, inquit *Christianus*, an probare Mahometani valeant minime adulteratum esse Alcoranum suum, eoque se uti, quo olim divinitus, ut putant, donati sunt. Id mihi cum demonstraverint, illos cogam fateri incorruptissimum illud & purissimum esse quo fruimur & gloriamur, Evangelium. Age ergo ostende, non uti vos depravato Alcorano. Quid certius & apertius, *Mahometanus* respondit? Nam 1. si quid esset in Alcorano mutationis unquam factum; oporteret, vel Alcorani codices variis inter sese sententiis differre, & alios esse aliis puriores, quibus nihil detractum sit, nihil additum, alios adulteratos insertis, aut demptis pro libidine quibusdam verbis; vel si quotquot in orbe sunt, ne una quidem vocula discre-

pant, depravatos ſic omnes fuiſſe, ut ne unum quidem volumen illæſum ab corruptela fuerit. Jam certum eſt Alcorani codices nulla re variare ubi ubi ſint: ſententiis, verbis, apicibus ipſis omnes conveniunt. Eaque propter ſi depravatus eſſet Alcoranus, neceſſe eſſet codices omnes labefactatos fuiſſe, eodemque modo ſingulos. Hoc porro ut fieret, debuiſſent Mahometani ad unum omnes religioſum Alcorani amorem odio incredibili commutaſſe, ne quibus carus eſſet etiamnum, ii tanto facinori obſiſterent; tum conveniſſe de illo non tantum invertendo, ſed de illius invertendi ſimili & una ratione, ne tot eſſent codices varii, quot varia capita; poſtea collegiſſe ex univerſis mundi provinciis volumina Alcorani omnia, ne relicto uno quidem, & omnia incendio ſuſtuliſſe. Alias non eſſent uniuſmodi Alcorani omnes: neque enim qui ſuperfuiſſent e veteribus, hi concinerent novis adulteratis. Quæ omnia & ſingula, quam impoſſibile ſit ut eveniant, facile qui mente oculatus eſt, intelligit & videt. Deinde ſi hæc in Alcoranis omnino omnibus depravatio tanto Mahometanorum omnium & conſenſu & concurſu, tanto veterum omnium codicum undecunque collectorum incendio, facta eſſet; non potuiſſet ſic arcane & clam fieri, tam arcta ſecreti religione, ut rei geſtæ fama nulla ſpargeretur. Rem vero tam admirabilem, ut nihil contingere in orbe terrarum majus poſſit, quam fama Chriſtiani accepiſſent, non omiſiſſent in ſuis Annalibus ſcribere. Mahometani certe, qui rerum præteritarum memoriam ſcriptis etiam ſuis ad poſteros tranſmiſerunt, hujus, quam non poterant neſcire, in primis meminiſſent, & depravationis nomine ſi minus mutationem illam expreſſiſſent, indicaſſent emendationis ſpecie & appellatione. Quo fere modo Alcorani totius in unum libri corpus collectionem ab Ottomano Afani filio ſuſceptam, atque perfectam, non dubitarunt litterarum prodere monumentis. Cum igitur liber Annalium nullus adulterati Alcorani mentionem, nedum hiſtoriam habeat, nihil negante illo argumento luculentius eſt ad comprobandum vigere adhuc primævam Alcorani integritatem. Præterea ſi quid in Alcorano Mahometani mutaſſent, ſuam aliquam in hoc flagitio utilitatem ſpectaſſent.

potestatem, verbi gratia, fecissent bibendi vini, & ciborum nullo constituto delectu, quodcunque arrisisset palato, id degustari & comedi a suis, nulla peccati contracta macula voluissent. Hæc plane persuadent argumenta, inquit *Christianus*, eorumque vim qui attenderit, fateatur necesse est, Alcoranum vestrum immutatis sententiis aut vocibus minime esse adulteratum. Sed iisdem ego argumentis, magisque necessariis efficio, Evangelium nostrum haudquaquam fuisse depravatum. Nam si depravatum fuisset aliquando, vel haberentur codices sententiis verbisque inter se discrepantes; alii scilicet illibatæ & primævæ integritatis, alii insertis erroribus corrupti: vel si nihil inter sese codices quotquot sunt in orbe terram universo, evangelici dissident, & corrupti sunt tamen penitus omnes, ne uno quidem relicto, qui sit integer & corruptelæ expers, contigisse oportuisset multa, quæ evenire non possunt. Nam primum necesse fuisset Christianos ad unum omnes, hoc est, numero infinitos, qui non in aliqua terrarum parte, ut Mahometani, sed in orbe universo longe lateque sparsi sunt, ad odium Evangelii veteris & ipsius Christi a quo traditum est, adduci. Si qui enim in Christi Domini atque Evangelii amore ac cultu perseverassent, ii sine dubio violentas afferri Evangelio divino manus non essent passi, & illibatos suos codices, qui nunc legerentur, asservassent. Necesse deinde etiam fuisset Christianos illos Christi proditores, ex omnibus gentibus, tribubus & linguis, cum convenire inter se moribus, studiis, ingenio ac factis nequeant, in hoc unum duntaxat immane ac detestandum facinus amice convenisse, & reluctante nullo, de rebus in Evangelio una ratione commutandis statuisse. Nimirum si sua quisque pro libidine immutasset, & alii alia vel decerpsissent, vel inseruissent, non hæc esset quam admiramur evangelicorum codicum apud omnes gentes consensio, sed verbis ac sententiis secum pugnarent. Adde, quod superiore loco indicavi, Evangelio hanc induci corruptelam non potuisse, quin Judæi ipsi parem in veteris Testamenti libros omnes invexerint, communicatis nobiscum consiliis, & amore nostri. Nam fidem nostram totam edocent legis antiquæ codices. At difficilius est sic amare inter se

Chriſtianos & Judæos, & iſtud inire pacti, quam Mahometanos & Judæos, poſitis odiis, de adulterando Alcorano & vetere Teſtamento invicem conſpirare. Propius enim abſunt ab Mahometanis, quam ab Chriſtianis in credendo & ſentiendo Judæi. Nam præterquam quod de Deo & Chriſto, ferme ut Mahometani, pronuntiant, niſi quod Chriſtum negant Meſſiam, ciborum, ut ipſi, habent diſcrimen, circumciſionem uſurpant, plures ſibi licere putant uxores, & hujuſmodi alia, ac potiſſimum quæ ad purgandas lotione corporum animas pertinent. Præterea (quod incorrupti Evangelii alterum eſt argumentum abs te pro Alcorano allatum) mutari Evangelium tanto univerſarum gentium concurſu, abſumi flammis quidquid fuit codicum antiquorum, perpetrari occulte tam inauditum & immane facinus, ab infinitis hominibus non potuiſſet, atque adeo id quando, quove modo geſtum ſit, retuliſſent viri docti in Annales, qui tam curioſe hæreſes omnes, & hæreticorum nomina, & minima quæque, quibus offenſa vel defenſa religio eſt, annotarunt. Quis porro unquam de hac Evangelii adulteratione vel verbulum fecit, de qua ne Alcoranus quidem, cujus illa cauſam maxime juvaret, conqueſtus eſt? Imo cum Judæos arguat, quaſi ſacras litteras depravent, يحرفوا الكلم tantum ſcelus Chriſtianis nuſquam exprobrat, de quo minime ſiluiſſet, ſi putaſſet illius reos, cum ipſis leviora objiciat. Denique quandoquidem nemo, ut ſibi noceat, peccat; ſed illuſus quadam, quam perſequitur, utilitatis ſpecie & umbra, utar nunc celeberrimo illo, quod inſtar demonſtrationis eſt, veteris illius ſapientis quæſito: *Cui bono* adulteratum eſſet a Chriſtianis Evangelium? Alcoranus quidem mirum non eſt, ſi levia quædam, & momenti nullius, quibus facile quiſque careat, prohibet, cum cætera laſcivienti naturæ lubens concedat. At mirum eſſet Chriſtianos in ſui vexationem & damnum, Evangelium mutaſſe. Jubentur enim Evangelio illo ſuo, quod depravatum eſſe arguitis, *crucem quotidie ferre; crucifigere carnem cum vitiis & concupiſcentiis ſuis; ſpiritu vivere, ſpiritu & ambulare; voluptatem nullam perſequi, niſi quæ juvet ad conciliandam animis puritatem, & Deo gloriam; bene omnibus*

Cap. de mulieribus & li menſa.

omnibus facere, etiam inimicis sævissimis, & generis hujusce quam multa, quæ Deus unus gratia sua persuadeat, efficiatque jucunda. Certe si quid mutassent, hoc mutassent primum, & legem obtulissent hominibus facilem, naturæ consentaneam, & amœnam, quæ suavitate sua animos ad sese alliceret, non quæ terreret, ut evangelica, tum mandatorum explendorum acerbitate, tum mysteriorum credendorum, prope dixerim, incredibilitate. Deum unum scripsissent, quod assequitur humana ratio; unum simulque trinum minime docuissent, quod mens non capit. Christum prophetam affirmassent, quod miracula suadent; Deum hominem & passum & illusum & mortuum non dixissent, ne offenderent auditum professione hac apud gentes stulta, & apud Judæos divino numini contumeliosa. Denique expunxissent ab Evangelio quæ factu captuque difficilia sunt, & homo natura sua refugit: proposuissent Evangelium molle, delicatum, & commodum, quod vel reluctantes voluptate ad se traheret. Hic *Mahometanus*, Forte, inquit, Evangelium mutarunt non alio sibi proposito sceleris fructu, quam ut suum in Mahometem odium explerent. Nam ut scribitur في سورة البقرة cap. de vacca: *Judæis & Christianis minime places, aut probaris.* لا يرضى عنك اليهود ولا النصارى Ad dicta me revocas, inquit *Christianus*. Nam præterquam quod neminem oderunt, qui vere christiani sunt; certe Mahometem, si consona Evangelio ipsorum tradidisset, non minore fuissent amore complexi, quam prophetas & apostolos alios. Imo majore habuissent in pretio, cum eorum nemo æque naturæ luxurianti faveat & cupiditati effrenatæ mitius imperet. Vide, inquit *Mahometanus*, quo te hic laqueo implices. Fateris enim Evangelium consona veteri Testamento omnia tradere, & Evangelium tamen Judæi a se abjiciunt. Quo fieri modo potest, ut Christiani Alcoranum quantumvis Evangelio consentiat, ex animi nescioqua pravitate, repudiaverint. Judæi, respondit *Christianus*, Evangelium etsi vetere Testamento comprobetur, idcirco non admittunt, quia libidini & superbienti ingenio non favet, & naturam hominis depravatam rigide

coercet, teste ipso Alcorano; في سورة البقره. فكلما
جاكم رسول بما لاتهوي انفسكم استكبرتم ففريقاً
كذبتم وفريقاً تقتلون وقالوا قلوبنا غلف بل
لعنهم الله علي كفرهم فقليلاً ما يومنون ولما جاهم
كتاب من عند الله مصدق لما معهم وكانوا من
قبل يستفتحون علي الذين كفروا. فلما جاهم ما عرفوا
كفروا به. فلعنة الله علي الكافرين * Ita Alcoranus de Judæis. *Quoties*, inquit, *quoties vobis apostolus venit contra docens quam libeat cupiditati vestræ, fastu elati vestrum alii mendacem dixerunt, occiderunt alii, & dixerunt: Corda nostra incircumcisa sunt. Imo male illis Deus ob ipsorum infidelitatem dicat. Parum est quod credunt. Ac quoties ipsis liber a Deo venit, quæ apud ipsos sunt, probans & firmans, qui antea librum infidelibus proferebant, cum ipsis quod norunt, advenit, fidem illi habere noluerunt. Dei illos qui fidem negant, maledictio percellat.* At Mahometus legem Christianis proponit suavem & amœnam, ad quam naturæ propensione ferimur, cui nunquam obstitissent, si ad eam inflectere Evangelium fas fuisset. Deinde num advertis, quod de Judæis eo loci Alcoranus prodit illos incircumcisis seu obstinatis esse cordibus: ان اليهود قلوبهم غلف Et cap. de vacca: في سورة البقره. قلوبهم كالحجاره اواشد قسوه *Cordibus saxorum instar præduris, imo durioribus.* Quod de Christianis nusquam asserit. Quin sacerdotes ipsorum & religiosos viros commendat. Denique longe alia est nostra cum Judæis agendi ratio, ac vestra nobiscum. Neque enim cum dicimus Evangelium nostrum ve-

Cap. de mensa.

teri Testamento consentire, ejusque testimoniis comprobari, rejicimus, quod in Judæorum manibus est, Testamentum vetus, quasi depravatum sit: sed ex eo ipso quo nunc utuntur, argumenta eruimus, quibus adstruatur Evangelio veritas, & ipsi convincantur. Nimirum etsi illorum nonnulli, quod recte Alcoranus notat, & sæpe arguit, يحرفوا الكلم *adulterant verba*; cap. de vacca: في سورة البقرة. وقد كان فريق منهم يسمعون كلام الله ثم يحرفونه من بعد ما عقلوه وهم يعلمون *Eorum alii audiunt Dei verbum, tum illud, postquam intellexerunt, depravant, & ipsi norunt:* fieri tamen ipsorum improbitate non potuit, ut divinus ille liber nobis periret, aut ipsis. Judæorum manibus ubique terrarum circumfertur, testis contumaciæ & perduellionis eorum, fideique ac obedientiæ nostræ, ad divinæ æquitatis ac providentiæ commendationem. Ea autem ratione Mahometani minime sese cum Christianis habent. Christianorum Evangelium repudiant, hac una de caussa, quia Alcorano non consonat, quasi si actor adversarium suum negaret ex veritate loqui, non alio argumento, quam quod eadem atque ipse non loquitur. Atque ita contra quam jubeat Alcoranus, ipsi faciunt. Evangelium enim ad Alcoranum expendunt, cum præcipiat Alcoranus expendi se suaque ad Evangelium: يا اهل الكتاب لستم علي شي حتى تقيموا التورية والانجيل *O possessores Alcorani, nihil vos juvat, donec vetus Testamentum unaque Evangelium complectamini.* Et vero divinus ille uterque codex ante Alcoranum traditus est, ut, vel ipso Alcorano teste, homines in credendo agendoque dirigeret. Cap. de famil. Amrani: انزل التورية والانجيل من قبل هدى للناس *Demissus est veteris Testamenti & Evan-*

gelii codex ad hominum directionem. Satis est superque, inquit *Mahometanus*; & quibus argumentis ostenditur Alcorani integritas, iisdem video puritatem Evangelii recte demonstrari. At Evangelium, quî vetere cum Testamento conciliari valeat, non æque video: hoc enim vetantur multa, quæ facit illud licitâ Christianis. Eadem te premit, respondit *Christianus*, in Alcorano difficultas; nam & illum vis esse مصدقا للتورية sic veteri Testamento consentaneum, ut ad illius comprobandam veritatem sit a Deo, quemadmodum existimatis, vobis concessus. Multa tamen sacratissimo illo volumine prohibentur, quæ Alcoranus permittit. Ad Evangelium vero quod attinet, illud planissime profitetur Alcoranus, cap. de familia Amrani, في سورة ال عمران veteri Testamento ferre testimonium; مصدقا لما بين يدي من التورية cumque ipsi sic consentiat, quod tamen olim vetitum erat, esse jam licitum voluisse. احل بعض الذي حرم سابقا *Quædam ante prohibita permisit.* Nimirum futuram illam, Messiæ sub imperio, sanctam & beatam mutationem, tum Testamentum vetus, tum prophetæ prænuntiant. Adeoque illa nisi extitisset, nunc veteri Testamento non concineret Evangelium. Verum, inquit *Mahometanus*, quis valeat, si mente sana est, Evangelii vestri dictis obsequi, & credere unum in tribus personis Deum, JESUM qui homo sit, esse Dei Filium, ipsumque Deum a Deo alium, qui crucis patibulo affixus mortem obierit. Repete hic animo, respondit *Christianus*, quæ dicendi initio ex Alcorano adduximus; لا يعلم من في السموات والارض الغيب الا الله وكفي بالله شهيدا *Quæ a nobis longe absunt, & latent in cælo & in terra,*

nullus præter Deum novit. Et, si accedat in testem Deus, sufficit, ut sese demum res habeat. Naturam divinam creatum ingenium si caperet, divina non esset. Careret enim divinitatis infinitate propria, cujus magnitudinem mentis creatæ finibus coerceret. Deum qualis sit, quî intelligat mens humana, quæ ipsam se, qualis sit, non intelligit? Si ea dumtaxat credis, quorum pervides naturam penitissime, vix quidquam credas. Cæcutiunt in omnibus, vel qui in hominibus perspicacissimi ab doctrina sunt. Quis capit quomodo sit hæc mundi moles ex nihilo procreata? quomodo gignantur, non dicam venti, aut flumina, sed herbarum minimæ, & magis obviæ? unde illis odor, & color, & multiplex sive ad salutem, sive ad exitium corporum nostrorum, quam admiramur efficientia? Quid tempus sit, quid motus, quid rerum extensarum quantitas, quid anima spiritualis, quid animæ facultates, nondum Philosophi intelligunt; velles tu Deum ejusque personas, mortalis adhuc, & forte curis hujusce vitæ, & cupiditatibus obcæcatus, sic animo videre, ut oculis solem? Si Deum, cum maxime sit unus & unicus, credere non potes esse personis trinum, quia id non capis: quomodo Deum, cum minime extensus sit & divisus, credis esse immensum, & sic totum in universo, ut nihilo ipse minus totus sit in singulis universi partibus & punctis, quod nemo capit, etsi ratiocinando colligat? Quomodo credis homines extremi judicii die omnes ad vitam excitandos propriis in corporibus, dum interim soluta anima, miro vivit, nec adhuc intellecto modo? Quæ arcana divino dumtaxat testimonio demonstrantur. Verum, ut recte ait Alcoranus, قد كفي بالله شهيداً وما اصدق الله قايلاً. *adductus in testem Deus, quo nemo veracior est, sufficit.* Deum, quæque Dei propria sunt, nemo novit, nisi Deus, aut cui Deus revelare voluerit. Revelavit autem in Evangelio, الذي لاشك ولاريب فيه *cujus dicta nefas est vocare in dubium*, se natura unum, personis trinum esse, Christum sibi esse Filium, illum ab sese

divino, puriſſimo & admirabili modo genitum, Maria quoque virgine natum eſſe, cum naturam ab illa noſtram ſuſcepit, univitque Deitati; eundemque in carne pro Dei gloria paſſum, & cruci affixum. At de perſonarum trinitate ut primum agam, illi teſtimonium Alcoranus dicit, treſque Dei unius perſonas diſtinguit & enumerat. Primam Dei nomine appellat. الله *Allah*; ſecundam ſua propria Verbi divini appellatione deſignat, كلمة الله *Kelmet Allah, Verbum Dei*; tertiam Spiritus ſancti vocabulo repræſentat, روح القدس. *Rouhh elqodos*. O! exclamavit *Mahometanus*: id ſi demonſtres, noſtrum erit nemo, quem Chriſtianæ religioni non adjunxeris. Quæro abs te, inquit *Chriſtianus*. De Chriſto nonne profitetur Alcoranus, ipſum eſſe Dei Verbum, fuiſſeque ſancto Dei Spiritu confirmatum. عيسي هو كلمة الله وايده الله بروحه Audi, reſpondit *Mahometanus*, ipſa Alcorani verba. *De Deo noli quidquam dicere, niſi quod verum ſit. Chriſtus* JESUS *filius eſt Mariæ, Dei apoſtolus, ejuſque Verbum: dimiſit ipſum in Mariam, unaque Spiritus qui ab ipſo eſt. Credite in Deum, ejuſque apoſtolos. Tres nolite dicere, deſinite. Satius id vobis. Deus ſcilicet Deus unus eſt. Ipſi gloria, abſit ut ſit Filius. Illius ſunt quæ cælo terraque continentur. Deum in teſtem eſſe ſufficit. Non dedignatur Chriſtus eſſe Deo ſervum. Deus autem dixit: Demonſtrationes Chriſto Mariæ Filio dedimus, & Spiritu ſancto illum confirmavimus.* Cap. de mulieribus. لاتقول علي الله الاّ الحق انما عيسي ابن مريم رسول الله وكلمته القاها الله الي مريم وروح منه فامنوا بالله ورسله ولا تقولوا ثلثه انتهوا خيرًا لكم انما الله الاه واحد سبحانه ان يكون ولد. له ما في السموات


Cap. de vacca, & familia Amran.

وما في الارض . وكفي بالله وكيلاً . لن يستنكف
المسيح ان يكون عبداً لله وقال الله ان اتينا عيسي
بن مريم البينات وايدناه بروح القدس Ecce quod aiebam, ſubjecit *Chriſtianus :* hiſce verbis tres in uno Deo perſonas profeſſus es, Chriſtumque ſimul Dei eſſe Filium. Apage, inquit *Mahometanus*, avertat id a me Deus. Non dico eſſe tres, Deum unum agnoſco. O! eſſe ei Filium, cujus ſunt quæ cælo ac terra continentur! Novimus, repoſuit *Chriſtianus*, Deum eſſe unum, & graviſſime contra fidem eum ſcelere teneri qui tres Deos dicat. Sed maximam fidei virtutem eſſe contendo, ſi quis in *Deum* credat, & *ejus Verbum*, & *ejuſdem Spiritum*, in iiſque tribus Divinitatem unam agnoſcat. Exclamavit *Mahometanus :* Credimus in Deum, & ejus Verbum, & ejus Spiritum. Ergo, hic arguit *Chriſtianus*, tres credis; non tres autem Deos: Deus enim Deus unus eſt; tres igitur in uno Deo perſonas, quibus in tribus ipſe Deus unus exiſtat. Interceditne, inquit *Mahometanus*, Deum inter, ejuſque Verbum, & Spiritum diſcriminis aliquid? Apertiſſimum diſcrimen eſt, repoſuit *Chriſtianus*. Nam qui producit Verbum, idem omni certe ratione, cum eo eſſe non poteſt, quod a ſe productum eſt Verbum: deinde qui confirmatur Dei Spiritu, non poteſt, omni ratione omnino, idem eſſe cum illo Spiritu. Differt igitur Verbum a Deo genitum, ab generante ipſum, & ab Spiritu quem illi generans communicat, communicata ipſi illius ſpirandi virtute. Diſtinguitur etiam ab utroque qui ab utroque procedit Spiritus. Neque enim idem a ſeipſo produci poteſt. At diſcrimen illud non eſt naturæ ſive ſubſtantiæ, quam unam in Deo uno neceſſe eſt eſſe. Non aliud igitur eſt, niſi perſonarum. Prima cum generet Verbum ſibi *conſubſtantiale*, Pater eſt; ſecunda cum ſit Verbum genitum ejuſdem cum generante naturæ, Filius eſt; tertia Spiritus, cum ab utroque ſpiretur. Quæſiit hic *Mahometanus :* Si diſtinguuntur inter ſeſe perſonæ illæ, quî fieri poteſt, ut unus ſint Deus. Sic eſſe,

respondit *Christianus*, contestatur in Evangelio Deus: hoc mihi tibique, vel si minime hanc divinæ percipiamus prærogativam naturæ, satis est. Nam كفى بالله شهيدًا & fatetur Alcoranus Deum, & Dei Verbum, & Dei Spiritum, divinam habere naturam unam, & cum tria quædam sint, unum esse Deum. Nempe quidquid in Deo, exque Deo est, ipsemet Deus est, una divina natura, una divina substantia. Quod si Dei Verbum & Dei Spiritus alterius essent naturæ, plures essent e Deo, in Deo naturæ, tumque simplex non esset, sed compositus. Quî vero, institit *Mahometanus*, quî demonstras Deum esse personam illam quam Dei Verbum dicimus? Hinc patet, respondit *Christianus*, quod, quemadmodum homo est, cujus substantia, hominis substantia est; sic Deus est, cujus substantia, Dei ipsius substantia est. At Dei Verbum, cum accidens minime sit, sed substantia, cumque ejus substantia non alia, quam Dei sit, profecto Deus est. Quod & inde efficitur, quia cum in Deo & ex Deo sit, aliud ab ipso Deo esse non potest, ne compositione quadam naturam Dei simplicissimam fœdemus. Verbum autem illud æternum est, nunquam incœpit, nec desinet unquam existere. Nam si fingeres incœpisse aliquando, cum antea non fuisset, caruisse Verbo Deum assereres, & fuisse mutum, & fœcundæ mentis expertem. Si diceres desiturum futuris post temporibus, tum amisso Verbo, Deum proponeres infœcunda jam mente & mutum & mutabilem, qui scilicet cum antea gauderet Verbo, tunc nullo frueretur. Verbum autem illud substantia est increata, imo rerum omnium procreatrix substantia. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: omnia per ipsum facta sunt, & sine illo factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat.* Adjunxisti Deo socios, inquit *Mahometanus*.

Cap. de mulieribus. ومن يشرك بالله فقد افترى اثمًا عظيمًا وضل ضلالًا بعيدًا والله لم يغفر ان تشرك به ويغفر من دون ذلك لمن يشا *Qui autem Deo associat, contumeliam*

meliam illi maximo cum ſcelere infligit, & longiſſime aberrat. Deus autem ei non parcit qui ſocios ipſi tribuerit, condonat aliud quodcunque crimen præter iſtud, cui voluerit. Si qui, repoſuit *Chriſtianus*, in Deum credunt, ejuſque Verbum, & ipſius Spiritum; Deo adſcribunt ſocios: ſunt Mahometani ipſi de *aſſociantium* numero. Porro Dei Verbum, divinam eſſe perſonam & Deum ſic demonſtro. Quidquid eſt ſubſtantia æterna, vivens, procreatrix, Deus eſt: ſed Verbum divinum ſubſtantia eſt, eaque æterna, & vivens, & procreatrix: ergo Deus eſt. Sic me premis, reſpondit *Mahometanus*, ut vix habeam quo deinceps effugiam. Si Verbum illud divinum in accidentium claſſe colloco, ſim flagitioſe infidelis. Si præditum divina ſubſtantia agnoſco, Deum eſſe fateor, & Deo in ſocietatem adſciſco Deos alios, Verbum ſcilicet ipſius, & Spiritum, ſtatuoque tres eſſe Deos: Deum Verbi genitorem, & Verbum Deum, & Spiritum, Deum. Noli vereri, ſubjecit *Chriſtianus:* nam cum una & ipſiſſima ſit in Deo & Verbo & Spiritu natura, Dii tres eſſe non poſſunt, ſed ſunt Dei unius dumtaxat perſonæ tres. Quem fere ad modum, (ſi magna licet componere parvis, divina humanis, & infinite ab ſeſe invicem diſſita, facere comparando ad cognoſcendum propiora) quem, inquam, fere ad modum caput unum quod triplici vultu eſſet, non eſſet tria capita, ſed unum, quia vultuum trium eſſet una & eadem, quæ capitis, ſubſtantia: ſic intellectus, voluntas ac memoria tres animæ unius facultates ſunt, non tres animæ. Ac licet ratione facultatis una non ſit alia, ſed inter ſe diſtinguantur; ratione tamen ſubſtantiæ, unaquæque idem cum anima eſt. Finge tibi triangulum æquis lateribus aureum. Sint anguli tres A, B, & C. Fiat angulus B ducta ad ipſum ab A ſuperiore angulo linea, & angulus C exiſtat incidentibus in ipſum ab A & B lineis. Imaginem in eo Dei habes, unius quidem natura, ſed trini perſonis. Nam trianguli totius natura una eſt, *aurum*. Angulorum ſinguli, *aurum* ſunt, ejuſdem nimirum inter ſe materiæ: non eſt tamen angulus A, idem qui angulus B, nec angulus C, idem qui A & B; ſed tres anguli ſunt unius aureæ naturæ. Ita Deus una eſt & ſimpliciſſima ſubſtantia. Atque ut in



triangulo superiore angulus B ab angulo A procedit, sic Verbum divinum seu Filius ab Patre procedit. Uti etiam in triangulo, angulus C ab angulo A & angulo B emanat; sic Spiritus sanctus ab Patre & Filio. Sicut autem in illo triangulo aureo, angulus A *aurum* est, angulus B *aurum*, & angulus C *aurum*; ita in Deo Pater est *Deus*, Filius est *Deus*, & Spiritus sanctus est *Deus*. Et quemadmodum triangulus ille unus est cum tribus angulis distinctis, sic unus est Deus cum tribus distinctis personis. Quod si hæret etiamnum tibi scrupulus, nec sit tibi satis his exemplis, quæ fatemur, ut omnem aliam creatorum cum increatis comparationem, plurimum claudicare; hac certe Alcorani verissima sententia quidquid est dubitationis absolve & amove.

قل كفي بالله شهيدا *Fideli hoc abunde est, quod testetur Deus.* Nec mirum si caligent oculi nostri divinis in rebus, cum in humanis & creatis parum videant, etsi illas quasi manu tangimus, & sensibus usurpamus. Obtestor te, dic, si, perinde atque Evangelium nostrum, aliquid afferret Alcoranus excelsum, reconditum, quo vis intelligendi nulla creata pertingeret, si assereret Deum, cum maxime unus sit, & simplicissimæ naturæ, tribus tamen constare personis; an continuo ejurares Alcoranum ac protereres, aut potius humanæ mentis professus imbecillitatem, & divinæ *incomprehensibilitatem* naturæ, solemne illud inclamares:

قل كفي بالله شهيدا *Hoc testatur Deus, abunde est,* dicenti assentior, non repugno. Quid loquar, respondit *Mahometanus?* præclare vestra defenditis, sicque ut prope homines cogatis fieri Christianos. At expone cur personas divinas his nominibus distinguatis, unamque dicatis Patrem, Filium alteram, & aliam Spiritum sanctum. سبحان الله ان يكون له ولد اني يكون له ولد ولا تكون له صاحبة

Cap. de mulier. & de animal. *Laus Deo. Absit, sit illi Filius: id enim qui fiat, cum consorte fœmina careat.* Deum, inquit *Christianus*, profitemur simpli-

cem, صمدا ab corporis omni mole liberum, cui eſſe ad progignendum Filium conſors fœmina, virorum inſtar, non poſſit. Qua in re conſentimus Alcorano. Nec mirum ſi Deus divino modo ſine conſorte fœmina gignat Filium, cum Maria immaculatiſſima virgo filium ſine conſorte viro genuerit, ut teſtatur Alcoranus cap. de famil. Amrani. At Alcoranus idem nobis quoque de Filio Dei conſentiat neceſſe eſt, cum Verbum Deo attribuat, nec eſſe Verbum illud a Deo poſſit, quin Filius ipſius ſit. Quid eſt enim, quæſo, Verbum, quid Verbum Dei? Verbum, repoſuit *Mahometanus*, ſi de eo quæras, quod lingua gignitur ac effertur, rei cogitatæ & dictæ forma quædam & imago ſenſibilis eſt. Hominem cogito, & hoc illum verbo depingo, cum te alloquor, & dico, *Homo*: at ſi de verbo mentis ſciſciteris, aliud nihil eſt, quam rei cogitatæ & intellectæ imago a mente progenita: v. g. mare cogitas, ſtatim enaſcitur e mente tua, in eaque exprimitur ſpiritualis imago maris. Eſt enim animis ut corporibus fœcunditas ſua, quæ ſumma perfectio eſt. Hæc imago igitur rei cogitatæ expreſſa cognitio eſt, & a mente producta, qua ſibi ipſa mens loquitur, adeoque dicitur ipſius verbum. Cognitio porro illa cum perfecta eſt, *ſapientia* dicitur. Atque id ut exemplo magis aperiam: in ſpeculum cum intueris, in eo ſtatim imago tua gignitur, & te tibi exhibet; ſic cum te mente tua conſpicis, in ea tui producitur imago, quæ verbum tuum, & cognitio, & ſapientia dicitur. Præclare omnino, inquit *Chriſtianus*, philoſophatus es, ad huncque utcunque modum, cum ſe Deus totum quam perfectus eſt, ſemper cogitet & intelligat, gignit in ſeſe imaginem ſui abſolutiſſimam, qua ſibi ipſe repræſentetur quantus eſt. Atque hæc imago cum ſit perfectiſſima, quidquid in Deo prototypo ſuo eſt, in ſe complectitur ac repræſentat. Divina mens, ait *Mahometanus*, cum perfectione nulla careat, abſit ut negem fœcundam. At cognitionem illam & ſapientiam genitam, qua ratione Dei Filium appelletis non video. Nam quis unquam cognitionem hominis aut angeli, filium vel angeli vel hominis eſſe dixit? Quid ſit eſſe filium, re-

posuit *Christianus*, si intelligis, Verbum Dei, Dei esse Filium negotio nullo capies. Dic igitur quid censes esse filium? Palam est, inquit *Mahometanus*: a quo quis habet ut existat, huic filius est. Cum igitur habeat cognitio tua expressa, reposuit *Christianus*, ut a mente tua existat, mentis tuæ proles est & filia tua. Minime vero, inquit *Mahometanus*: nam cognitio mea accidens quoddam est vitæ expers, filius autem substantia vivens e vivente substantia est. An vero vermis, rogavit *Christianus*, qui substantia vivens e tua forte substantia enasceretur, tibi filius censeretur? Non est satis, subjecit *Mahometanus*, ut substantivum quiddam sit, qui filius est; sed necesse est ut in naturæ ejusdem similitudinem & consortium prodeat, leo ab leone, ab homine homo. Erat igitur Eva Adami filia, *arguit Christianus.* Ab eo enim in similitudinem naturæ sortita est ortum. At non actione Adami, respondit *Mahometanus*, quæ hanc per se similitudinem efficeret. Brevissime atque absolutissime filium audio definiri ab philosophis. Filius est, aiunt, vivens a vivente per actionem procedens, quæ vi sua similem illi principio suo naturam tribuat. Plane rem attigisti, reposuit *Christianus*. Jam assume quodque consequitur annecte. Atqui Dei cognitio seu sapientia, substantia est vivens, & a divina vivente substantia per intelligendi actionem procedit, quæ vi sua rei intellectæ similitudinem exprimit, non accidentariam, quæ in Deo esse non potest, sed substantivam, per quam divina illi natura tota communicatur: est igitur expressa illa Dei cognitio & sapientia, Dei verissime Filius. Hæc philosophis vobis, inquit *Mahometanus*, aspectu forte primo capiuntur ac videntur, non perinde nobis: quapropter enucleatius idem evolve. Mentis, ait *Christianus*, divinæ Verbum, non est nostri ad instar adventitium, fluxum, labile, sed æternum & perpetuum est, per seque stat, & vita præditum est; cumque de Deo & in Deo sit, atque ejus absolutissima imago, nihil in Deo est quod in ipso similiter non existat. Est igitur Dei Verbum substantia, proceditque ab persona divina. Nam cognitio sine cognoscente, verbum sine dicente esse non potest. Adeoque substantia est vivens a vivente substantia,

& eadem omnino ſubſtantia, quia nec duplex eſſe in Deo ſubſtantia, nec dividi natura divina poteſt. Ac denique cum Verbum illud divinæ operatione mentis procedat, quæ operatio, ut diximus, rei intellectæ ſimilitudinem efficit, nihil Verbo divino deeſt quod ad Filii rationem pertineat: quare ſine dubio Filius eſt. Cumque eſſe Filius nequeat, quin illi ſit Pater, perſona illa ab qua eſt, merito Pater dicitur. Neque Pater ille Filio eſt ætate major. Ab æterno & æternum ambo ſunt. Sic lumen cum a ſole oriatur, ſi ab omni ævo ſol extitiſſet, fuiſſet & ab omni ævo lumen ab ſole productum. De Filio hactenus, inquit *Mahometanus*. Quid eſt vero Spiritus ſanctus? Quemadmodum, inquit *Chriſtianus*, ab divina mente fœcundiſſima Verbum divinum procedit, quod totam in ſe Dei naturam, & quidquid in ipſa eſt, repræſentat, & complectitur; ſic ab ejus voluntate ſui, id eſt, ſummi boni amor procedit, eſtque ſubſtantivus ac eadem, qua Deus Pater & Filius, natura præditus, & ab utroque re nulla, præterquam perſonalitate & procedendi modo diſcrepans. Porro divinæ illæ perſonæ non tres Dii dicendi ſunt, ſed juxta theologicæ grammaticæ leges ac præcepta tres Deus, & Deus maxime unicus, cui neque ſimilis alius, neque ſocius eſſe poteſt. Ecce tamen, inquit *Mahometanus*, ſocios illi duos tribuis Filium, & Spiritum ſanctum: neque video qui te & Chriſtianos tuos ex impia *aſſociantium* turba ſegreges. Tibi jam dixi in Patre & Filio & Spiritu ſancto, repoſuit *Chriſtianus*, divinam non dividi naturam, ſed unam in tribus illis perſonis, eandemque omnino eſſe, atque idcirco unum conſtitui Deum; ab quo cum alius alter nec ſit, nec poſſit eſſe, Deo ſocius eſſe non poteſt. Nempe niſi inter duos, quod minimum, nequit ſocietas intercedere. Porro مشركون *aſſociantes* dicuntur ii, qui divinitatem partiuntur, Deoſque plurimos profitentur & colunt. Non eſſe autem de *aſſociantium* numero Chriſtianos teſtatur ipſe Alcoranus tuus: ſic enim capite de familia Amrani: في سورة ال عمران *Abrahamus*, inquit, *neque Judæus erat, neque Chriſtianus*,

gentilis erat, Muslemanus, seu de prædestinatorum cœtu; *non de associantium grege.* ما كان ابراهيم يهوديًا ولا نصرانيًا ولكن كان حنيفاً مسلما وما كان من المشركين Sic etiam capite de peregrinatione ad Meccam: في سورة الحج *Fideles & Judæos & Sabæos & Christianos & Magos & associantes Deus die quo homines resurgent, ab invicem sejunget.* ان الذين امنوا والذين هادوا والصبيين والنصاري والمجوس والذين اشركوا ان الله يفصل بينهم يوم القيامة Audisti quomodo *associantes* inter & Christianos distinguat, nihilo certe minus, quam inter Judæos & Christianos. Et cap. de vacca, في سورة البقرة Mahometanis prohibet rem uxoriam habere cum fæminis *associantibus*, in hæc verba: *Nolite coire cum associantibus fæminis, donec fidem amplectantur: est enim serva quæ fide prædita sit, associante, quantumvis tibi placeat, melior.* لا تنكحوا المشركات حتي تومن لامة مومنة خير من مشركة ولو عجبتك At Mahometanorum cum Christianis fæminis connubia vult esse licita. في سورة المايده Cap. de mensa. *Vobis*, inquit, *quæ bona sunt, permisit. Eorum, quibus liber* (Evangeliorum scilicet) *datus est, vobis edere cibos licet, & iis licet vester quoque cibus, & conjuges tum ex iis quæ pacem profitentur, tum ex iis quibus ante vos datus est liber, constituta ipsis & tradita dote.* احل لكم الطيبات وطعام الذين

اوتوا الكتاب حل لكم وطعا مكم حل لهم
والمحصنات من المومنات والمحصنات من الذين
اوتوا الكتاب من قبلكم اذا اتيتمو هن اجورهن

Christianos igitur cum *associantibus* non numerat, qui cum ipsorum fœminis iniri conjugia patitur, quæ vult esse cum *associantibus* illicita. At audio Christianos, inquit *Mahometanus*, asserere Christo divinitatem, atque ipsum profiteri esse Deum. Quod homo nemo, nisi fide careat & impius sit, affirmet. Si *infidelibus* accenses, reposuit *Christianus*, qui sic affirmant, nescio quid Evangelio, quid vetere Testamento, quid apostolis, quid prophetis, a quibus sic didicimus, futurum sit: imo quid Alcorano apud te, qui de Christi divinitate etiam testatur. Et ubi demum, excepit *Mahometanus*, ubi significat Alcoranus Christum esse Deum, qui Deum esse palam pernegat? Audi, inquit *Christianus*, quid enarret, في سورة البقره cap. de vacca, in hanc sententiam; *Angelis diximus: Adorate Adamum, & adorarunt: at diabolus renuit, & superbo se animo extulit: erat enim de infidelium grege.* قلنا للملايكه اسجدوا لادم
فسجدوا الا ابليس ابي واستكبر وكان من الكافرين

Adami porro nomine non veterem, sed novum hominem, cælestem Adamum Christum innuat oportet. Terrenus enim cum purus homo esset, angelis ut natura, sic dignitate inferior, minime fas erat debitum divinitati uni adorationis cultum illi deferre. Scriptum est enim: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Deinde Christum JESUM Alcoranus fatetur esse Dei Verbum; كلمة الله atque ut e vobis non pauci aiunt, Dei Spiritum. روح منه

Sive autem Spiritum Dei, sive Dei Verbum asseras, Deum asseris: nam quidquid a Deo in Deo est, natura & substantia Dei gaudet, estque de Deo Deus, non divisa & multiplicata divinitate, sed communicata, ut mox exposuimus. At rem exposuisti, inquit *Mahometanus*, pro ingenio tuo, aliter atque est. Ea enim duntaxat significatione Christum Dei Verbum esse dicimus, quod Dei verbo fuerit procreatus, nempe *dixit Deus, & factus est.* Pace tua dixerim, reposuit *Christianus:* procul est ab hac mente Alcoranus: Christum enim hinc commendat, quod Dei Verbum sit, ejusque, ut aiunt, Spiritus. At si ea re solummodo Dei Verbum appellatur, quia Dei verbo productus est, nihil hinc habet creatis rebus cæteris majus, quæ Dei verbo sunt conditæ, neque ab sapientium ullo propterea Dei verbum sunt hactenus appellatæ. Et tecum si Alcoranus sensisset, non dixisset Christum esse *Dei apostolum, & Verbum & Spiritum ex eo;* sed docuisset esse Dei apostolum per Dei verbum. Sed ibi christiane docuit: Christum enim apostolum Dei dixit naturæ ipsius humanæ, si recte aspexit, intuitu, imo subjunxit aliquid esse excellentius, nempe Verbum ipsius, & Spiritum, eadem scilicet natura divina atque Deus ipse præditum. E nostris, inquit *Mahometanus*, bene multi, non Christum, sed Gabrielem angelum Dei Spiritum, propter ejus puritatem, appellant; JESUMque aiunt esse ab hoc Spiritu, quia missus ipse a Deo ad Mariam, cum in eam insufflasset, flatu ejus Christum sensit illa se concepisse. Hoc qui dicunt e vestris, reposuit *Christianus*, videntur garrire & fabulari gratuito. Neque enim sic illorum narrat Alcoranus, aut dat exponendi causam. Spiritum enim illum quem a Deo esse Alcoranus docet, scribit esse ipsum Christum, ut vestrum plerique interpretantur, vel Spiritum divinum a Deo procedentem, cujus opera immissum in Mariam Verbum Dei sit, & humana natura donatum, cujus numine corroboratus sit Christus, quatenus homo est. وايدناه بروح القدس *Spiritu sanctitatis corroboravimus.* Spiritum sanctitatis cum nominat, Deum appellat: is enim est,

est Deus unus, cum ipse per sese sit sanctitas & fons sanctitatis, ab quo illa & ad Gabrielem cæterosque angelos & ad homines defluit. Gabriel sit spiritu sanctus, ut alii angeli, non est tamen spiritus sanctitatis. Recte si refers, inquit *Mahometanus*, conciliari Alcoranus cum Alcorano non potest. Sic enim apertissime pronuntiat : لقد كفر الذين قالوا ان الله هو المسيح *Rei sunt infidelitatis, qui dicunt, quod Deus est Christus.* An consentanea proferat Alcoranus, reposuit *Christianus*, an in se contrariis sententiis incurrat, seque evertat, tu videris cum tuis. At allatis proxime verbis Christum esse Deum forte non negat. Nam si Dei nomine Patrem & Filium & Spiritum sanctum intelligit, constat tres illas personas divinas Christum neque esse, neque appellari salva fide posse. Deinde si Deum esse Christum sic interpretatur: quasi Deus sit sola dumtaxat persona Christi ; neque fides hoc patitur ; Deus quippe & Patrem & Spiritum sanctum æque significat ac Filium. Quamobrem malunt Christiani dicere, *Christus est Deus*: perinde enim est atque si dicerent : Christus habet, divinitatem atque adeo vere Deus est. Jam quod ait Alcoranus, posse a Deo Christum destrui, ان اراد الله انه يهلك المسيح *si Deus velit, Christum destruet.* Id est, vinculum illud solvet, quo divinitati suæ unitur humanitas, & ipsam quam procreavit humanitatem, coget in nihilum evanescere; non negaverint Christiani. Qua unione & humanitate destructis, etsi perseveret quæ everti a Deo non potest persona Verbi, destruetur Christus. Sed nunquam id Deus volet, quem donorum suorum, & hujus potissimum omnium maximi nunquam pœnitet. Verum, inquit *Mahometanus*, quî fieri potest ut divina illa natura cum humana, ab qua infinite discrepat, tam arcte coaluerit, ut ex utriusque conjunctione unus, qui Christus sit, extiterit? Quid vero vetat, quo id ab Deo minus possit perfici, reposuit *Christianus?* والله علي كل ماشا قدير Ab Deo, inquam, qui, uti

vos fatemini, *quidquid vult, id valet efficere?* Hæc nostra oratio est ac sententia, Verbi divini personam, re qualibet & tempore anteriorem, æternam, simplicem, omnis compositionis expertem, necessario increatam, incorpoream, inaspectabilem, quæ nec tangi possit, nec comprehendi, ab qua quæcunque complectitur Deus, contineantur, quia ipsius est Verbum, cujus substantia non alia quam Dei sit, in Mariam demum delapsam esse, & corpus in ipsius alvo purissima induisse, corpus, inquam, anima spirituali & intelligente præditum; sicque ut persona Verbi naturas duas perfectas amplexa sit, & possederit, divinam scilicet & humanam. Ac illa quidem Verbi persona ea habet, quæ propria sunt naturæ divinæ, cujus beneficio cum æterno Patre ac Spiritu unitur, & ea quoque quibus ut notis propriis natura humana afficitur, cujus beneficio matri nobisque conjungitur. Porro sic sunt naturæ illæ duæ in Domino Christo connexæ, ut nequaquam mutatæ sint. Neque enim ab simplicitate sua excidit natura divina simplicissima, neque humana natura in divinam sui transformatione aut eversione excessit: neque composita ex duabus una effloruit; sed quoad substantiam, eaque quæ ad ipsam pertinent, plane uti erat, utraque permansit. Quem in modum vere Christus extitit Deus, unaque homo. Quæ perpessus est, ea pertulit, quatenus homo est: neque enim perpessionibus divinitas subjacet; at quod perpetravit humana omni virtute creataque superius, id effecit quatenus Deus. Hæc autem quæ idonea oratione declarari non potest unio, aut mentis acumine percipi in hac tenebrarum valle, nonnullis tamen exemplis ab sanctis Patribus explanatur. Quæsivit *Mahometanus* quænam illa essent. Tum *Christianus*, Primum est, inquit, arboris in arborem per insitionem trajectæ. Si enim pruni ramulum pyro arbori indideris, fiet arbor e duabus quasi una, aut potius arborum duarum truncus unus. Et truncus hic quidem pyro cum sit naturalis, pruno ex accidente advenit. Sic autem ei arbor utraque apte connectitur, ut neutra mutetur, vel natura, vel iis quæ naturæ propria tribuuntur. Hoc unum insitione ista consecutum est, ut & nobilitata prunus sit, & fructus ediderit saporis delicatioris

Vide Ioan. Damasc. a quo hæc desumpta.

& formæ locupletioris : at pyra sua pyrus, & pruna prunus nativo more protulit. In hunc utcunque modum humana natura cum divinæ in Verbo unita est, Christus unus extitit, & persona una. At humana natura immensam ex unitione illa adepta est dignitatem. Et divinæ quidem naturæ naturalis persona fuit, humanæ vero adventitia. Jam quoniam persona hæc Deus & homo est, inde oritur, ut Deus natus esse & passus & mortuus dicatur, minime id quidem in divina natura sua, sed in humana, quam tum ut misericordiam demonstraret suam, tum ut sua perficeret admirabilia consilia, assumpsit. Ac veluti quando excanduit ferrum & ignitum est, in ferri molem pervasit ignis, & substantiæ utriusque unitio fit, immutata in se suisque proprietatibus utraque, cohonestato duntaxat ferro, sui cum nobiliore natura conjunctione, unde est ut & splendere ferrum & urere dicatur, & efficere alia quæ ab igne proficiscuntur, & igni attribuantur quæ ferri sunt propria, cadere scilicet deorsum, ac secare, ejusque modi alia. Sic Christus quia duas in se complexus est naturas, adjuncta divinæ suæ humana, quæ de Deo fas est ac de homine dicere, de ipso recte affirmare licet. Rem illustro accommodatiore fortassis, certe propiore exemplo alio. Intuere quî anima, spiritalis illa ac simplex natura, corpus, gravem & concretam ex materia naturam informet, atque ex utriusque conjunctione homo unus existat seu persona una. Quam ob conjunctionem utriusque naturæ mutuam, de homine eodem dicuntur ea quæ apte cum conveniant, videntur tamen evertere se mutuo. Nam & immortalis asseritur & mortalis, spiritualis & corporeus, & quæ spiritu fiunt vel corpore, efficere id persona ipsa dicitur. Ita quæ ab Christi natura humana fiunt aut perferuntur, ferre id Deus & facere merito pronuntiatur. Vere enim qui operatur & patitur, est Deus. Hæc, nisi fallor, causa est, inquit *Mahometanus*, cur a vobis Christianis Maria virgo Dei mater appelletur. At hæc appellatio quam acerba sapientum auribus est, & quæ illam mens capiat? Cum teste Evangelio, reposuit *Christianus*, Christus & Dei Verbum sit & Deus, hoc qui capit, & illud quoque ex consequenti percipit. Nam quando na-

tum e virgine Deum dicimus, non eo dicimus, ut divinitatem Verbi ab virgine afferamus ortum duxisse. Hæc nostra mens dumtaxat est, Dei Verbum a Patre ante sæcula omnia genitum sempiterna ac spiritali generatione, cum Patre & Spiritu sancto æternum existens, omnis-expers principii, novissimis his temporibus salutis nostræ gratia, in virginem illapsum, ab ea nullo modo mutatum, carnem sumpsisse, & natum esse. Neque enim virgo sanctissima merum ac simplicem hominem genuit ac parturivit, sed hominem propter unitionem naturæ divinæ Deum. Ac quemadmodum *Amené*, vere Mahometo mater extitit, & Mahometus *Amenes* vere filius propter acceptum ab ea corpus, dicitur, etsi animam ab Deo uno, non ab illa traxit: sic Christus etsi ab virgine divinitatem minime accipit, satis est ut Dei mater jure appelletur, quod ab ea corpus divinitati conjunctum duxerit. Cum igitur qui ab ea natus est, is Deus sit, matrem ipsam Dei esse oportet. Meministi autem ipsius Alcorani testimonio, Christum Dei esse Verbum ab Deo in Maria, e Mariano sanguine, corpore donatum. Quamvis autem humanæ mentis exuperet aciem hoc mysterium, ipsum tamen, ut quæ fidei sunt cætera omnia, facile admittes, effati illius si memineris toties a me ex Alcorano recitati: قد كفي بالله شهيداً *Satis est in testem Deus.* Quæ vero Deo causa fuit, inquit *Mahometanus*, suæ ut naturæ humanam sic adjungeret, evaderetque in hominem? An nescis, reposuit *Christianus*, quod descripsit ex vetere instrumento, & fide nostra Alcoranus, capite de vacca, Deum scilicet rerum initio *Adamo ejusque uxori paradisum quem incolerent, concessisse, ac utrique dixisse: Ex eo, ubicunque placuerit, ad beatam satietatem* رغداً *comedite. Ad hanc vero arborem cavete accedere, ne contumacium & iniquorum vos flagitio obstringatis. Hinc ut exciderent satanas effecit, & ab eo quo fruebantur, deliciarum statu expulit, unde misere una ambo* cum futuris ipsorum satu posteris sunt collapsi. (Sic exponit Gelal eldin اهبطوا اي ادم وحوا بما اشتملتما عليه من ذريتكم)

Quamobrem errori obnoxii ſub peccati jugo ac maledictione divina vitam vivebant calamitoſiſſimam. At miſericors & miſerator Dominus, cum exitium nolit hominis, ſalutis illos promiſſione conſolatus eſt. *A me*, inquit, (verba ſunt Alcorani e Chriſtianis accepta) *a me vobis dux veniet, qui vos ad ſalutem dirigat. Qui ducem hunc meum ſequentur, nihil habent quod timeant, neque confuſio ulla ipſis futura eſt aliquando. At vero qui ſignis meis negaverint fidem, eos ignis manet, quo in igne perſeverabunt æternum.* ياتيكم مني هدي

فمن تبع هداي فلا خوف عليهم ولا هم يحزنون والذين

كفروا باياتنا اولايك اصحاب النار وهم فيها خالدون

Dux ille, cujus meminit, Chriſtus eſt. Poſtquam enim prophetarum audire voces homines noluerunt, Verbum ſuum Deus, id eſt, unigenitum Filium ſuum miſit, quo ſummam ipſis miſericordiam exhiberet, & directionem offerret, qua perfectior eſſe nulla omnino poſſet. Nimirum qui perfecte dirigit, Deus ſit, unaque homo neceſſe eſt. Qua enim parte homo eſt, dat vivendi exempla aſpectabilia; qua Deus, cum errare non valeat, vel movere ad errandum, ſecuriſſime dirigit, nec ab recta via unquam deficiet qui ducem illum ſequetur. Cum Chriſtum, ſubjecit *Mahometanus*, habeatis Deum, mirum eſt eundem a vobis tam deſpici, ut cruci ab Judæis ſuffixum colatis. Id enim ſummam illius dignitatem maxime dedecet. Hoc ſummam illius æquitatem, repoſuit *Chriſtianus*, ſummam ſapientiam, ſummam miſericordiam decet maxime. Nimirum afferri hominibus ſalus non poterat, vel hominum vel angelorum opera. Neque enim creata ulla perſona exolvendo peccati debito, quidquid agat vel patiatur, ſatis eſt. Quæris quantum ſit hoc debitum. Tantum eſt, ut ſic loquar, quanta divina gratia qua privat. Eſt autem gratia iſta pretio omni creato ſuperior: quanta infinita & æterna beatitas, quam adimit: quanta pœna amiſſi Dei, quo damno par nullum cogitari & eſſe poteſt: quanta ſunt acerbiſſima continuanda in omne ævum ſupplicia, ut tempore, ſic fere acerbitate immenſa

Cum igitur nihil ab creata persona pro infinito illo debito, nisi finitum offerri possit, exolvere illud non potest. Adeoque quidquid demum exhiberet, nunquam divinæ justitiæ faceret satis, suoque hæc divina virtus jure debito semper careret, essetque quasi vacua. At Christum, cum testi Deo credimus Deum esse & hominem, eumque pro solvendo illo debito crucifixum, tum habet justitia divina abunde quod suum est. Sunt enim Christi actiones ac perpessiones propter ipsius infinitam dignitatem, meriti infiniti. Tantum Deo satisfacit cruciatu aliquo suo levi, quantum posset homo satisfacere, si pœnas infinitas infinitis sæculis perpessus esset. Tantum dixi, debui magis dicere. Hominem illum Homo-Deus quam superat dignitate, tam merito vincit. Adde hominem neminem, quantumvis peccet, tantum mereri pœnarum posse, quantum veniæ patiendo Christus meretur. *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Gratiam atque gloriam quas amiserat peccando homo, cum sint omni creato bono majores, creata nulla persona mereri poterat quidquid propterea moliretur æternitate tota & expenderet. At amittere tantum peccatis suis nunquam potuit, quantum ipsi actione unica Christus Dominus promeritus est. Unde persoluto divinæ justitiæ ab Christo tot divinarum actionum ac perpessionum pretio, ipsi nihil jam deest; quod exigebat, totum habuit; plane ei satisfactum est. Tantum porro abest ut Deum dedeceat in assumpta hominis natura passum esse, ut nulla re declarari magis ejus gloria, ad eumque colendum magis incitari hominum genus potuerit. Sic enim quam justus sit apparuit, qui fieri sibi satis nulla dimissa debiti parte voluit; quam misericors, cum eum dedit qui solverit; quam beneficus ac liberalis, qui tanta nobis donarit, imo qui seipsum; quam sanctus, qui peccatum sic odit, ut etiam alienum (nam suum esse nullum potest) fuso e venis toto sanguine eluerit, & mortem illi morte sua intulerit; quam sapiens, qui sic justitiam cum misericordia apte sciteque conciliarit, ut peccatum & misericordissime condonarit, & gravissime supra quam dici potest, ultus sit. Nam quæ fingi misericordia major potest ea, qua nobis Deum, unigenitum scili-

cet filium ſuum, liberatorem & ducem dedit? quæ juſtitia vehementior cumulatiorque ea, qua expiari toto Dei incarnati ſanguine culpam voluit, nec minore pœna deleri, quam ſit mors Filii Dei in patibulo obita. Commendatur hinc etiam divina potentia, quæ res infinite diſſitas verbo conjunxit, cum divina videlicet natura excelſiſſima humanam demiſiſſimam; ita ut e creatore & creatura, e ſervo ac domino, ex homine & Deo una perſona extiterit. Sunt profecto, inquit *Mahometanus*, quæ recenſes admirabilia. At probare non poſſum quod tantum Chriſtum, ſceleratorum hominum in morem, ſcribatis cruci ſuffixum miſere obiiſſe. Re enim ipſa, *eum minime interfecerunt Judæi, neque cruci affixerunt. Quippe ſui ſimilitudinem illis duntaxat objecit. Deus vero eum ſuſtulit, Deus, inquam, præpotens atque ſapiens.* وهم ما قتلوه وما صلبوه ولكن شبه لهم فرفعه الله وكان الله عزيزًا حكيمًا Cum divina natura, repoſuit *Chriſtianus*, ſit immortalis, fatemur Chriſtum qua Deus eſt, interfectum non fuiſſe; ſed hanc immortalem naturam ſuam humanæ & mortalis naturæ velo contexit, & ut ait ad Philippenſes ſuos apoſtolus, *formam ſervi accepit, & in ſimilitudinem hominum factus eſt, & habitu inventus ut homo exinanivit ſemetipſum, & factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. At Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine* JESU *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Quod recitaſti ex Alcorano, ſi in hanc ſententiam dictum velis, Evangelio concinet. At poſtquam Chriſtus in cruce vere mortuus eſt emiſſa e corpore anima, perſeveravit cum anima in locis inferis, atque etiam cum corpore in ſepulcro conjunctiſſima deitas, cujus potentia ſurrexit die tertia ab mortuis, & in cælos poſtea conſcendit. Porro divinæ illius naturæ ex tot tamque acerbis & ignominioſis perpeſſionibus nihil vel dedecoris acceſſit, vel doloris. Sicut cum illuminatum luce vitrum perfringitur, minime lux offenditur. Tantumque abeſt ut perpeſſiones

illæ Christo intulerint ignominiam, ut re nulla majorem promeritus sit & consecutus gloriam. Neque enim mortem invitus subiit, sed volens; & mortem cum probrosam pœna non faciat, sed causa, nihil illi ab sua probri esse potuit. Imo si pulcrum & decorum est pro patria mori, eoque pulcrum ac decorum magis, quo mors acerbior: quam gloriosum fuit Christum Dominum sponte se propter totius humanæ gentis salutem sævissimæ neci objicere? quam præclarum non vinci moriendo, sed hostes suos & ipsam mortem morte ipsa vincere? Fuit enim *inter mortuos liber*, & die tertia, cum voluit, revixit. Narrant sacri codices passum esse aliquando Samsonem se ab Judæis vinciri funibus, & hostium in manus tradi, tumque Philistæos in ipsum magno impetu irruisse; ipsum vero diruptis negotio nullo vinculis arrepta asinina maxilla eorum mille occidisse, cæteros dedisse in fugam. Quæro abs te jam, an Samsoni dedecori quis vertat, quod se siverit constringi vinculis, & ad hostem rapi, eorumque ludibriis objici? Minime vero: sed maximam hinc adeptus est gloriam. At majorem Christus illa maxima Samsonis. Passus est ab Judæis se cruci affigi, & interfici & detrudi in sepulcrum: sed ea re non prostratus ipse est, sed hostes prostravit, & diaboli regnum evertit, & peccati tyrannidem fregit, & idolorum abolevit cultum, & cælos aperuit hominibus, ubi Dei ipsius gloria fruerentur. Adde id fuisse sapientiæ singularis: neque enim alia re magis probare se Deum potuit. Nam si suam apud nos religionem vi gladii, aut munerum induxisset, factum illud divinitatis nihil aut admirabilitatis haberet: sic enim homines natura sua imbecilles, conditione servi, gentes sibi varias subdiderunt. At longe alia in Deo est agendi via. Qua re omnia evertuntur, ea ipse quod vult, adstruit & firmat: unde dedecus oritur, hinc ipse gloriam trahit; usurpat ad salutem, quod videtur esse ad exitium; & quidquid est, id procreat ex nihilo. Atque ut verbis Alcorani utar, cap. de fam. Amran. *noctem inducit in diem, & diem in noctem; educit e mortuo viventem, atque vivente mortuum; & quem vult ditat, neque rationi redden-*

dæ

dæ obnoxius est. يولج الليل في النهار ويولج النهار في الليل ويخرج الحي من الميت ويخرج الميت من الحي ويرزق من يشا بغير حساب Ita Christus Dominus sua nos inopia ditavit, suis nobilitavit probris, sua morte vitæ reddidit. Compendio hæc edissero, ne molestus sim. Capio, inquit *Mahometanus*, & admiror: aliud quæro. Quid est, quod crucem fere ut ipsum Deum colitis? Deum unum, respondit *Christianus*, summo cultu prosequimur & adoramus; honorem cruci pro ipsius dignitate referimus. Amabo te, si durissima detinereris servitute, & manumissio tibi scripto regis ipsius dextera libello seu mandato afferretur cum apposito ipsius sigillo; num exosculareris libellum istum, & regis sigillum, & apud te perhonorifice asservares? Crux Christi sigillum est, & manumissionis liber ejus sanguine pretiosissimo consignatus, quo asserimur ab diaboli servitute in libertatem filiorum Dei. Jam si rex ille mox laudatus pro te decertasset, & suo te gladio ab hoste liberasset, atque cum tibi postea gladium dono dedisset; num esset apud te ingentis thesauri loco, & honorem illi magnum deferres? Cogita crucem Christi gladium fuisse quo generis nostri hostem infensissimum fugavit, nobisque illam ab Christo relictam, cujus ope depellamus eundem hostem, & vincamus. Adeoque maximus illi à nobis habendus est honor, eo certe major quem sigillo regio & libello homines vulgo adhibent. Cultus ille porro, non ea qua crux efformatur, materia adstringitur, ibique hæret, sed ad Christum totus refertur. Ut cum regis vel sigillum vel libellum veneraris, honor ille non chartæ, non atramento, non figuræ exhibetur, sed ipsi regi, quem repræsentat, cujusque quasi oculis objicit beneficia. Religio Christiana, inquit *Mahometanus*, cum ita sese habeat, mihi videtur ferenda, atque eadem est fere religionum aliarum ratio. Sua quisque tuetur egregie. Apud nos vero Mahometanos id constat cujuscunque demum religionis homo sit, si vitam ex virtutis præscripto instituat & exigat, id est, si recte ac laudabiliter

operetur, nihil ipsi metuendum: fore enim ut non doleat aliquando, sed præmium sive salutem a Domino suo consequatur. فله اجره عند ربّه ولا خوف عليه ولا يحزن

Cap. de vacca.
Cap. de mensa.

Absit, respondit *Christianus*, ita sentias. Religio enim divina una est, extra quam qui vitam agit, neque Deo placere potest, neque salutem assequi. Ut qui in destinatum animo locum tendit, si deerrarit a via, quantumvis celeriter & firme ambulet, eo nunquam est perventurus. Et vero qua ratione ille placere Deo possit, qui Deo dicenti fidem negat? quove pacto salutis fieri compos, qui Deum hostem habet, الله لا يحب الكافرين & ab ipso maledictus est? *Deus enim infidelium hostis est, & sua illos maledictione percellit*, ut ipse fatetur Alcoranus. الله عدو الكافرين لعنة الله على الكافرين وللكافرين عذاب مهين *Infideles pœna manet ignominiæ ac probri plenissima.* في سورة النسا . اوليك الذين لعنهم الله ومن يلعن الله فلن تجد له نصيرا *Hos maledicto suo Deus percutit; quibus autem maledicit Deus, ii non invenias ab quo adjuvari valeant.* Id tibi facile assentior, inquit *Mahometanus*: si suæ sit conscius infidelitatis, qui ab recta fide exerrat, si exerret volens. At cum præ ignoratione rerum, quod falsum reipsa est, hoc verum habet, eque studio veritatis, opinioni suæ falsæ tenacius adhærescit, tum ipsum minime in infidelium numero collocarim: est enim animo & voluntate fidelis. Qui veræ fidei ignorantia laborat, ait *Christianus*, is ignorat, vel quoniam veri cognitionem nihil omnino curat, quod peccati genus gravissimum est, & cum maxima Dei despicientia, cui in primis veritas placet, conjunctum; vel quoniam postquam cura omni ac sapienti sollicitudine Dei unius amore compulsus veram investigavit fidem, eam assequi

non valuit. Quod evenire non poteſt: Deus enim *prope eſt invocantibus ipſum*, & in veritate quærentibus ſtatim occurrit. Infidelium igitur nemo innocue infidelis eſt. Is quippe in infidelitate perſeverat, vel quia Deum ejuſque fidem negligit, vel quia peccatis obcæcatus & impeditus, nec Deum videre poteſt, nec ad ipſum accedere. Jam abs te, ait *Mahometanus*, abs te, inquam, qui religionum omnium arcana perſcrutatus es, reſcire velim: Unde eſt, quod tibi Chriſtiana ſic placuerit, non placuerit Mahometana! Factum id, repoſuit *Chriſtianus*, quoniam de veritate cognoſcenda valde ſollicitus, poſtquam precibus multis divinum affundi lumen menti meæ poſtulavi, conatu omni, quæ vera & ad ſalutem neceſſaria religio eſſet, indagavi: ſicque judicavi errare me non poſſe, ſi prophetarum inſiſterem veſtigiis, & Evangelii, quod demonſtravi incorruptum, documentis crederem, ac præceptis obſequerer, totumque me Chriſto dederem. Mahometo, ſubjunxit *Mahometanus*, cur te non devoviſti etiam? cur non placuit ipſe tibi peræque, cum ſit ipſe Arabum & barbarorum & omnium retro hominum optimus & ſanctiſſimus. خير الوري من عرب ومن عجم Multa, inquit *Chriſtianus*, de Chriſto ille præclare dixit, de ſe ea prodidit, quæ mentem ab ipſo meam maxime averterunt. Quænam vero illa, quæſiit ſtatim *Mahometanus?* Ea, inquit *Chriſtianus*, quæ tu forte ſancte intelligas & interpreteris: ego vero ex me, quomodo prophetæ conveniant, & prophetarum, ut ais, maximo, capere non poſſum. Deus في سورة الشوري cap. de conſultatione, ſic inducitur Mahometum alloquens: *Tibi a nobis Spiritum afflavimus, neſciebas quid rei eſſet & ſcriptura ſacra, & fides ſeu religio.* احوينا عليك روحا من امرنا ما كنت تدري ما الكتاب وما الايمان Et cap. de apertione: في سورة الفتح *Aperuimus nos tibi apertionem manifeſtam, ut tibi*

Deus ignoscat, quidquid peccati tui praecessit, & secutum est, & confirmetur ejus super te gratia, in viaque recta te dirigat.

انّا فتحنا لكم فتحًا مبينًا ليغفر لك الله ما تقدم من
ذنبك وما تاخّر ويتم عليك نعمته ويهديك صراطًا
مستقيمًا Sic etiam cap. de luce: في سورة الضحي *Nonne te reperit orphanum, & excepit domo? Nonne te invenit errantem, & direxit? Nonne te invenit inopem, & ditavit?*

الم يجدك يتيمًا فاوي ووجدك ضالا فهدي ووجدك
عايلًا فاغني Jam quæro abs te quomodo illum Deus ab recto tramite aberrantem & devium invenit, imo peccatis multis, tum antecedentibus, tum consequentibus implicitum, eorumque reum, nulla ullius libri sacri aut fidei cognitione prædítum, adeoque summe infidelem, eumque nihilo vos minus habetis, ut quod creatum est a Deo optimum, nedum ut prophetarum maximum. خير الانبيا وخلق الله

Verum, reposuit *Mahometanus*, postquam sic fide caruit, afflatus est divino Spiritu, quodque ab ipso peccatum tum antea fuit, tum postea, id illi ab Deo dimissum est, & confirmata super illo gratia Dei fuit, & ipse via recta deductus, postquam aberravit, demum in Dei apostolum ac prophetam evasit. Atque hoc, subjecit *Christianus*, mihi permirum: nec illud minus, quod ante propheta Dei & apostolus quam existeret, continentior fuit & castior, & prole suscepta beatior, id est, magis ab Deo benedictus. Nam & unica contentus conjuge *Chadigé* sibi ex illa genuit liberos quatuor, tres nempe fœminas & marem unum; post vero quam factus est purior, prophetaque & apostolus Dei extitit, magnum sibi uxorum & concubinarum numerum paravit, quibus nimiopere usus est, fructu fœcunditatis nullo: nam quasi sterilitate mulctatus sit, præter *Fatemen* puellam, sobolem nullam consecutus est. Quin etiam nescioquid

turbarum ipsum inter & uxores intercesserit; fuerunt certe tam averso ab sese invicem animo, ut de illis repudiatione dimittendis ipse cogitaverit: de quo vide caput de prohibitione: سورة التحريم *Turbarum causam Gelal eldin Alcorani interpres hanc ait fuisse, quod Mahometes servam suam Márien Coptam in ipsis Afsæ uxoris suæ aditus & lecto venerea libidine compressit; quod & ipsa eum vidisset, ægre tulit, & uxor ejus alia Aaychè maxime execrata est. Quin & id videtur fecisse Mahometes contra quam jurarat, ut colligitur ex his verbis:* قد فرض الله لكم تحلة ايمانكم *Præscripsit vobis Deus quomodo ab juramento absolvamini; canone scilicet persoluto, qualis imperatur capite de mensa. Hic disputant interpretes, an teneretur Mahometes illum exolvere. Negant aliqui quod asserunt condonatum hoc illi a Deo peccatum. Aiunt alii canone fuisse functum, manumisso servo uno.* عتق رقبة Adamavit etiam Zaidi conjugem, eamque illi rapuit. Et cap. de sectis, في سورة الاحزاب sibi licere voluit fœminas promiscue quaslibet pro animi libidine. Sic enim sibi loquentem inducit Deum: *Licitas tibi fecimus uxores illas tuas, quibus dedisti dotem, & quidquid dextera tua possederit ex iis quas privilegio tibi Deus concessit, & filias patrui tui ac patruelis tuæ, & filias avunculi tui & materteræ tuæ, quæ tecum fugerunt, & fœmina quæcunque fidelis, quæ se tibi prophetæ prostituerit, si tu propheta rem habere cum illa veneream volueris, tibi permittitur, tibi pura est. (Non vero fidelibus aliis: novimus enim quid illis circa uxores præcеperimus, & quid ipsi possint) Id vero ut non sit super te peccatum.* Vel, ut interpretatur Gelal eldin, ne sit tibi ضيق في النكاح definita circa rem veneream angustior strictiorque regula. انا احللنا لك ازواجك اللاتي اعطيت

اجورهن وما ملكت يمينك مما افا الله عليك وبنات
عمك وبنات عمتك وبنات خالك وبنات خالتك
اللاتي هاجرن معك وامراة مومنة ان وهبت نفسها
للنبي ان اراد النبي ان يستنكحها خالصة
لك من دون المومنين قد علمنا ما فرضنا عليهم
في ازواجهم وما ملكت ايمانهم لكيلا يكون لك حرج

Vide autem quam multiplex diſcrimen ſit hunc inter prophetam veſtrum, & alios ab omnibus receptiſſimos prophetas. I. Ante hunc, prophetas Deus ſuos ex iis ſeligebat, non qui, ut ipſe, fuiſſent religionis & cognitionis omnis divinæ expertes, & flagitiis immerſi, ſed qui fuiſſent vitæ innocentia & rectæ fidei integritate præclari. II. Ante hunc, qui evehebatur a Deo ad prophetarum dignitatem, non laxabant ſibi ad libidinem habenas, ſed miſſo cupiditatibus nuntio, cum maxime abſtinebant a voluptatibus venereis, tum ſponte ſuſceptis afflictationibus carnem continebant, eamque cogebant menti Deoque obſequi. III. Ante hunc, quod eſſet aliis vetitum ob turpitudinem, qualis eſt venereus cum conſanguineis & promiſcuus cum quibuſlibet coitus, prophetarum nemo dixit ſibi divino privilegio licitum; ſed faciebant primum quæ facienda ipſi docebant. IV. Ante hunc, non habebatur prophetarum in numero, qui libidini & cupiditatibus pareret. Nam ut ipſe recte tradit, في سورة القصص cap. de hiſtoriis, من اضل ممن اتبع اهواه *quis illo magis errat, qui cupiditati obtemperat?* Et vitari hujuſcemodi magiſtros Deus præſcribit, vel ipſo Alcorano teſte: في سورة النسا . ويريد الدين

يتبعون الشهوات ان تميلوا ميلاً عظيماً *Vult ab iis longe vos declinare, qui depravatos animi affectus sequuntur.* V. Ante hunc, neminem prius volebant dicto suo audientem esse, quam se vere a Deo missos probassent, exhibitis non obscuris miraculis quasi divino quodam bene consignato diplomate. Atque hanc in rem scite ait Alcoranus: في سورة الموس cap. de fideli: وما كان لرسول ان ياتي باية الا بادن الله فادا جا امر الله قضي بالحق وخسر هنالك المبطلون *Non potest signum apostolus ullum edere, nisi annuente Deo. Divinum autem opus cum adest, tum veritas definitur, tum inde eorum, qui eam volunt evertere, conatus evanescit.* At vero Mahometes prophetam se induxit nullis adhibitis miraculis, ut ex eo constat responso, quod miracula ab ipso postulantibus reddidit. في سورة الاسري capite de captivis: سبحان هل كنت الا بشرا رسولا *O Deo laus! Quid sum aliud, nisi homo apostolus?* Quasi diceret: Aliud a me nihil quærite. Certe si miracula edidisset, respondisset se fecisse, eaque narrasset. At notum erat nulla ipsum perpetrasse. Unde في سورة النحل cap. de formicis, de illo dicitur: لا تسمع الموتي ولا تسمع الصم الدعا فادا ولوا مدبرين *Non facis, ut vocem mortui & surdi audiant: propterea terga tibi vertunt, retroque cedunt.* VI. Ante hunc, prophetæ alliciebant ad sese devios, non gladii metu, aut tributi persolvendi necessitate, sed quæ docebant, ratione ac miraculis demonstrabant. VII. Ante hunc, prophetæ hortabantur ad pœnitentiam, ejusque faciendos fructus operibus laboriosis & arduis, nec legem offerebant naturæ effrenatæ & cupiditati faventem, ad quam

toto naturæ pondere sic inclinant homines, ut minime necesse sit illos miraculis provocari, quo se illi dedant. Nec aiebant quod ipse, *Deus a vobis vult quod facile est, non quod difficile.* يريد الله بكم اليسر ولا يريد بكم العسر

VIII. Ante hunc, nemo se prophetam dixit, ut id doceret, quod nemo nescit. *Nullus Deus est, nisi qui Deus est.* لا اله الا الله IX. Ante hunc, quisquis missus est ad ferendam legem, is perfectiorem vetere seu præcedente attulit. Legem enim suam Deus perfectione auget, non minuit. At Alcoranus nihil perfectionis novæ protulit, quæ possit evangelicæ adjungi. Imo de evangelica non parum detrahit tum virginitate contempta & laxatis libidini habenis, tum omisso sacrificiorum usu frequenti & aliis bene multis vel præscriptis, vel concessis, quæ suo loco commemorabimus. X. Ante hunc, propheta nemo beatitatem hominis in eo sitam esse docuit, ut *paradisi loca habitet irrigua fluminibus, & veneris usu cum fœminis mundis jucunda.* الجنات تجري من تحتها الانهار وفيها ازواج مطهرة Neque enim credebant eandem esse hominum, quæ brutorum animalium, felicitatem: sed cum homo anima menteque homo sit, & ad Dei similitudinem & imaginem effectus, similem illi cum angelis & Deo beatitudinem ab omni brutarum voluptatum contagione defæcatam, quæ in summi boni cognitione, amore & fruitione consistat, tribuerunt. Sed quid persequor hæc pluribus & fastidiose? Alia sunt non pauca: at quæ protuli, satis forte sunt, ut intelligas, si quemadmodum asseritis, Mahometus propheta est, plane ab aliis diversum esse, nec esse in antecedentibus a Deo missis ullum qui paria vel fecerit, vel dixerit, vel senserit. Velim abs te, o Christiane, inquit *Mahometanus*, nihil mihi reliqui facias. Quod habes in pectore, perge coram effundere. Placet enim intelligere penitus quæ vos rationes ab amando & consectando propheta nostro absterreant. Sit ergo tibi, reposuit

Chri-

Christianus, XI. aliud discrimen. Ante Mahometum, prophetæ, si legem a Deo novam non ferrent, nihilque præter ea quæ antecessoribus prophetis & apostolis dictum divinitus fuerat, ipsis diceretur, veteres divinos libros non objiciebant, ut novum inducerent suum, quo minime opus erat. Mahometo enim fatetur Alcoranus novi nihil a Deo revelatum cap. de lucernis : في سورة المصابيح *Tibi nihil dicitur, nisi quod apostolis ante te sit dictum.* ما يقال لك الاّ قد قيل للرسل من قبلك Et cap. de animalibus Deum refert sic dixisse : اتينا موسي الكتاب تماما علي الذي احسن وتفضيلا لكل شي *Moysi librum dedimus numeris omnibus absolutissimum, & qui perfectiora quæque contineat, & satis superque ad omnia sit.* XII. Ante illum, prophetæ qui legis datæ essent duntaxat interpretes, & ad ipsius duntaxat confirmationem mittebantur, nequaquam se anteferebant aliis, imo eo qui legem acceperat, verbi gratia, Mose, longe se ducebant inferiores, nec jubebant sic profiteri homines : *Non est Deus, nisi Deus & propheta talis.* Quod ne Moses ipse quidem præstitit. XIII. Ante illum, propheta nemo, librum proferebat, quem nemo posset intelligere, quique adeo nullius posset esse commodi. Quomodo de se testatur Alcoranus, *cujus* scilicet *sententiam & explanationem nemo nisi Deus novit,* في سورة ال عمران cap. de familia Amrani. لايعلم تاويله الاّ الله Nam qua ratione esse possit *lumen ac directio hominibus,* نورًا وهدي للناس qualem se esse Alcoranus jactat cap. de mensa, si quod tradit, nemo capiat, & explanare valeat? si illum nemo intelligit, cur ait cap. de vacca: ولقد انزلنا اليك ايات بينات *Demisimus tibi pro-*

positiones evidentes. XIV. Ante illum, prophetæ latum & infinitum discrimen homines inter & belluas constituebant: neque ullus unquam docuit futuram belluarum aliquando resurrectionem, & ipsas ad judicium vocandas, quomodo legitur في سورة الانعام cap. de animalibus: *Bellua nulla in terra est, nec in cælo ales pennis volitans, quæ non sint uti vos populi vestrum similes. Nihil superfluum in libro addidimus. Denique ad Dominum judicandi consurgent.* وماكان دابه في الارض ولاطاير يطير بجناحه الا امم امثالكم ما فرطنا في الكتاب من شي ثم الي ربهم يحشرون XV. Ante illum, propheta nemo divinæ misericordiæ fixit limites. Omnes, parcere Deum posse cui voluerit, sunt professi. Negat vero Alcoranus posse Deum, vel si vult, associantibus sibi Deum alium, ignoscere. *Deus,* inquit, *ei non parcit, qui divinitati Deum alium associat: hoc si excipias, cui vult, parcit.* في سورة النسا cap. de mulieribus. الله لا يغفر ان يشرك به ويغفر ما دون ذلك لمن يشا XVI. Ante illum, prophetarum nullus nomen suum Dei nomini adjunxit, in hunc v. g. modum: *Non est Deus, nisi Deus, & Moyses apostolus Dei:* sic enim existimare homines possent hanc esse dicti sententiam, ut Moyses Dei apostolus, ipse quoque sit Deus. XVII. Ante illum, nemo res creatas adorandas esse tradidit: *Dominum enim Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* At refert Alcoranus imperasse angelis Deum, ut Adamo adorationem deferrent. Adami autem nomine Mahometani primum hominum parentem vulgo intelligunt. Id vero primum Dei labefactat, e decem, præceptum. XVIII. Ante illum, propheta nullus Deum induxit vane & falso jurantem. Ipse

vero Deum inducit per res vanas, *ficum* ſcilicet *& olivam & hanc fidelem provinciam*, في سورة التين cap. de ficu jurantem : والتين والزيتون وهذا البلاد الامين Cum tamen aſſeruiſſet cap. de provincia, في سورة البلد ſe non juraturum per hanc provinciam. Quod ſecundum Dei præceptum impetit. Uti & illud quod cap. de menſa legimus in hæc verba : *Vobis Deus futilitatem in jurando veſtram vitio non vertet, ſed vobis vitio vertet quod juramentum ligaveritis*, id eſt, non ſolveritis. Tum agitur de obeundo propterea pœnitentiæ canone, & concludit : *Hic canon exolvendus, cum juraveritis ; juramentum veſtrum ſervate.* لا يواخذكم الله باللغوا في ايمانكم ولكن يواخذكم بما عقدتم الايمان . . . . . ذلك كفاره لايمانكم اذا حلفتم احفظوا ايمانكم

XIX. Ante illum, prophetæ diebus per annum aliquot, imo die per hebdomadam ſaltem uno, vacare ab operibus ſervilibus homines voluerunt, ut divinis vacarent unis, & animæ ſaluti. Ipſe nullum induxit, quo ſententia quidem noſtra, evertitur tertium Dei præceptum. XX. Ante illum, nolebant prophetæ effuſam eſſe hominum libidinem, vel viros coire cum ancillis contra jus uxorum poſſe, ut uxores ſuas venerarentur & amarent. Quod voluit ipſe eſſe licitum cap. de prohibitione, في سورة التحريم Imo hic arguitur quod uxores id ægre paſſas placare curaret, contra quam præcipere cenſemus quartum Dei præceptum. XXI. Ante illum, vetabant prophetæ occidi homines etiam infideles, ſi legem animis ab natura inſitam ſervarent. At ipſe præcipit occidi infideles quoſcunque etiam non ſuo ſubjectos

imperio, etiam non contumaces, cujusmodi sunt qui demonstratam apertissimis rationibus veritatem respuunt. في سورة البقرة. قاتلوهم حتى لاتكون فتنة ويكن الدين لله *Eos impugnate & occidite, ut non sit infidelitas, & religio seu fides tota Dei sit.* Id vero credimus quinto Dei præcepto prohiberi. XXII. Ante illum, nemo propheta tot fœminarum usum permisit, quot ali possent, multoque minus naturæ adversantem coitum: neque, ut Alcoranus, uxores voluerunt esse araturam quo placuerit modo ineundam; نساوكم حرث لكم فاتوا حرثكم انّي شيتم

Cap. de vacca. aut edixerunt, non licere uxorem repudio dimissam iterum ducere, nisi cum ipsa vir alius antea concubuerit. فان طلقها فلا تحل له حتي تنكح زوجا غيره

Quo facto præceptum Dei sextum nobis visum est maxime violari. XXIII. Ante illum jubebant prophetæ adepta per furtum sive usuram iis restitui, a quibus erant accepta, nec docebant quod Alcoranus capite proxime appellato: *Licere Deus mercaturam voluit, & prohibuit usuram. Quem Deus interiore afflatu ad resipiscendum hortatus est, adeoque destitit, is quod sic percepit, sibi habeat, ipsius est. At qui relabitur, ex iis est qui damnantur igne, in quo æternum futuri sunt.*

Cap. de vacca. احل الله البيع وحرم الربوا فمن جاه موعظة من ربّه فانتها فله ما سلف وامره الي الله ومن حاد فاوليك اصحاب النار هم فيها خالدون

Id vero effati septimo Dei præcepto apud nos Christianos plane repugnat. XXIV. Ante illum, propheta nemo

Cap. de familia Amran. Deum dixit dolosorum dolosissimum: ومكروا ومكر الله

والله خيـــر الماكرين *Dolosè egerunt, & egit Deus, & in dolosis dolosissimus est Deus :* Et في سورة النسا . ان المنافقيـن يخادعون الله وهو خادعـهـم *Impii Deum putant decipi, sed illos ipse decipit.* Sic cap. de animalibus, *Deus,* inquit, *quem vult, inducit in errorem, & quem vult, recta via dirigit.* من يشا الله يضلله ومن يشا يجعله علي صراط مستقيم Tum, sacræ alicujus scripturæ cum testimonium prophetæ appellarent, afferebant coram ipsum codicem, & ad ejus dicta volebant sua expendi & retundi obsistentium sibi hominum contumaciam. Ac utriusque testamenti volumina, si confirmare se libro suo aliquo, ut Mahometus asseruissent, ea protulissent in medium, ne octavo Dei præcepto viderentur adversari. Quin ipse Mahometus iis minime vult haberi fidem, qui dicta sua probatione idonea non demonstrant, ex quo toties illius repetita vox in Alcorano: *Si veraces estis, afferte demonstrationem vestram :* هاتوا برهانكم ان كنـتـم صادقـيـن

XXV. Denique ante illum, prophetarum nullus proximi sui Zaidi aut alterius uxorem aut bona alia concupivit, quod fecisse Mahometum narrat Gelal eldin ex capite de sectis, ne se reum violati noni & decimi præcepti constitueret. *Zaidum filium Harete servum emerat Mahometus, tum manumiserat, & quasi adoptarat in filium, dederatque illi uxorem Zinabam. Quam postea ipse intuitus adamavit, & coegit Zaidum illam repudio dimittere, ut sibi illam assumeret. Verebatur tamen ne vitio illi homines verterent, quod filii adoptivi sui duxisset sibi uxorem. Arguitur in Alcorano, quod sic homines revereretur.* Gelal eldin sic interpretatur سورة الاحزاب

ab versiculo 35. ad 37. Nimirum hæc sunt quæ nos ab vestra suscipienda lege deterrent, quæ obsequendi tibi studio, ut rem Christianam noveris, sum breviter prosecutus. Deus bone! exclamavit hic *Mahometanus*: quam accurate momenta religionum omnia expenditis! Deus bone! reposuit *Christianus*: quam parum homines veritatem a qua salus animorum pendet, quam nihil curant; cum tamen fateantur, qui eam spreverit, illum Dei in se provocare odium, Dei, inquam, tam vehementer & acerbe, tamque celeriter peccatum hoc ulciscentis, æternoque illum damnandum esse exitio, qui optimum pessimo commutarit, & vita futura præsentem hanc emerit temere ac insane. O duram ipsius & perpetuam in flammis sortem, ubi fletus & stridor dentium! Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?

FINIS.

